BIBLIOTECA NAZIONALE VITT. EMANUELE
13
1 D
12

H 12 vic

20 — C — 36

11

Ex Bibliotheca
majori Coll. Rom.
Societ. Jesu

15-22.f.33

20.0.56

20
A
3 p

Digitized by Google

Digitized by Google

THEODORI
SANCTISSIMI AC DOCTISSIMI
ARCHIEPISCOPI
CANTUARIENSIS
POENITENTIALE,

Omnibus quæ reperiri potuerunt ejuſdem Capitulis

ADAUCTUM,

Per Canones ſelectos ex antiquiſſima Canonum Collectione Ms, nec non per plura ex variis Pœnitentialibus hactenus ineditis excerpta

EXPOSITUM,

Præclaris Eccleſiaſticæ Diſciplinæ Monumentis, quæ ex optimis Codicibus Mss. ſelecta ſunt

CONFIRMATUM.

JACOBVS PETIT *primus in lucem edidit; cum pluribus Conciliorum Canonibus contulit; Diſſertationibus & Notis illuſtravit.*

TOMVS SECVNDVS.

LUTETIÆ PARISIORUM;

Apud VIDUAM JOANNIS DU PUIS, viâ Jacobeâ, ſub ſigno Coronæ aureæ.

M. DC. LXXVII.

CVM PRIVILEGIO REGIS.

Digitized by Google

Digitized by Google

PRÆCLARA
ECCLESIASTICÆ
DISCIPLINÆ
MONUMENTA
QUIBUS SUPERIOR DISCIPLINA CONFIRMATUR AC ILLUSTRATUR.

PRÆFATIO.

DISCIPLINAM in Pœnitentiali Theodori ac ipſius Capitulis propoſitam, & in Excerptis expoſitam confirmant atque illuſtrant præclara Eccleſiaſticæ Diſciplinæ Monumenta. Pauca ſane, ſed præclara ex innumeris Schedis viri Clariſſimi Antonii Vion Domini d'Herouval: pauca, inquam, à me ſelecta ſunt ex quamplurimis celeberrimarum Galliæ Eccleſiarum Chartulariis; quæ, ſi duo vel tria excipias, ut indicat ſuperior catalogus, omnia ipſe pro maxima qua apud quoſlibet veritatis rerumque publicarum ſtudioſos pollet auctoritate, undique recepta liberaliſſime mecum communicavit. Ab eodem viro præclara eruditione, ſingularique prudentia ornato monitus ceteros monebo, nihil aliud continere hos omnes codices Mss. quàm varia exempla, de quibus illud neceſſe eſt dicere cum S. Au-

Digitized by Google

guſtino lib. I. de civitate Dei cap. XXII. *Non modo quærimus utrum ſit factum, ſed utrum fuerit faciendum. Sana quippe ratio etiam exemplis anteponenda eſt, cui quidem & exempla concordant; ſed illa quæ tanto digniora ſunt imitatione, quantò excellentiora pietate.* Unde pleriſque omiſſis, præſtantiora ſolummodo profero, quæ in rebus ſaltem præcipuis, atque ad propoſitum accommodatis, & in titulo chartarum prænotatis, cum ſanâ ratione, id eſt, cum Scripturis ſacris, Conciliorum Canonibus, & jure libertateque Eccleſiæ Gallicanæ omnino conſentiunt. *In quibus*, ut ſecurius loquar cum Caſſiodoro, *Non propriam doctrinam, ſed priſcorum dicta commendo, quæ poſteris laudare fas eſt, & prædicare glorioſum: quoniam quicquid de priſcis ſub laude Domini dicitur, odioſa jactantia non putatur.*

Quod ad præclarorum Eccleſiaſticæ diſciplinæ monumentorum ordinem attinet, ea tria capita ſic diſtribuimus, ut quæcunque in Pœnitentiali Theodori atque ipſius capitulis præcipua ſunt, ſervato rerum potiuſquam temporum ordine confirmentur atque illuſtrentur. Quare in primo capite, quod ad caput I. Pœnitentialis Theodori refertur, & ad quædam capitula de conſecratione Eccleſiarum, docetur primò quænam ſit prima inſtitutio conſecrationis Eccleſiarum: deinde quæcumque ad dedicationem neceſſaria ſunt, & quid illa ſignificent: tertiò quale ſit Epiſcopi jus in Eccleſias dedicandas, & dedicatas.

Cùm varii Eccleſiarum ritus ſeu ſtatuta in ſingulis ferè capitibus Pœnitentialis Theodori deſcribantur, ſecundum caput inſtituimus ad proponenda varia Eccleſiarum ſtatuta præſtantiſſima. Ut verò innoteſcat cujus ſint ponderis & momenti, de iis obſervandis exhibemus juramenta Epiſcoporum, Abbatum, Clericorum, & Monachorum. In eodem capite oſtendimus æqua ſtatuta etiam ab iis qui ea fecerunt obſervanda eſſe, iniqua autem retractanda: declaramus quot etiam mala oriantur, ex eo quòd Eccleſiarum ſtatuta non ſerventur, juxta quæ ſolummodo à Pontificibus Romanis obedientia exigi poteſt: poſtremo judicia lata adverſus quemlibet ſtatutorum Eccleſiarum violatorem referimus.

Quandoquidem Theodorus in ſuo Pœnitentiali Epiſcoporum auctoritatem in Abbates & Monachos adeo commendet,

Digitized by Google

ut ſemel atque iterum repetat, vota quæ ſine conſenſu Epiſcopi fiunt, ab Epiſcopo ſolvi poſſe; quamplurima Eccleſiaſticæ diſciplinæ monumenta collegimus, eaque ita diſpoſuimus, ut omnia rebellium ſchiſmaticorumque Monachorum, & Clericorum argumenta evaneſcant. Etenim exhibemus I. Publica monumenta de obedientia & reverentia, quam ſive Clerici & Regulares, ſive Monachi & Abbates debent Epiſcopis, & quam ſolemnem in ſynodis ipſi promiſerunt. Deinde probamus ad hanc obedientiam Epiſcopis præſtandam ipſos moveri debere ſuis quidem privilegiis à ſummis Pontificibus conceſſis, ipſiſque donationibus, quas viri Religioſi, ſalva ſemper quæ Epiſcopo debetur reverentia, & cum Epiſcopi conſilio fecerunt. In quo conſiſtat illa reverentia Epiſcopis debita expendimus, & declaramus Abbates abſque illorum conſenſu eligi non poſſe, à quibus confirmantur & benedicuntur: omneque ad Epiſcopum pertinere jus inſtitutionis, deſtitutionis, correctionis, reformationis, viſitationis, & procurationis in monaſteria; non obſtante quolibet privilegio ſive impetrato ſive impetrando, cui ſub voto Religionis Monachos ſive Clericos Regulares oportet renunciare. Ne autem Epiſcoporum conſtantiam pervicacia ſola infringere conentur; Regum diplomatibus, à Sede Apoſtolica receptis oſtēdimus, pro negotiis correctionis expenſas ab Epiſcopis de bonis monaſterii fieri debere, neminique licere monachos adverſus auctoritatem Epiſcoporum defendere: alias quoque literas ejuſdem momenti exhibemus, quæ docent quomodo irrita ſit Abbatis appellatio ad Sedem Apoſtolicam contra auctoritatem Epiſcoporum. Denique plura inſignia ſūmorum Pontificum atque aliorum referimus judicia, quibus obtemperare coacti ſunt Monachi ſive Clerici ſchiſmatici.

Quid nunc tot Hierarchiæ Eccleſiaſticæ monumentorum, tot & tantorum Conciliorum univerſalium canonibus comprobatæ æquitati aliud opponi poſſet, quàm iniquitas quæ ſibi mentita eſt? de qua ſuo tempore Petrus Bleſenſis ſic conquerebatur in epiſtola ad Alexandrum III. *Falſariorum*, inquit, *Præſtigioſa malitia ita in Epiſcoporum contumeliam ſe armavit*, *ut falſitas in omnium fere monaſteriorum exemptione prævaleat*, *niſi in deciſionibus & examinationibus faciendis judex veri-*

Digitized by Google

tatis exactor diſtrictiſſimus intercedat. Quæ omnia attendat Lector, me ſolo veritatis, atque Hierarchiæ Eccleſiaſticæ, quam rectiſſimè in ſuo pœnitentiali exhibet Theodorus, amore impulſum protuliſſe. Abſit igitur omnis hominum maledicorum injuria, quam ſat abundè refellunt ipſamet præclara monumenta laudibus vitæ monaſticæ & Regularis plena. Sicut enim ſchiſmaticos illa caſtigant, ita & ornant Catholicos, quorum amicitia glorior, doctrinam laudo, conſilia ſequor, pietatem mihi & aliis propono imitandam, quorumque precibus memetipſum atque amicos commendo.

CAPUT I.

DE CONSTRUCTIONE ET CONSECRATIONE ECCLESIARUM.

DE INSTITUTIONE CAPELLARUM, & donatione Præbendarum.

I.

CHARTA CONCESSIONIS ORATORII CONSTRUENDI CUIDAM FIDELI NOMINE FRODAC FACTÆ AB ALEXANDRO ECCLESIÆ VIENNENSIS EPISCOPO,

In qua exponitur prima inſtitutio conſecrationis Eccleſiarum: & quibus rationibus moti ſunt Epiſcopi, ut concederent bonis Laïcis Eccleſias conſtruere.

Ex Chartulario Eccleſiæ Viennenſis.

CUm per univerſum orbem doctrina Apoſtolica atque Evangelica ſecundum Prophetarum pronuntiationem nominis Domini noſtri Jeſu Chriſti manifeſtaretur in Gentibus, & Catholica fides baptizando in ſacro comprehendere

tur lavacro ; inſtitutum eſt à ſacratiſſimis & reverendis Eccleſiarum Dei Rectoribus & Pontificibus, ut ad ſalutem & concurſum omnium populorum ſecundùm opportunitatem locorum & aptiſſimam congruentiam diverſæ conſtruerentur, & manibus Epiſcoporum conſecrarentur Baſilicæ. Inter cetera verò quærentibus & poſtulantibus ab Epiſcopis licentiam pluribus hominibus etiam bonis Laicis conſtruendi Eccleſias ; quocumque cauſa dictaverit, ſi rectitudo & poſſibilitas in hujuſmodi cauſa non obſuerint, viſum eſt ex antiquo, ut talium petentium votis præberent aſſenſum. Quapropter ego ALEXANDER Sanctæ Viennenſis Eccleſiæ Archiepiſcopus ſequens Patrum meorum pro poſſe tramitem, dedi licentiam cuidam fideli & filio Eccleſiæ noſtræ FRODAC nomine, ut in ſuo jure, quod eſt in Auremonte, quoddam ædificaret Oratorium. Quo opere perfecto RICHARDVS ſanctæ Vivarienſis Eccleſiæ Epiſcopus ob meum juſſum atque rogatum ad Oratorium venit, & more Epiſcopali illud conſecrare ſtuduit, atque pignora ſanctorum in honore ſanctæ Dei genitricis MARIÆ in pila altaris ibidem recondidit. His omnibus peractis, & regula canonica finitis, ad conſignanda in eodem ſacro loco luminaria, & ad ſervorum Dei ſuſtentationem contuli ibidem decimas ex cauſa ſancti MAVRITII quas ipſe FRODAC loco beneficii obtinet in Siuriaco, & decimas ex rebus ſancti MARCELLINI quas ibi ADAM obtinet, decimas ex rebus quas in Vitroſco adquiſivit juxta medietatem ; ea tamen ratione, ut hæc noſtra nova inſtitutio ſub honore Eccleſiaſtico omni ſubditione Epiſcopali obedienter perficiatur, ut temporibus prædeceſſorum noſtrorum ſummopere inſtitutum extitit, & regula Eccleſiaſtica totum honorem Eccleſiaſticum obſervare jubet : & ſicut conſueto more per Viennenſem Parœchiam diverſæ Eccleſiæ debitum Epiſcopo exhibent ſervitium, conferat & in obſequium Epiſcopi tempore conſtituto denar. XII. Et ut hæc nova noſtra inſtitutio firmiorem obtineat vigorem, manu propria ſubterfirmavimus, & Clero Eccleſiæ noſtræ firmare decrevimus. ALEXANDER ſanctæ Viennenſis Eccleſiæ humilis Epiſcopus hanc ſcripturam propria manu roboravit, SOBBO humilis præpoſitus, GOZBERTVS Preſ.

Antea domus ipſæ hic priſcis temporibus Eccleſiæ erant, ut ait Joan. Chryſoſt. in homil XXXIV. in Matth. V. not. ad I. cap. Pœnit. Theodori.

Conc. Carth. V. c. XIV. Item placuit, ut altaria &c. In quibus nullum corpus aut reliquiæ Martyrum condita probantur, ab Epiſcopis, qui iiſdem locis præſunt, ſi fieri poteſt, evertantur.

Ius Epiſcopi in Eccleſias ſua parochia Conc. Aurel. I. c. XV. & XVI.

byter, Adaloldus humilis ſacerdos, Franicerius Preſbyter.

II.

CHARTA SANCTI STEPHANI

LUGDUNENSIS ECCLESIÆ.

Quæ fuit ſcripta tempore ſancti Barnardi *Archiepiſcopi Viennenſis, qui fuit ante ſanctum Adonem, & fuit contemporaneus* Agobardi *Archiepiſcopi Eccleſiæ Lugdunenſis.*

Hic eſt titulus quem chartula præferunt.

Quod non liceat Eccleſiam ædificare ſine permiſſu Archiepiſcopi.

EX CHARTULARIO ECCESIÆ LUGDUNENSIS.

Divinæ legis fluentis totum terrarum orbem rigantibus, notum eſt cunctis fidelibus ab exordio humani generis religioſos quoſque non ſolum cordis puritate, ſed etiam oblatione munerum Deo debite deſerviſſe, præſertim hoc ipſum Deo per legem ita jubente: *Non apparebis in cõſpectu meo vacuus.* Ideoque ego in Dei nomine Lempteus, & uxor mea nomine Agilois hæc eadem mente tractantes, inſpirante, ut credimus, illo qui operatur in ſuis fidelibus & velle & operari pro bona voluntate, vovimus circa domum noſtram conſtruere ad divinum honorem Eccleſiam, & juxta vires de paupertate noſtra ditare: & eodem Domino adjuvante complevimus, hoc eſt in pago Viennenſi, in villa propria noſtra quæ dicitur Sentolatus. Verùm ne quis æſtimet, nos talia temere vel præſumptive patraſſe, noverit quia prius, ut dignum erat, ſuppliciter licentiam poſtulavimus, & obtinuimus à reverendiſſimis viris Barnardo Eccleſiæ Viennenſis & Agobardo Eccleſiæ Lugdunenſis Archiepiſcopis. Teſtis horum epiſtola eſt, quæ ſuper petitionem noſtram, & eorum permiſſionem inter eos cucurrit. Quam etiam propter evidentiorem notitiam in fine hujus voluminis voluimus inſerere teſtamenti; cujus lectione cognoſcatur, quia tantorum viro-

Conc. Nicæn. ii. c. xvii. At vero ſi ſumptus ſufficientes ad perfectionem habuerit, quæ ab ipſo deſiderantur, ad terminum perducantur. Idipſum autem ſervandum eſt etiam ſuper Laicis & Clericis.

Digitized by Google

rum permiſſione præmiſſa fundata eſt prædicta Eccleſia IV. Kalend. Majar. die. XII. Kalend. Decembr. evocato Solenniter viro venerabili AUDINO Eccleſiæ Lugdunenſis Chorepiſcopo, favente Domino dedicata ſub nominibus ſanctorum Apoſtolorum PETRI & PAULI. Quæ verò eodem loco ad uſum luminarium & miniſtrorum Dei conceſſimus ſunt hæc; quicquid præſenti tempore legaliter poſſidemus in villa noſtra quæ dicitur Adſubricas, & in ea quæ vocatur Caſſianum, in caſis, caſaricis, hortis, vineis, arboribus pomiferis & impomiferis, pratis, paſcuis, ſylvis, aquis aquarumque decurſibus, introitum & regreſſum cum omni integritate à die præſenti tradimus ac transfundimus de noſtro jure & dominatione in tuum jus & dominationem Sacroſancta Eccleſia Doi à nobis religioſo affectu conſtructa in pago Viennenſi, in Sentolatis villa propriè noſtra: teque heredem nobis in his rebus perpetualiter pro Dei amore & ſanctorum Apoſtolorum, & remedio animarum noſtrarum inſtituimus, honorem quidem tantummodo loco patrocinii noſtris heredibus reſervantes; nullam tamen quicquam ex his ſubtrahendi, vendendi, vel commutandi licentiam relinquentes, & ſub tuo privilegio te liberam perenniter permanere deſiderantes, ut Dei miniſtros ibidem ſervientes amabiliter pro animabus noſtris orare delectet. Sic itaque ſana mente, ac ſincero conſilio vovimus, ſic voluimus, ſic jubemus, & non ſolum hæc inconvulſa omni tempore durare voluimus, verum etiam de omnibus rebus quas vel præſenti tempore poſſidemus vel in futuro adquirere poterimus, per ſingulos annos tam à nobis, quàm ab heredibus noſtris ad eumdem ſacrum locum ſolenniter ac fideliter omnem decimationem contradimus offerendam. Hoc etiam ſtatuentes, ut de his rebus quas noſtris heredibus relinquimus, ſi aliquis eorum quippiam alicui donare, vendere, ſeu commutare voluerit, poteſtatem quidem habeat donandi, vendendi, commutandi: nullam tamen obtineat licentiam ad alterum locum aliquid de decima transferendi, quam nos jam dicto loco tradimus ob remedium animæ noſtræ. Nobis autem, dum vivimus, licentiam reſervamus, ſi neceſſitas exegerit, aut voluntas alicubi Eccleſiam reſtaurandi vel conſtruendi, ut de ipſis decimis teſtari poſſimus. Locorum autem

Gelaſ. I. epiſt. ix. ad Ep. Lucan. cap. iv. Baſilicas noviter inſtitutas, non petitis ex more præceptionibus, dedicare non audeant.

vocabula, de quibus decimas ſacroſanctæ Eccleſiæ, quam prò Dei amore conſtruximus, volumus ſingulis annis deferri. Hæc ſunt in pago quidem Viennenſi de eadem ipſa villa Sentolatis, vel Organarias, Dentaciaco, Beſenas, vel Petracurba, Aulagiaco, Caſſanate, Macracampo, vel Cavallo, Cortes, ſive Dructalaricas, Caſaricas, Ariaco; in pago autem Gratianopolitano, Buciaco, ſive Roſaria, & Arſilio. Et hoc ipſum non temeritate noſtra aut præſumptione, ſed licentia vel permiſſione Deo amabilium, reverendiſſimorumque virorum Barnardi Viennenſis & Agobardi Lugdunenſis Eccleſiæ Archiepiſcoporum, nos quoque ſana mente, ſanoquè conſilio ſic vovimus, ſic volumus, ſic jubemus. In ceſſionibus verò ſolam ſufficere bonam voluntatem manifeſtum eſt: Nobis quoque pœnam inferre placuit. Si igitur, quod abſit, nos ipſi, aut heredes, vel propinqui noſtri, aut per nos, aut per aliquam oppoſitam ſuffectamve perſonam, quicquam horum convellere ullo unquam tempore, vel irrumpere, ſeu alius quiſlibet contradicere vel requirere tentaverit, non valeat vendicare quod repetit, ſed inſuper inferat ſæpedictæ ſacroſanctæ eccleſiæ vel miniſtris auri libram unam, oblationiſque noſtræ reum ſe in conſpectu Dei fore agnoſcat: & inantea pręſens epiſtola ceſſionis, vel teſtamentum à nobis factum inviolabilem omni tempore obtineat firmitatem, ſtipulatione & ſponſione pro omni firmitate ſubnixa. Vos autem, O ſanctiſſimi & reverendiſſimi patres tam præſentes, quàm futuri Præſules & Paſtores eccleſiarum Dei Viennenſis ac Lugdunenſis; ego Lepteus & uxor mea Agilois exigui & humillimi famuli, ac devoti veſtræ dignationis filii petimus totis viſceribus ac precamur, ut pro amore Dei, pro ſolicitudine & curâ quidem generaliter, ſed quam pręcipue his, quibus præſidetis, ovibus Chriſti ſanguine redemptis impenditis, pro noſtris quoque precibus, quas apud piam paternitatem veſtram aliquid valere confidimus, tales miniſtros omni tempore præfatæ ordinetis Eccleſiæ, quos pura religio Dei ſervituti incumbere, & mutua dilectio pie pro animabus noſtris divinæ clementiæ ſtudioſe quodammodo urgeat ſupplicare: quatenus & vobis, pie adminiſtratis Chriſti gregibus æternæ vitæ gaudia, & nobis ſervulis veſtris pro hac oblatio-

ne,

Digitized by Google

ne, ſicut ſperamus, venia criminum tribuatur ab eo, qui omnes homines vult ſalvos fieri, & ad agnitionem veritatis venire.

III.

CHARTA DE MONASTERIO
SANCTI PETRI DE CLARA-VALLE.

IN QUA DECLARATUR, AD DONATIONES rite faciendas pro ædificandis & conſecrandis Eccleſiis, conſenſum Epiſcopi atque auctoritatem neceſſario requiri.

EX CHARTULARIO MONASTERII CONCHENSIS.

A Primæva Catholicæ fidei Religione eccleſiæ Chriſti, atque monaſteria à Reverendiſſimis viris conſtruuntur, ac de ſuis prædiis vel honoribus ditantur. Tandem verò propagante iniquitate, & refrigeſcente multorum charitate, neglectui habentur: & quod pejus eſt, ô formidabile dictu! deſtruuntur. Sed operæ-pretium eſt, ut boni bona amplificent: digni digna exaltent: Religioſi Religioſa excolant & ornent. Quæque ſeminaverit homo, hæc & metet. Si ſeminaverit in benedictionibus, metet vitam æternam. Antiquis enim diebus fuit fundatum quoddam monaſterium in honore ſancti PETRI Apoſtoli intra caſtra Panatenſium & Caſſinenſium: ſed ſupercreſcente zizania confractum atque deſtructum diebus multis in magna egeſtate permanſit. Dum enim ſedet in triſtitia, & non eſt qui conſoletur, accidit ut tranſmearet in has partes cauſa peregrinationis quidam nobilis homo, qui dicitur ALBOYNUS, ſatus proſapia Regum, veniens à finibus terræ Anglorum, peragrans atque circumiens ſancta loca pro remedio animæ ſuæ. Dum enim eſt ſuſceptus in hoſpitio, in ſupradicto caſtro devenit ad jam dictum monaſterium, quod olim pullulante radice iniquitatis fuerat diſſipatum: proſtravit ſe in oratione rogans dominatorem omnium pro ſuis, ſuorumque flagitiis. Cùm verò ſurrexit ab oratione, ſublevans oculos, vidit locum idoneum de montibus circunquaque ſeptum, de vineis uberrimum, de pratis atque irriguis

Digitized by Google

ornatum. Dum vidit & proſpexit talia, revolvit in animo, quo pacto, quo ingenio, qua ratione, quomodo reædificaretur. Aſcendit in ſuum hoſpitium, meditans die ac nocte quo initio inciperet. Dum in dubio eſt animus; & dum impellitur huc atque illuc, cum omni humilitate alloquitur ſeniores, ut quod confractum fuerat conſolidarent, ſcilicet ut monaſterium iſtud reædificarent. Ut autem audierunt, monita Domino opitulante corde perceperunt, palam exclamantes dignum eſſe & juſtum. Conſenſerunt etiam ad dictum ejus & factum principes amborum caſtrorum, ſive ſubmilitones, pauperes, divites, nobiles, ignobiles, ſed & mulieres: & ad plenum laudaverunt. Cœperunt ſiquidem perquirere, quiſnam valeret ibidem Domino ſervientium ad cultum pietatis & religionis mentes inſtruere. Tum prædictus vir ALBOYNUS Dominum AMBLARDUM Brantoſini Monaſterii Abbatem adjudicavit idoneum eſſe ad onus tale ſuſcipiendum. Ipſum enim ſolum in hac regione noverat, quia cum eo aliquantiſper hoſpitandi gratia commoratus fuerat, cui ſeniores aſſenſerunt cum convenientiis interjectis. Perpendens itaque jam dictus Abbas AMBLARDUS viarum difficultates, & ſpatia itineris prolixa, nihilque ſibi proficuum eſſe, initio cum ſuis Monachis conſilio ſimul & cum Alboyno, timens ne grave facinus ſuper hoc incurreret, decrevit concambiare hunc locum ODOLRICO Conchacenſis Monaſterii Abbate; quod ita & fecit, & literis firmavit. Igitur communi decreto, conſilio, petitionibus eorum conſenſit ODOLRICUS Abbas, & Monachi Conchacenſes; & conſtituerunt eis mutuâ viciſſitudine villam ſuam, quam in pago Biſſelmenſi poſſident, quæ vocatur Cambariacus. Abbas verò AMBLADUS revolvens animo, quid ſibi melius eſſet, elegit magis cambiationem argento habere, quàm in prædiis, & accepit à Monachis Conchacenſibus ſolidos nonaginta, & mulam optimam: acceperuntque ſui reliquias, quas attulerant, & pallia, & ſacerdotalia veſtimenta, ac libros, & cum ſuis omnibus abſceſſerunt, relinquentes ibi Abbati ODOLRICO Chirographum abſolutionis. Tunc ſupradicti ſeniores, & ROTBERTUS Comes, & uxor ſua BERTA, ac PETRUS Epiſcopus concordante favore Populi donaverunt: & cum ſtipulatione ſubnixa fir-

maverunt ſupra ſcriptam Eccleſiam ſancti PETRI, quæ eſt inter caſtra Panatenſium & Caſſanienſium ad alodem ſancti SALVATORI de Conchas, & ſancto PETRO de Roma; in tali ratione, ut omni tempore Abbas de Conchas, & Monachi ejuſdem Monaſterii, ubi ſancta Fides corpore quieſcit, ſub ſuo regimine de manu Papæ Romani habeant: & in memoria cenſus, per ſingulos annos, ſancto PETRO Romæ Apoſtolo, unum manconem auri perſolvant. Placuit hæc ratio HUGONI Caſſanienſi, & fratri ejus RIGALDO; & dederunt illic ſimiliter omnia quæ ibi poſſibebant cum feudalibus, & vicariam, nihil in ſuo retinentes, pro remedio animarum ſuarum & parentum ſuorum. Seniores verò Panatenſium dederunt decimam de ipſo manſo, & ſepulturam, & præferentias, & totum uſum quem ibi habebant: milites etiam amborum caſtrorum dederunt, & ſtatuerunt corpora ad ſepeliendum illic: & nobiles feminæ ſimiliter dederunt ſua ſponte decimas de pretio equorum, mulorum, mularumque, caſſium, atque loricarum. Firmaverunt etiam & ſtatuerunt hæc omnia quæ hîc ſunt ſcripta jurejurando ſeniores amborum caſtrorum, & omnes milites juraverunt ſimiliter, & conſtituerunt. Filii eorum ſimili modo jurent, aut in vitas Patrum, aut poſt mortem illorum. Si enim non juraverint filii eorum, non habeant partem in hereditate Patrum ſuorum, excepto uno manſo. Et hoc juraverunt, ut in jam dicto monaſterio, nec in ipſo burgo, nec in manſionibus quæ fuerint illic factæ, hominem illic non aſſalient, nec feminam per iram, nec per mortem, nec per captionem: nec ſuam ſubſtantiam illis tollant, nec faciant injuriam ad homines egredientes & regredientes, à mercato, nec feminas ſuo ſciente. Et juraverunt, ut adjutores ſint, quando Monachi eos commonuerint, de omni honore iſtius loci, ſi ibi aliquis male voluerit tractare vel facere. Actum eſt hoc anno ab Incarnatione Domini milleſimo ſexageſimo ſecundo à paſſione milleſimo vigeſimo &c. reſidente in cathedra Papa Romano ALEXANDRO, regnante PHILIPPO Rege Francorum.

Sign. PETRI Epiſcopi.
Sign. ROBERTI Comitis.
Sgn. BERTÆ Comitiſſæ.

Sign. DEVSDET Pana.
Sign. HVGONIS Caſſanienſis, & fratris ejus RIGALDI.
Sign. RODOARDI.
Sign. GARNERII.
Sign. PONTII.
Sign. PETRI.
Sign. HVGONIS Monachi.
DEVSDET Monachus ſcripſit.

Igitur *Alboynus* Anglorum terræ urbe Bundena ortus; Fuit Pater ejus *Heroldus*: Rex fuit Anglorum terræ; mater ejus nomine *Alveia Alboynus* homo nobilis & fideliſſimus Chriſtianus pergit in peregrinationem in univerſum mundum propter amorem *Domini*, & ſanctæ *Mariæ* matris *Domini*, & ſancti *Petri*, & omnis Apoſtolorum chori. Tunc venit in Galliis in comitatu de Ruthenico: & poſt hæc venit in unum vicum diſperſum atque confractum, qui fuit ab olim locus dedicatus in honore *Domini*, & ſancti *Petri*; proſternens ſe in hoc loco adoravit *Dominum*, & completa oratione aſcendit in montem de Caſtello, qui dicitur Panade, & manſit ibi tres dies, & admonuit ſeniores de Panado, & duos fratres *Hugonem*, atque *Rigaldum*, ſeniores de Caſtello Caſſanias, & Garnerio feudali illorum, & ait ad illos: Fratres cariſſimi, in iſta veſtra valle fuit ab olim Eccleſia inſtructa, atque dedicata in honore ſancti *Petri* Apoſtoli, & eſt diſperſa; reædificate illam in honore *Domini*, & ſancti *Sepulcri*, & ſancti *Petri*, & ſancti *Thomæ* Apoſtoli, & ſancti *Sitarii*, At illi dixerunt: igitur peregrini volumus ædificare monaſterium de Monachis in amore quem tu dicis, ſi Epiſcopo *Petro*, & Comitiſſæ *Ricardæ* placet. Tunc venerunt ante Epiſcopum, atque Comitiſſam: & dixerunt quod ſuprà ſcriptum eſt. Reſponderunt illi: ſic fiat. Tunc venit Epiſcopus *Petrus* ad ædificationem in illum locum, & admonuit iſtos ſeniores ſupraſcriptos: Audite, Fratres, voluiſtis in iſto loco monaſterium in honore *Domini*, & ſanctæ *Mariæ*, & ſancti *Petri*, & ſancti *Thomæ* Apoſtoli, illum manſum in quo Eccleſia eſt cum feudalibus meis, & cum meo diſtricto ad alodem, in tali ratione quam dicitis. Dixerunt duo fratres *Hugo* atque

Digitized by Google

Rigaldus: Nos donamus & unitamus iſtam Eccleſiam cum cimiterio, & manſum in quo Eccleſia eſt totum, & ad integrum ad alodem cum diſtricto noſtro in honore *Domini*, & ſancti *Sepulcri*, & ſancti *Petri*, & ſancti *Thomæ* Apoſtoli, & ſancti *Sicarii* Martyris, pro redemptione animæ patris noſtri *Raimundi*, & matris noſtræ *Richeldæ*, & pro peccatorum noſtrorum redemptione. Et iterum donamus corpora ad ſepeliendum, & munera noſtra quæ in obitu mortis ad eleemoſynam noſtram pertineant, & decimam de illo pretio, quam nos prendiderimus de equis noſtris, & de loricis, & de mulis. Fecerunt ſimiliter & ſeniores de Panado: decimam quam habebant in illo manſo, & ſepulturam, & diſtrictum totum & integrum donaverunt. Tunc venerunt in Eccleſiam ſancti *Deſiderii Deuſdet* de Panado, & *Ietor*, & *Hugo*, & *Berengerius*, & *Geraldus*, & duo fratres ſeniores de Caſſanias *Hugo* atque *Rigaldus*, & caballarii de iſto caſtello. Et nos juravimus de iſta hora, &c....... quòd erimus adjutorio *Domino Domino*, & ſancto *Petro* &c......

Iſta Eccleſia dedicata eſt, & donum iſtud firmatum eſt decimo quinto Kalend. Decemb. die lun. XXII. anno ab Incarnatione Domini M. LX. à paſſione M. XXVIII. Regnante Papa Romano *Nicolao*, Regnante *Philippo* Rege Francorum.

IV.

IUDICIUM LATUM DE ECCLESIA Inconſulto loci Epiſcopo à Monachis ſancti PRÆJECTI *conſtructa, quam idcirco Epiſcopus ut propriam vendicavit, & Eccleſiæ Cluniacenſi ad uſus Monachorum contradidit.*

EX CHARTULARIO MONASTERII S. PRÆJECTI.

IN nomine Sanctæ & individuæ Trinitatis Patris & Filii & Spiritus ſancti. Amen. Ego RODULPHUS propitia divinitate Remorum licet indignus Archiepiſcopus controverſiam inter Monachos ſancti PRÆJECTI, & Cluniacenſes Monachos diu ventilatam, tandem examinis noſtri moderamine terminatam ſtilo mandare dignum diſpoſui. Ingruentibus aliquando quibuſdam opportunitatibus contigit à Mo-

nachis ſancti PRÆIECTI corpus ejuſdem martyris in Epiſcopatum Atrabatenſem ad caſtellum deferri, quod Bethunia dicitur, & per ejus merita multa ſigna & miracula Dominum ibidem operari. Hæc videntes terræ illius incolæ, & divinæ pietati congratulantes, nec ſancti PRÆIECTI beneficiis ingrati, inibi in honore illius Eccleſiam conſtruxerunt, & prædia & poſſeſſiones multas ad eandem contulerunt. Monachi verò argenteis calicibus, crucibus, palliis, veſtibus, cortinis, libris, & aliis ornamentis, quæ de monaſterio ſuo convexerant, prædictam Eccleſiam decoraverunt. Domnus LAMBERTVS bonæ memoriæ Atrabatenſis Epiſcôpus in parochia ſua abſque ſcitu ſuo & Archidiaconi ſui Eccleſiam conſtructam ſibi ut propriam vendicavit, & Eccleſiæ Cluniacenſi ad uſus Monachorum contradidit. Hinc irarum & diſcordiæ fomes pullulavit: inde ſcandalum inter ſancti PRÆIECTI Monachos exortum & Cluniacenſes invaluit. Monachi ſancti PRÆIECTI, quia gratia divina opitulante per meritum præfati Martyris, & quòd ſumptu & labore ſuo jam dicta Eccleſia fundata fuerat, ſuam & ſui juris eſſe dicebant. Cluniacenſes, quia Epiſcopus Atrabatenſis ob hoc videlicet quòd eam in epiſcopatu ſuo, & eo inconſulto & Archidiacono ſuo conſtructam invenerat, illam eis largitus fuerat, hanc jure ſibi defenſare volebant. Hanc litem dirimere volentes hoc fine terminavimus, quòd Cluniacenſes monaſterio ſancti PRÆIECTI pro ornamentis in Eccleſia illa conſumptis XII. marchas argenti ad præſens recompenſaverunt: pro cenſu verò dimidiam in feſtivitate ejuſdem ſancti quot annis Eccleſiæ reſignabant. Si verò accidente caſu legatus qui eam detulerit morte ſeu aliquo impedimento præventus fuerit, Monachi ſancti PRÆIECTI omni occaſione ſopita à Cluniacenſibus præfixam pactionem dimidiam videlicet marcham recipient. Et ſic Cluniacenſes ſæpefatam Eccleſiam inconcuſſam deinceps retinebunt. Hanc autem teſtamentalem ſchedulam, ut omnis inter eos terminetur querela, ſignis cum noſtræ imaginis additamento approbatam eſſe ſtatuimus.

V. Conc. Auraſc. I. c. x. Conc. Arel. II. c. xxxvii. Capitular. l. v. c. ccxxix. Nemo Eccleſiam ędificet, antequam civitatis Epiſcopus veniat, & ibidem crucem figat publicè.

Signum LESCARDI Sueſſionis Epiſcopi.
Sign. GABALICATI Laudunenſis Epiſcopi.

Sign. INGELRAMNI Ambianenſis Epiſcopi.
Sign. SYMEONIS Noviomenſis Epiſcopi.
Sign. CLAREMBALDI Sylvanectenſis Epiſcopi.
Sign. ODONIS Abbatis Remigii.
Sign. NICOLAI Remenſis Archidiaconi.
Sign. HUGONIS Viennenſis Archidiaconi.
Sign. GEOFRIDI Decani.
Sign. FREDERICI Præpoſitii.
Sign. LEONIS Cantoris.

Actum Remis anno Incarnationis Chriſti M. C. XXIII. Indict. XI. regnante LUDOVICO Rege Francorum anno XV. Archiepiſcopatus autem Domini RODULPHI anno XVI. FULSCARDUS Cancellarius ſcripſit, & ſubſcripſit.

V.

CHARTA CONCESSIONIS BASILICÆ CONSTRUENDÆ IN VILLA QUÆ VOCATUR BLANEDA, ET EJUSDEM ECCLESIÆ DEDICANDÆ.

Ex qua licet colligere quæcunque ad conſtructionem & dedicationem Eccleſiarum pertinent, permiſſio Epiſcopi, dos collata, ſolennis dedicatio, & jus Epiſcopi in Eccleſiam conſecratam.

Ex Chartulario de honoribus S. Juliano *collatis in comitatu Brivatenſi.*

ANno incarnationis Dominicæ DCCCCVI. Indict. VIIII. Dùm reſiſteremus nos *Adalardus* videlicet Arvernenſis Eccleſiæ Præſul in gremio matris Eccleſiæ in honore beatorum martyrum Agricolæ & Vitalis nobiliter fundatæ, circumque ſederent nos fideles ejuſdem Eccleſiæ tam eccleſiaſtico quàm populari præditi honore; adierunt ſerenitatem noſtram *Heldefredus* caulæ *S. Iuliani* Brivatenſis eximius Præfectus, & Nectardus Pentacontarchus, adminiſtrator non infimus, ceterique Canonici quamplures Deo ſanctoque Juliano humiliter devoteque famulantes obnixè expoſtulave-

runt, ut eis daremus licentiam in proprio fundo ſancti *Iuliani* Eccleſiam conſtruere in villa, cujus vocabulum Blaneda. Quod mente pertractantes una cum conſilio cunctorum nos circumſedentium agi non renuimus, & mittentes cum eis Archipreſbyterum noſtrum nomine *Homo Dei* præcepimus, ut deſignaret eis locum templo Dei aptum: quod quidem & fecit. Fabricata autem aula perreximus ad locum ſpecie ſeptima menſis decimi, & dedicavimus eam in honore beatorum noſtrorum *Iuliani* inclyti & *Privati* nobiliſſimi martyris. Et in die conſecrationis ejus datum eſt eidem Eccleſiæ in honore almi *Iuliani* atque *Privati* fundatæ de proprio ſancti *Iuliani* ad ſtipendia ſervientium ei pertinente * dotis nomine in comitatu Brivatenſi, in arce Nonatenſi, in ipſa villa Blaneda manſum unum ad ipſam Eccleſiam adhærētem cum terris & pratis totum & ad integrum: & in Montiniaco vineam unam cum caſali uno & campo uno, & campos illos qui pertinebant ad Eccleſiam ſancti *Sixti*, & ſunt de eadem ratione ſancti *Iuliani*, & videntur eſſe cis Alerium fluvium: & in arce Bonrochenſi manſionile unum quod vocatur Valilia cum campis, pratis, vineis, & nemoribus, atque ſylvis. Dantur etiam ei decimæ de ipſa villa Blaneda, totum & ad integrum & omne confugium ejus. Dantur ei in villa quæ vocatur Ortas de caula S. *Iuliani* decimæ omnes, & in ipſa arce, in villa quæ vocatur Bavoſus, medietatem decimarum ad eccleſiam Sancti *Sixti* pertinentium, & in arce Ambronenſi de villa quæ vocatur Grizilionis duas partes decimarum. Hæc omnia ſupraſcripta data ſunt eidem eccleſiæ in honore ſancti *Iuliani*, & ſancti *Privati* in villa quæ vocatur Blaneda fundatæ, ut ea habeat, teneat, atque poſſideat; & ab hodierna die, & deinceps Rector ipſius eccleſiæ cum omni integritate recipiat, & annis ſingulis in feſtivitate S. *Iuliani* quæ evenit V. Kalend. menſis ſeptimi in cenſum ca-

* *Concil. Vvormatienſe c. iii.* Attamen unuſquiſque Epiſcopus meminerit, ut non prius dedicet Eccleſiam, niſi antea dotem Baſilicæ & obſequium ipſius per donationem Chartulæ confirmatum accipiat. Nam non levis eſt iſta temeritas, ſi ſine luminaribus, vel ſine ſubſtantiali ſuſtentatione eorum qui ibidem ſervituri ſunt, tamquam domus privata conſecretur Eccleſia. *V. capitular. l. v. cap. ccxxix.*

nonicis

nonicis S. *Iuliani* ſolidos V. incunctanter ſolvat. Et matri Eccleſiæ Arvernorum debitum obſequium, ut ceteræ capellæ ſimiles, perſolvat. Et ut libellus iſte dotis omni tempore inconvulſus perſeveret & indeficiens, ut hæc pagina dotis firmior ſit, veriuſque credatur, manu propria ſubter eam firmavimus, & ceterorum Canonicorum matris eccleſiæ *Agricolæ* & *Vitalis*, atque Canonicorum ſancti *Iuliani* manibus inſigniri præcipimus, & in calce hujus opuſculi inſeri juſſimus. Et quamdiu Joannes ſacerdos advixerit qui eam fundavit, abſque ullo contradicente regat, & præſcriptum cenſum canonicis S. *Iuliani* perſolvat, & ſi de ipſo cenſu aut negligens extiterit legibus ſe emendet, & quamdiu vixerit, jam dictam capellam non perdat. Ex auctoritate autem Patris, & Filii, in virtute ſancti Spiritus, & lege canonica & verbo noſtro excommunicamus, & interdicendo injungimus, ut nullus eam in diebus vitæ ſuæ auferat, aut nullus Clericus ſuper eum illam accipiat.

V. Fundationem capellæ S. Iuliani dicatæ à Ioanne Archidiacono factam in. Spicileg. R. ac. doct. D. L. Acherii.

Sign. VVILLELMVS Comes.
Sign. AMICVS Archidiaconus.
Sign. RAGEFREDVS. Abbas.
Sign. ARNALDVS Archidiaconus.
Sign. ELDEFREDVS Præpoſitus.
Sign. AVSTORGIVS Abbas.
Sign. ELEDBERTVS, BARNARDVS, RAIANART.

Actum VI. kalend. Januar. apud Claromontem civitatem, regni *Caroli* Francorum & Aquitanorum Principis XL.

VI.

AUTHENTICUM ABBATIS ET CONVENTUS S. DIONYSII DE ECCLESIA NOVÆ VILLÆ.

In quo declarant Epiſcopum Pariſienſem ipſis benignè conceſſiſſe, ut Eccleſiam ædificarent: & de jure Epiſcopi in Eccleſiam ædificatam.

Ex Chartulario Eccleſiæ Pariſienſis.

H. Dei gratia beati Dionyſii dictus Abbas, & ejuſdem loci conventus humilis, omnibus ad quos præſentes

Ddd

litteræ pervenerint, ſalutem in Domino. Noverint univerſi tam præſentes quam futuri, quòd venerabilis M. Pariſienſis Epiſcopus in nova villa beati Dionyſii propè novalia de Tornam Eccleſiam .... ædificandam nobis benignè conceſſit: & ut circadas, ſynodalia, & cetera Parrochialia debita epiſcopo & Archidiacono perſolvat: & fontes, & cimiterium, campanas, & cetera Parrochialia abſque omni exceptione ſicut matrix & baptiſmalis eccleſia obtineat, & proprii ſacerdotis præſentia gaudeat. Ad nos verò tanquam ad patronos ratione territorii ac fundationis jus præſentationis & eligendi ſacerdotem in Eccleſia illa ab Epiſcopo inſtituenda pertineat; ſalvo in omnibus jure epiſcopi, & Archidiaconi, ſicut in aliis Eccleſiis. Quod ut ratum. &c.

VII.

EXPOSITIO MORALIS

DEDICATIONIS ECCLESIÆ.

EX ANTIQUO CODICE DE BENEDICTIONIBUS & conſecrationibus ad uſum Eccleſiæ Anglicanæ.

NAtalem templi hujus diem, fratres dilectiſſimi, Chriſto propitio cum exultatione & gaudio hodie celebramus: & ſolemnitatem matris eccleſiæ Chriſtiani populi colunt, per quam ſe ſpiritualiter renatos eſſe cognoſcunt. Nam qui per primam navitatem vaſa iræ Dei fuimus, per ſecundam vaſa miſericordiæ fieri meruimus. Prima enim nativitas nos produxit ad mortem: ſecunda revocavit ad vitam. Omnes enim nos, fratres cariſſimi, ante baptiſmum fana diaboli fuimus: poſt baptiſmum templa Chriſti eſſe meruimus; & ſi de ſalute animæ noſtræ attentius cognovimus, templum Dei verum & vivum nos eſſe cognovimus. Non ſolùm in manufactis habitat Deus, nec in domo de lignis & lapidibus facta, ſed præcipuè in anima ad imaginem Dei manu ipſius artificis condita. Sic enim beatus Apoſtolus dixit: *Templum enim Dei Sanctum eſt, quod eſtis vos.* Templa enim iſta ideo de lignis & lapidibus fabricantur, ut ibi templa Dei viventia con-

Digitized by Google

gregentur : ac ſic ad templum Dei conveniant. Unus Chriſtianus unum templum Dei eſt, & multi Chriſtiani multa templa. Quàm pulcrum eſt, fratres, templum quod ædificatur de templis, quomodo multa membra faciunt unum templum. Sed iſta templa Chriſti, hoc eſt, ſanctæ animæ Chriſtianæ diſperſæ ſunt per univerſum mundum. Cùm venerit dies judicii, congregabuntur omnia, & in vita æterna facient templum unum. Quomodo multa membra Chriſti faciunt corpus unum, & habent unum caput Chriſtum: ſic & illa templa habebunt ipſum habitatorem Chriſtum, quia membra ipſius ſumus, qui caput noſtrum eſt. Sic dicit Apoſtolus, in interiore homine per fidem habitare in cordibus veſtris Chriſtum. Gaudeamus, quia templum Dei eſſe meruimus, ſed timeamus ne templum Dei malis operibus violemus. Timeamus quod dicit Apoſtolus: *Si quis templum Dei violaverit, diſperdet illum Deus.* Deus enim qui cœlum & terram verbo potentiæ ſuæ ſine ullo labore potuit fabricare, in te dignatur habitare; & ideo ſic debes agere, ut talem habitatorem non poſſis offendere. Nihil ergo in te, hoc eſt, in templo ſuo Deus inveniat ſordidum, nihil tenebroſum, nihil ſuperbum; quia ſi ibi aliquam injuriam pertulerit, citò diſcedit: & ſi redemptor diſceſſerit, ſtatim deceptor accedit. Et qualis erit anima illa infelix, quæ à ſummo Deo deſeritur, & à diabolo occupatur: vacuatur lumine, & tenebris adimpletur: exhauritur dulcedine, inebriatur amaritudine: perdit vitam, invenit mortem: adquirit ſupplicium, & perdit Paradiſum? Et ideo, fratres, quia Deus voluit ſibi de nobis templum facere, & in nobis dignatur jugiter habitare; quantùm poſſumus cum ipſius adjutorio ſtudeamus ſuperflua projicere, utilia congregare, repudiare luxuriam, caſtitatem tenere, contemnere avaritiam, miſericordiam quærere, odium deſpicere, charitatem diligere. Hæc ſi auxiliante Deo facimus, fratres, in templum cordis & corporis noſtri Dominum jugiter invitamus. Unde nos, cariſſimi, ſi natalem templi cum gaudio celebrare volumus, templa Dei viventia malis operibus in nobis deſtruere non debemus. Et hoc dicam, quod omnes intelligere poſſunt. Quoties ad eccleſiam venimus, qualem illam invenire vo-

lumus, tales & animas noſtras præparare debemus. Vis baſilicam nitidam invenire; noli tuam animam peccatorum ſordibus inquinare. Si tu vis, ut baſilica luminoſa ſit: & Deus hoc vult, ut anima tua tenebra non ſit, ſed fiat quod Dominus dicit, ut luceat lux in nobis bonorum operum: & ille qui in cœlis eſt, glorificetur. Quomodo tu intras in Eccleſiam iſtam; ſic Deus vult in animam tuam intrare, ſicut ipſe promiſit, & *habitabo in illis*. Ergo quoties natalem templi cupitis celebrare, ſobrii, pacifici debetis ad Eccleſiam convenire. Et ante plures dies * caſtitatem etiam cum propriis uxoribus cuſtodite, & ſecundum vires veſtras pauperibus eleemoſynam exhibete; Et tunc ſpiritaliter ad natalem baſilicæ, & ad ſanctorum ſolemnitatem veniamus; & quicquid juſte voluerimus à Deo petere, totum merebimus obtinere. Hoc ante omnia oportet, ut quomodo ad Eccleſiam nitidis veſtibus venitis, ita etiam mundis cordibus veniatis. Nihil enim prodeſt, ut nitidus appareas in oculis hominum: ſi ſordidus fueris in oculis Angelorum. Certe, fratres, quando in Eccleſiam intrare & communicare volumus, prius manus noſtras abluimus. Sed opus eſt, ut *a* quomodo per aquam lavamus manus noſtras; ſic per charitatem & eleemoſynam abluamus animas noſtras. Nam nihil prodeſt nitor in corpore, ſi puritas non ſervatur in corde. Si malum eſt & turpe cum ſordidis manibus ad altare accedere, quantum pejus eſt in animam ſordidam corpus & ſanguinem Chriſti ſuſcipere? Si in arcam plenam luto veſtimenta tua non vis mittere, quare in animam plenam peccatis auſus es Chriſti ſacramenta præſumere? Certe & omnes mulieres quando ad altare veniunt, linteola nitida exhibent, in quibus Chriſti ſacramenta percipiant: & bene & juſte faciunt. Sed attendant & conſiderent, ut quomodo nitida *b* linteola exhibent; ſic etiam

* *Notas ad cap. pœnitent. de quæſtionibus conjugiorum.*

a I. Chryſoſt. in homil. quæ inſcribitur ix. de Pœnitentia. Quemadmodum pelves & lavacra cum aqua ſunt, quo manus laves; ſic & pro foribus Eccleſiæ pauperes ſedent, ut animæ manus abluas. Aqua manus corporeas laviſti: eleemoſyna animæ manus lava. *b V. Concilium Autiſiodorenſe c. xxxvii. & ſermonem Auguſtino tributum, ubi hæc leguntur.* Omnes viri, quando communicare deſiderant, lavent manus, & omnes mulieres nitida exhibeant linteamina, ubi corpus Chriſti accipiant. &c. *Hic ſermo inſcribitur cclii. de tempore.*

Digitized by Google

nitidas animas ſuas exhibeant: ne forte, ſi aliter factum fuerit, Chriſti ſacramenta in eis patiantur injuriam. Et ideo, ut corpus Domini noſtri & ſanguinem ejus non ad judicium, ſed ad remedium mereamur accipere, & quantum poſſumus cum ipſius adjutorio laboremus, ne in nobis per mala opera noſtra patiamur injuriam. Omnis enim qui male agit, Chriſto injuriam facit. Sicut enim tu non vis pati injuriam in domo tua; ita & Deus non vult injuriam pati in domo ſua, id eſt, in anima tua. Si ergo non tibi parcis propter teipſum, parce tibi vel propter Dominum, qui te dignatus eſt facere templum ſuum. Omnes enim ebrioſi, adulteri, invidi, vel ſuperbi, Chriſto injuriam faciunt. Omnes fures, & falſi teſtes, omnes ad arbores vel ad fontes vota reddentes, omnes qui caragios & divinos, vel præcantatores, aut propter ſe aut propter ſuos inquirunt, omnes qui tales ſunt, Chriſtum de corde ſuo projiciunt, & Diabolum introducunt. Et qualis eſt infœlix illa anima, quæ contemnit vitam & eligit mortem, lucem deſpicit & tenebras quærit? Omnes enim Chriſtiani, ſicut dixi, qui tales ſunt, quamvis ad Eccleſiam veniant & ad altare communicent; quamvis ſe ſignare frequenter videantur, ſi per pœnitentiam non ſe emendaverint, non Chriſti ſunt, ſed cum Diabolo reprobantur. Illi verò Chriſtiani, qui caſti ſunt, humiles, ſobrii, benigni, qui ad Eccleſiam frequentius veniunt, qui eleemoſynas faciunt, qui pacem & charitatem cuſtodiunt, qui nec falſum teſtimonium dicunt, in iſtis talibus templum Dei integrum cuſtoditur, & Chriſtum in illis habitare cognoſcitur. Et ideo, fratres, & crimina capitalia cum Dei adjutorio fugiamus, & minuta peccata ſine quibus eſſe non poſſumus, cotidianis eleemoſynis inſiſtentes, aſſiduis etiam orationibus redimamus: ne ſicut dixi, Chriſto injuriam faciamus, qui in nobis habitare deſiderat. Duo ſunt enim, qui in nobis habitare deſiderant Chriſtus Dominus noſter, & Diabolus adverſarius noſter. Ambo enim pulſant ad oſtium cordis noſtri. Noli Chriſtum repellere, ſi vis adverſarium non timere. Tene Regem legitimum, & crudelem tyrannum non timebis. Tene lucem, & tenebræ ad te accedere non audebunt. Ama vitam, ut poſſis evadere mortem. Et ideo caſtitatis aromatibus repleamus animam noſtram; eleemoſynis

BIBLIOTECA NAZ. ROMA VITTORIO EMANUELE

dealbemus, & diverſis etiam virtutum floribus adornemus; ut Chriſtum Dominum noſtrum fide invitemus, ſpe paſcamus, charitate potemus; & quotieſcunque feſtivitates fuerint, non ſolum caſto corpore, ſed etiam mundo corde ad Eccleſiam veniamus. Ante omnia nullum hominum odium in corde ſervemus. Qui enim vel unum hominem odio habet, audiat ſcripturam dicentem: *Qui fratrem ſuum odit, homicida eſt.* Et ſi homicida eſt qui fratrem ſuum odit, qua fronte ad altare Domini communicare præſumit? Et ideo qui fecit injuriam, cito veniam petat. Qui factam pertulit, cito indulgeat, ut ſecurus in oratione Dominica poſſit dicere Domino: *Dimitte nobis debita noſtra.* Baptiſmi ſacramentum, fratres, nulli hominum negari poteſt, præcipuè ſi hoc corporis infirmitas exigere videatur. Bonum tamen & legitimum eſt, ut qui ſani ſunt in *a* paſchalem ſolemnitatem ſerventur: & ſecundùm Eccleſiaſticam regulam in diebus quadrageſimæ jejunent, & vigilent: & ad oleum vel ad manus impoſitionem accedant. Qui verò in aliqua feſtivitate filium ſuum baptizare deſiderat, juſtum eſt, ut vel ante ſeptem dies cum ipſo ad Eccleſiam veniat, & ibi jejunet ac vigilet: & filium ſuum, ſicut ſupradictum eſt, ad oleum vel ad manus impoſitionem faciat accedere; & ſic legitimo ordine baptiſmi ſacramenta ſuſcipiant. Qui hæc ita fecerint, & filios ſuos faciunt accipere baptiſmi ſacramentum, & ſibi, dum vigilant & jejunant, adquirunt indulgentiam peccatorum. Qui verò hæc ita, ut diximus, agere noluerit, & ſub hora filium ſuum ad baptiſmi Sacramenta non ingeſſerit, ſciat ſe non leve peccatum incurrere; quia diſſimulavit eum prius ad oleum *b* vel ad manus impoſitionem offerre. Ipſorum autem infantium, fratres chariſſimi, quos in baptiſmo excipitis, ſcitote vos apud Dominum fidejuſſores eſſe: & ideo ſem-

a *Tertull. l. de baptiſmo c. xix.* Diem baptiſmo ſolemniorem Paſcha præſtat; cum & paſſio Domini, in quam tinguimur, adimpleta eſt. *Vide ep. Leonis I. ad univerſos Epiſcopos per campaniam &c. Conc. Gerundenſe c. iv. Tertull. l. de bapt. cap. xx.* Ingreſſuros baptiſmum, orationibus crebris, jejuniis & geniculationibus, & pervigiliis orare oportet, & cùm confeſſione omnium retro delictorum. *Vide epiſtolam Leonis I. ad univerſos per Siciliam conſtitutos. c. iii. & vi.* b *Vide epiſtolam Innocentii I, ad Decentium Eugubinum cap. iii. Hieronym. adverſus Luciferianos.*

Digitized by Google

per eos admonere & caſtigare contendite, ut caſte & ſobrie vivant. Ante omnia ſymbolum eis, & orationem dominicam docete: nec eos verbis ſolum, ſed etiam exemplis ad bona opera provocate. Qui enim caſte, & juſte, & ſobrie vivunt, dum aliis exemplum bonæ vitæ præbent, & pro ſe & pro illis mercedem accipient; Sicut econtrario qui male agunt, & caſtitatem nec juſtitiam ſervant: & quotieſcunque cauſas audierint, munera ſuper innocentes accipiunt, hi tantùm pœnas ſuſtinebunt, quantùm exemplum male vivendi præbuerint. Sed credamus de Dei miſericordia, quòd ita nobis inſpiravit agere, ut non pro malis operibus pœnam poſſimus incurrere, ſed magis pro bonis ad æterna præmia pervenire. Videamus, fratres chariſſimi, tripliciter Eccleſiam inter Chriſtianos poſſe conſtrui. Conſtruitur autem hiſtorice, tropologice, anagogice. Nam nobis Eccleſiam hiſtorice fabricamus, quod nomen interpretatur congregatio, quando de multis lignis lævigatis vel ſectis lapidibus oratorium, in quo Dominum adoremus, conſtruimus. Quam domum manufactam propter fidelium congregationem Eccleſiam nominamus. Hâc figurâ locutionis in ſancta ſcriptura ſæpius utuntur Oratores, ut metonomicè hoc quod continetur, per hoc quod continet, deſignent. Tropologicè autem conſtruitur Eccleſia, quando unitate fidei nos omnes vel multi ad unius laudem & gloriam nominis Dei dicimus: *Credo in unum Deum omnipotentem*, divino inſtructi amore, conſonantes & glorificantes congregamus. Eſt verò Eccleſia anagogicè, quam neceſſe eſt ut fidelis quiſque in corde ſuo ex prædictis virtutibus quaſi multis lapidibus conſtruat: quas etiam virtutes ut lapides limo charitatis Dei & proximi, ne antiqui hoſtis machina vel ariete diſpergantur, conglutinet, ut in æternum in Domino fabrica perſeveret. Ipſo præſtante, qui vivit ac regnat in ſecula ſeculorum. Amen.

V. Notas ad cap. pœnit. de bapt. & confirmat.

VIII.

CHARTA DONATIONIS EPISCOPI LEMOVICENSIS FACTA IN SYNODO PLENA.

In qua Declaratur, quæ ſint neceſſaria ad Capellam juxta Canones conſecrandam, & conſtituendam.

Ex Chartulario Monaſterii Bellilocenſis.

SAcra Canonum jubet auctoritas, & Romanorum Præſulum ſanxit poteſtas, ut omnia negotia Eccleſiarum in Imperatorum proteſtate conſiſtant: & quod Canones ordinaverint aut in Eccleſiis conſervandis, aut deſtructis iterum reædificandis, & qualiter Clerici in eiſdem Eccleſiis conſtituti invenire poſſint, quicquid melius elegerint & ſtatuerint, firma habeantur omni tempore & rata. Idcirco ego *Anſelmus* Lemovicenſium humilis Epiſcopus cum omnibus Eccleſiæ noſtræ Archidiaconibus, Archipreſbyteris quoque & ceteris ſacerdotibus notum eſſe volumus omnibus Eccleſiæ noſtræ filiis præſentibus ſcilicet atque futuris, quia adiit præſentiam noſtram venerabilis vir *Garulfus* Abbas Belli loci Monaſterii cum Monachis inibi Deo militantibus: petiitque, ut Cappellam à ſe noviter ædificatam more Epiſcopali conſecraremus, Annuentes autem precibus ipſius, & dignum invenientes hoc facere nos debere, aſſenſum præbuimus, ut præfatam Capellam in honorem ſancti *Petri* in villa quæ Favars dicitur conſecraremus. Eſt autem ipſa Capella in fiſco qui vocatur Cameyracus, quem *Radulfus* Bituricenſium Archiepiſcopus per Regale præceptum à Carolo glorioſiſſimo Francorum Rege impetravit, & ſuprà dicto Monaſterio contulit, Fuerant namque in ipſo fiſco, ubi præfata Capella conſtructa eſt, Eccleſiæ tres, ſed vetuſtate conſumptæ uſque ad ſolum ſunt deſtructæ, & decimæ ad eaſdem Eccleſias pertinentes à vicinis Eccleſiis ſunt poſſeſſæ. Cernentes autem nos præfatam Capellam canonicè ſtare non poſſe, ſi ſacerdos in ea degens unde viveret aliquid non haberet: aliquid de decimis ex prædicto fiſco à vicinis Eccleſiis per voluntatem ſa-

Digitized by Google

ſacerdotum inibi conſiſtentium ſubtraximus : & præfatæ Capellæ condonavimus de parrochia Cauveracem Eccleſiæ ſancti *Stephani* in villa Favars manſos tres, in Campagniaco villa ex prædicta Parrochia manſos ſeptem, in Ocóne villa ex prædictâ Parrochiâ Cambacenſi manſum unum, ex parrochia ſancti *Germani* in Coubruſſe villa manſos tres, ex Parrochia ſancti Maxentii in Deviliolas manſos tres. Obſecramus itaque omnes ſucceſſores noſtros, ut noſtræ auctoritatis ordinationem inconvulſam manere permittant: & ut pleniorem obtineat firmitatem, manu propriâ ſubterfirmavimus & Archidiaconorum noſtrorum & ſacerdotum ſubſcriptione munivimus, inſuper & ſigilli noſtri impreſſione ſignari juſſimus.

EGESIUS Archidiaconus ſubſcripſit.
AIMARIUS Archidiaconus ſcripſit.
DANIEL Archidiaconus ſubſcripſit.
DONADEUS Archipreſbyter ſubſcripſit.
RICARDUS Archipreſbyter ſubſcripſit.
AMARDUS Archipreſbyter ſubſcripſit.
ENGELEANUS Preſbyter ſubſcripſit.
GAUBERTUS Preſbyter ſubſcripſit.
GARBENTUS Preſbyter ſubſcripſit.
ARNALDUS Preſbyter ſubſcripſit.
OSTEND Preſbyter ſubſcripſit.
MARTINUS Preſbyter ſubſcripſit.

Sig. GERALDI, Sig. IVONUS, S. GERBARDI Sig. ADALRADI, S. BERVICONIS, S. LETURONIS.

Ego ADALGARNIS in vicem ANSELLINI roboravi. Actum hoc Lemovicas civitate in ſynodo plena II. Non. Novemb. anno Incarnat. Dominicæ D. CCCXCVII. Indictione prima, regnante ODONE Rege, anno X. Ordinationis quoque Domini ANSELMI Pontificis anno XXVIII.

IX.

PATRONATUS CAPELLANIÆ DE LEMIGNIATO AD EPISCOPUM PERTINET.

ET DE IURAMENTO QUOD CAPELLANUS per Epiſcopum inſtitutus præſtare tenetur ad jus Parochialis in omnibus conſervandum.

Ex Chartulario Eccleſiæ Meldenſis.

EGo *Petrus de Coquino* miles, omnibus præſentes literas inſpecturis, ſalutem in Domino. Notum facimus, nos conceſſiſſe & dediſſe ad opus unius capellæ faciendæ apud Lemigniatum, decimam noſtram de Lunegni, & V. modios vini nomine decimæ in vinea noſtra ibidem ſita: & reſiduum uſque ad valorem decem librarum aſſignavimus in grangia noſtra de Lunegni, donec ad laudationem & æſtimationem ab Archidiacono Brienſi faciendam alibi æque competenter aſſignemus. Dictum autem redditum participet *Herbertus* Preſbyter de Lunegni, quandiu tenebit Parochiam illius loci: & tenebitur habere Capellanum qui deſerviet in dicta capella. Poſt deceſſum autem *Herberti* dicti preſbyteri, vel ſi quid cederet dictæ Parochiæ, dicta Capella habebit proprium Capellanum, & jus patronatus ejuſdem Capellæ erit Epiſcopi Meldenſis. Capellanus autem per Epiſcopum inſtitutus jurabit in inſtitutione ſua fidelitatem Preſbytero de Lunegni de jure Parochiali eidem in omnibus conſervando. Hanc redditus aſſignationem laudavit *Mathæus* miles filius noſter, & permiſimus coram Epiſcopo Meldenſi hoc idem & ab aliis filiis & filiabus noſtris laudari. Actum anno Domini M. CC. XVI. menſe Maio.

Digitized by Google

X.

DE CAPPELLA COMITIS

APUD TRETIATUM,

QUAM EPISCOPUS CONSTRUI CONCEDIT, ſalvo jure matris Eccleſiæ.

Ex Eodem Chartulario.

EGo *Gautherus* de *Caſtellis* Comes ſancti Pauli notum facio præſentibus & futuris, quòd cùm venerabilis pater Dei gratia Meldenſis Epiſcopus mihi miſericorditer conceſſerit, ut ſuper altare conſtructum in domo mea de Tretiato præſentibus me & uxore mea vel noſtrûm altero celebrentur divina, ſalvo jure matris Eccleſiæ loci, donec conceſſionem hujuſmodi ſibi placeat revocare; ſuper hoc eidem grates refero quantas poſſum; nullum ſuper revocatione iſta quantum ipſi placuit obſtaculum impenſurus. Datum anno Domini. M. CC. XVI. menſe April.

XI.

DONATIO CAPELLANIÆ DE TROIACO

Ex aſſenſu Epiſcopi fundatæ ad ipſum pertinet.

Ex Eodem Chartulario.

EGo *Ioannes* de Barris miles, omnibus in perpetuum notum facio, quòd Ego de aſſenſu & voluntate venerabilis patris *P.* Meldenſis Epiſcopi & Preſbyteri de Troiaco quandam cappellaniam fundavi in domo mea de Troiaco: & Capellano qui eam habebit quolibet anno ſignavi quindecim libras annui redditus in decima mea de Croyaco, exceptis decimis bladi & avenæ percipiendis, medietatem videlicet in Natali Domini, & aliam medietatem ad Paſcha; tali modo, quòd Ego vel ille qui decimam, ſuper qua dicti denarii percipientur, ad medietatem acceperit à me, vel alius eam trahere

non poterit, niſi prius bonos plegios Capellano dictæ Capellaniæ dederit quolibet anno de dictis denariis ad terminos nominatos reddendis eidem Capellano. Hanc autem ordinationem & eleemoſynam voluerunt & laudaverunt fide data *Simon* & *Ioannes* filii mei milites, promittentes ſe ſuper hoc rectam garantiam bona fide portaturos. Hæc etiam voluit & laudavit *Henricus* de *Iotro*, de cujus feodo decima mea movet. Ego etiam volui & conceſſi, quòd donatio ejuſdem Capellaniæ ad dictum Epiſcopum & ſucceſſores ſuos pertineat in perpetuum. In cujus rei firmitatem & teſtimonium præſentem paginam ſigillo meo ſigillavi. Actum anno Domini M. CC. XXVI. menſe Aprili.

XII.

DONATIO DUARUM PRÆBENDARUM

IN ECCLESIA DE OISSERIACO

Epiſcopi fundatarum ad ipſum pertinet.

Ex Eodem Chartulario.

EGo *Guillelmus* de *Barris* pater notum facio præſentibus & futuris, quòd ego de voluntate & aſſenſu *Anſelli* bonæ memoriæ Meldenſis Epiſcopi fundavi duas præbendas Preſbyterales in Eccleſia de Oiſſeriaco: & volui & conceſſi, quòd donatio dictarum præbendarum ad dictum Epiſcopum & ſucceſſores ſuos poſt mortem meam in perpetuum pertineret; & adhuc volo & concedo, quòd dictarum præbendarum donatio ad Epiſcopum Meldenſem libere & abſque contradictione aliqua poſt mortem meam in perpetuum pertineat. Quod ut perpetuam firmitatem obtineat, præſentes literas ſigilli mei munimine feci roborari. Actum anno Domini M. CC. XXIX. menſe Januario.

Digitized by Google

XIII.

DE QVODAM ORATORIO CVM LICENTIA Epiſcopi erecto in domo Dominæ de Pleſſeto Placiti, ſalvo in omnibus jure Parochiali.

Ex eodem Chartulario.

P. Dei gratia Meldenſis Epiſcopus, univerſis præſentes literas inſpecturis, ſalutem in Domino. Notum facimus, quòd nos nobili mulieri Dominæ *Mariæ* de *Pleſſeto* de *Placeto* dedimus licentiam erigendi oratorium in domo ſua de Pleſſeto de Placeto in loco honeſto, & faciendi ibi celebrari divina, quandiu nobis & ſucceſſoribus noſtris placuerit, ſalvo in omnibus jure Parochiali. Et ſi curatus Parrochiæ dicti loci conqueratur, quòd in dicto oratorio aliquid fiat contra jus Parochiæ, Nos vel ſucceſſores noſtri ſuper hoc ordinabimus quod viderimus ordinandum; ita quòd ſi aliquis extraneus ex devotione ſua ibi celebrare voluerit, ibi celebrare poterit ſubmiſſâ voce: Si autem dicta Domina voluerit ibi habere capellanum aſſiduum, dictus Capellanus antequam ibi celebret jurabit coram nobis vel ſucceſſoribus noſtris, præſente curato Parochiæ dicti loci, ſi voluerit intereſſe, quòd ſervabit jura & mandata noſtra & ſucceſſorum noſtrorum, & quòd ſervabit jus Parochiale curati Parochiæ ſupradictæ, & poterit dictus Capellanus celebrare in dicto oratorio cum cantu; ita tamen quòd diebus Dominicis & feſtivis non poterit celebrare, niſi poſt pulſationem campanæ elevationis in miſſa Parochiali, nec illis diebus admittet dictus Capellanus ad miſſam ſuam Parochianos de Placiato, niſi illos qui ſunt vel erunt de familia ipſius domus, nec etiam in ſolemnitate *Paſchali*, & *Natalis Domini*, & ſancti *Victoris* celebrabitur in oratorio ſupradicto. Actum anno Domini M. CC. LIII. menſe Martio.

X I V.

QVOD PATRONATVS CAPELLANIÆ fundatæ ad altare beatæ Mariæ Magdalenæ in perpetuum eſt Epiſcopi.

Ex eodem Chartulario.

OMnibus præſentes literas inſpecturis, J. Decanus & Capitulum Meldenſe, ſalutem in Domino. Notum facimus, quòd cùm diſcordia verteretur inter nos ex una parte, & reverendum patrem A. Dei gratia Meldenſem epiſcopum ex altera, ſuper eo quod vir venerabilis Cantor Meldenſis, & alii executores teſtamenti defuncti GVILLELMI de MAROLES militis fundaverant pro anima ipſius defuncti, & juxta voluntatem ejus quandam Capellaniam inſtituendam in Eccleſia Meldenſi ad altare beatæ Mariæ Magdalenæ, & Epiſcopus volebat in ea ponere perpetuum Capellanum, aſſenſu noſtro minime requiſito; & nos opponebamus ſuper hoc eidem Epiſcopo, dicentes aſſenſum noſtrum ſuper hoc debere requiri, Epiſcopo in contrarium aſſerente: tandem inter nos & Epiſcopum compoſitum extitit in hunc modum, quòd dicta Capellania inſtituatur ad altare prædictum, & ſic in perpetuum de patronatu Epiſcopi, ita quòd per hoc factum in nullo nobis, nec Epiſcopo præjudicium generetur, nec jus aliquod adquiratur. Datum anno Domini M. CC. LVIII. die Martis ante ramos palmarum.

XV.

TENOR LITERÆ, PER QUAM FUIT INSTITUTUS DOMINUS SIMON MAGISTER DOMUS S. LAZARI:

UBI DECLARATUR PROVISIONEM ET ordinationem pleno jure ad Epiſcopum pertinere.

Ex Chartulario Eccleſiæ Pariſienſis.

UNiverſis præſentes literas inſpecturis, *Stephanus* permiſſione divina Pariſienſis Eccleſiæ miniſter indignus, ſalutem in filio Virginis glorioſæ. Notum facimus univerſis, quòd nos bonæ memoriæ *Raginaldi* prædeceſſoris noſtri veſtigiis inhærentes, dilectis in Chriſto filiis fratribus & ſororibus leproſis *S. Lazari* Pariſienſis, quorum proviſio & ordinatio pleno jure ad nos pertinet, dilectum filium *Simeonem* preſbyterum ſanctæ *Trinitatis* de Caſtro forti virum utique providum & diſcretum ac in temporalibus circumſpectum pro bono & utilitate dictæ domus eiſdem fratribus & ſororibus uſque ad noſtrum beneplacitum conceſſimus, & concedimus in magiſtrum ac etiam Proviſorem: eidem *Simoni* curam omnimodam tam in ſpiritualibus quàm in temporalibus, & generalem adminiſtrationem ipſius domus, & omnium pertinentium ad eam totaliter committentes: interdicentes nihilominus auctoritate præſentium expreſſe univerſis aliis perſonis dictæ domus omne genus officii, ſeu adminiſtrationis, vel receptionis, niſi de mandato ipſius & licentia ſpeciali: mandantes expreſſe, ut omnes perſonæ dictæ domus & pertinentium ad eam, dicto *Simoni* tamquam magiſtro ipſorum obediant & intendant. Datum anno Domini M. CC LXX. die Mercurii in craſtino Nativitatis beati Joannis Baptiſtæ.

XVI.

LITERÆ EPISCOPI PARISIENSIS per quas Sanſon de Criſtolio Presbyter inſtitutus fuit Magiſter leproſorum S. Lazari.

Ex eodem Chartulario.

V. infrà de hac re ſententiam latam pro autoritate Epiſcopi.

STephanus permiſſione divina Pariſienſis eccleſiæ miniſter indignus, dilecto filio *Sanſoni* de *Criſtolio* Preſbytero, ſalutem in Domino. Cùm per mortem *Stephani* Magiſtri domus leproſariæ S. *Lazari* Pariſienſis, quem bonæ memoriæ Dominus *Raginaldus* prædeceſſor noſter primò ac poſtmodum in dicta domo inſtituerat magiſtrum, ad præſens domus ipſa careat legitimo adminiſtratore, quo non poteſt diutius abſque gravi detrimento carere; Nos de tua circumſpectione plenam gerentes in Domino fiduciam, te Magiſtrum & adminiſtratorem dictæ domus inſtituimus, & ejus admiſtrationem tibi committimus, donec eam duxerimus revocandam. Unde tibi mandamus in virtute obedientiæ, quatenus ad locum ipſum perſonaliter accedas, & officium prędictum reverenter ſuſcipiens illud tam fideliter exequaris, quòd Deo & nobis dignam laudibus poſſis reddere rationem. In cujus rei teſtimonium præſentes literas ſigillo noſtro fecimus ſigillari. Datum anno Domini M. CC. LXX. die Dominica poſt inventionem ſanctæ crucis.

XVII.

INSTITUTIO CAPELLÆ BEATÆ BACHINÆ In Eccleſia de Chora, & Capillani pertinet ad dominum Epiſcopum.

Ex Chartulario Eccleſiæ Lingonenſis.

LUdovicus miſeratione divina Lingonenſis Epiſcopus. Notum facimus univerſis præſentes literas inſpecturis, quòd advertentes devotionem, quam habet Dominus *Guido* de Chora miles circa divinum cultum, & ut in eo plus creſcat

eat ipſa devotio, in futurum concedimus eidem militi, ac damus licentiam ſpecialem, * quòd ipſe in Eccleſia curata ſancti *Benedicti* de *Chora* noſtræ Diœceſis poſſit capellam & oratorium perpetuum facere conſtitui ad honorem beatæ Virginis martyris *Bachinæ*. Quod oratorium fundando de bonis ſuis idem miles, prout nobis promiſit, dotare debet, ut ſervitor inde victum habeat oratorii memorati. Et eſt ſciendum, quòd nos eidem militi prædictum conceſſimus, jure dictæ parochialis Eccleſiæ ſemper ſalvo. Et ad cautelam à prudente viro Domino *Ioanne* de *Beſua* curato dictæ Eccleſiæ relationem recepimus ſub juramento præſtito per eumdem, quòd dicta fundatio poteſt fieri abſque læſione dictæ Eccleſiæ: imò ad Dei & ipſius honorem perpetuum cultus divinus augmentabitur in eadem. Retentum tantùm eſt per nos conſentiente dicto milite ac volente, quòd jus præſentandi vicarium perpetuum ad dictam capellam regendam dicto militi & ſuis ſucceſſoribus pertineat, & nobis de ipſo vicario præſentato inſtitutio, noſtriſque ſucceſſoribus univerſis. Concedentes inſuper dicto militi, quod ſibi & nobili conſorti ſuę per annum proximum in hoſpitio ſuo per capellanum Catholicum, ſalvo jure dictæ parochialis Eccleſiæ, divina officia cum altari Viatico liceat facere celebrare. Datum, ... caſtri noſtri cum appoſitione ſigillorum noſtrorum, & militis, in teſtimonium præmiſſorum. Anno Domini M. CCC. XIX. die Jovis poſt feſtum beati *Barnabæ* Apoſtoli.

* *Capitular. lib. v. cap. clxxxii.* Placuit nobis, ut ſicut ab Epiſcopis & reliquis ſacerdotibus ac Dei ſervis admoniti fuimus, ne capellæ in noſtro palatio, vel alicubi ſine permiſſu Epiſcopi, in cujus eſt parochia, fiant.

XVIII.

INSTITUTIO DUARUM CAPELLARUM ab Epiſcopo facta, ſalvis in omnibus juribus Eccleſiæ Parochialis.

Ex Chartulario Eccleſiæ Lingonenſis.

UNiverſis præſentes literas inſpecturis, *Ludovicus* permiſſione divina Lingonenſis Epiſcopus, ſalutem in Domi-

no ſempiternam. Conſiderantes ſalubrem devotionem, & ferventem affectum, quem Dominus *Ioannes* de *Aranther* noſtræ diœceſis miles ad Eccleſiam gerit, & ad augmentum divini cultus, quem totis viribus ampliare deſiderat in futurum, eidem domino *Ioanni* auctoritate ordinaria damus & concedimus licentiam Epiſcopalem, quod ipſe in capella domus ſuæ de *Aranther* poſſit fundare, conſtruere, & facere conſtrui duo oratoria & duas capellas, unam videlicet ad honorem beatiſſimæ *Mariæ Virginis*: aliam ad honorem beati *Pauli* Apoſtoli, in quarum quamlibet dictus miles aſſignare tenetur quindecim libras ære æſtimatas legitimo ſecundùm conſuetudinem Campaniæ & admortificatas; & tenebuntur Capellani inſtituendi ibidem deſervire ſecundùm bonam ordinationem dicti domini *Ioannis*, ſalvis * in omnibus juribus Rectoris Parochialis Eccleſiæ dicti loci de *Aranther*. Cui rectori & ejus juribus per conceſſionem præſentem nolumus in aliquo præjudicium generari: ſed ſua jura ſemper volumus intacta ſervari, & manere illæſa. Ad quæ quidem Oratoria, ſeu quas capellas, & earum quamlibet, dictus miles & ejus heredes, ſeu ſui ſucceſſores, Nobis, & noſtris ſucceſſoribus Epiſcopis Lingon. poterit, & poterunt perſonas idoneas præſentare: & Nos, & ſucceſſores noſtri Epiſcopi Lingon. præſentandos nobis per dictum militem, & heredes, ſeu ſucceſſores ſuos, ad dicta oratoria ſeu capellas admittere, & ipſos ibidem inſtituere tenebimur. In cujus rei teſtimonium nos *Ludovicus* prædictus ſigillum noſtrum præſentibus literis unà cum ſigillo dicti militis duximus apponendum. Et ego *Ioannes* dominus de *Aranther* prædictus omnibus prædictis, prout ſcripta ſunt & expreſſa, conſentio, laudo, & approbo: & ea omnia & ſingula adimplere promitto. Et ut prędicta firma ſint, me & meos heredes, & bona mea, & hæredum meorum prę́ſentia & futura propter hoc obligo. In cujus rei teſtimonium ſigillum meum unà cum ſigillo reverendi patris ac Domini *Ludovici* Dei gratia Lingon. Epiſcopi duxi ap-

* *Concil. Londinenſe ſub Clemente P.P. IV. c. xvii.* Eccleſiaſticæ quidem providentiæ pietas, alteri per alterum non vult iniquam conditionem afferri: ſed quando privata perſona capellam propriam deſiderat obtinere, quod, cauſa juſta mediante, conceſſerit, ſemper adjicere conſuevit, ut id fiat ſine juris præjudicio alieni.

Digitized by Google

ponere in teſtimonium præmiſſorum. Datum & actum die Sabbathi poſt feſtum beatæ *Mariæ Magdalenæ* anno Domini M. CC. XIX.

XIX.

CAPELLA DE PETRA SICCA eſt de inſtitutione Domini Epiſcopi: & pro præſentatione debetur homagium Domino Epiſcopo.

Ex eodem Chartulario.

UNiverſis præſentes literas inſpecturis, *Simon* dominus de *Petra Sicca*, ſalutem & dilectionem. Cùm bonæ memoriæ defunctus *Arnulphus* de *Remel* pater noſter in terra, quæ eſt & manet de feodo venerabilis patris *Hugonis* Dei gratia Lingonenſis Epiſcopi, quamdam capellam & capellaniam conſtruxit & ædificavit, pro quibus nos ſumus homines dicti Epiſcopi, & eidem homagium fecimus de prędictis: Patris noſtri defuncti veſtigiis adhęrere volentes, vacantibus prę-miſſis videlicet capella & capellania, eidem Epiſcopo capellanum idoneum pręſentavimus, qui eumdem ad pręſentationem noſtram benigne excepit. Succeſſores verò noſtri prędictam capellam, & capellaniam, & earum pręſentationem tenere debent in feodum & homagium ab Epiſcopo Lingonenſi, qui pro tempore erit, quia prędeceſſores noſtri omnia prędicta ſimiliter in feodum & homagium à prædeceſſoribus dicti epiſcopi tenuerunt. In cujus rei teſtimonium præſentibus literis ſigillum noſtrum appoſuimus. Actum anno Domini M. . . . . in feſto Apoſtolorum Petri & Pauli.

XX.

LITERA DE ALTARIBVS FVNDATIS; in Eccleſia S. Petri Tornodorenſis per capitulum conferendis, ex collatione & conceſſione Domini Epiſcopi.

Ex eodem Chartulario.

NOs præpoſitus & Capitulum Canonicorum Tornodor, notum facimus univerſis præſentes literas inſpecturis, quod cùm reverendus Pater Dominus Epiſcopus Lingonenſis nobis contulit & conceſſit, quod nos altaria fundata & fundanda in eccleſia noſtra conferamus, & hujuſmodi collationem & conceſſionem nobis per ſuas literas confirmavit, ipſaſque collationem & confirmationem venerabilis vir Decanus & Capitul. Lingonenſ. voluerint, conceſſerint, ac ratum habuerint, prout in eorum literis continetur: Nos volumus & concedimus, quod niſi altaria vacantia concorditer contulerimus infrà quindecim dies à tempore ſcientiæ vacationis, collatio deveniat illa vice ad dictum Dominum Epiſcopum, vel ad ejus ſucceſſores epiſcopos Lingon. In cujus rei teſtimonium præſentes literas ſigillo noſtro tradidimus roboratas. Actum anno Domini M. CC. LX. menſe Maio.

XXI.

LITERA INNOCENTII II. SVPER præſentatione Rectoris Eccleſiæ Grandis Caſtri.

Ex Chartulario Eccleſiæ Toloſanæ.

INnocentius Epiſcopus ſervus ſervorum Dei, dilecto filio noſtro Comiti Toloſano; ſalutem & Apoſtolicam benedictionem. Gratum gerimus & acceptum, devotionem tuam dignis in Domino laudibus commendantes, quod, ſicut à te accepimus, in loco ſilveſtri & inhabitato à tempore cujus memoria non exiſtit Agenſis diœceſis quoddam caſtrum ædificas, quod vulgariter dicitur Grande Caſtrum; & de aſſenſu venerabilis fratris noſtri Agenſis epiſcopi, qui nobis pro te

ſuper hoc humiliter ſupplicavit, ecclefiam parochialem intendis propriis ſumptibus conſtruere ac dotare, nobis humiliter ſupplicans, ut præſentationem rectoris in ea tibi concedere curaremus. Nos igitur tuis devotis ſupplicationibus benignum impartimur aſſenſum, quod in eccleſia ipſa rectorem habeas præſentandi auctoritatem. Nulli ergo hominum liceat hanc paginam noſtræ conceſſionis infringere, vel ei auſu temerario contraire. Si quis autem hoc attentare præſumpſerit, indignationem omnipotentis Dei & beatorum Petri & Pauli Apoſtolorum ejus ſe noverit incurſurum. Datum Lugdun. VIII. Kalend. Mai. Pontificatus noſtri anno quarto.

XXII.

INDULGENTIA CLEMENTIS III. SUPER libera donatione Præbendarum Eccleſiæ Pariſienſis, quæ ab antiquo ad Epiſcopum pertinet, nullo obſtante privilegio impetrato.

Ex Chartulis Eccleſiæ Pariſienſis.

C*Lemens Mauritio* Epiſcopo. Licet præpoſiti ſimus, ut jura venerabilium fratrum & Coepiſcoporum noſtrorum propter commune debitum quo tenemur omnibus ſpecialiter conſervare velimus; quia tamen petentium inſtantiam metuens, conceſſionem præbendarum ad te pertinentium tibi ex abundanti poſtulas confirmari, petitionem tuam in hac parte duximus admittendam. Ideoque Apoſtolica auctoritate ſtatuimus, ut, ſicut prædeceſſoribus tuis & tibi licuit ab antiquo ſit etiam liberum in futurum, cùm præbendas ipſas vacare contigerit, eas perſonis idoneis aſſignare nullis obſtantibus literis, ſi quæ in tui juris præjudicium à Sede Apoſtolica fuerint hactenus impetratæ; nec obſtante inveſtitura, ſi qua earum occaſione ab alio facta dicatur. Datum. *cetera deſunt.*

CAPUT II.

DE STATUTIS ECCLESIARUM.

ARTICULUS PRIMUS.

Statuta Eccelſiarum præſtantiſſima exhibentur.

I.

STATUTA SELECTA EX STATUTIS
ECCLESIÆ MORINENSIS.

I. De Convocatione Capitulorum.

QUolibet anno tria capitula habentur generalia, in quibus * de ſpiritualibus & temporalibus tam in generali, quam in ſpeciali eſt tractandum.

* *Conc. Aurel.* III. *c.* I. In ſynodali conventu primùm definiri quæ Dei ſunt, poſtmodum humana. *Vide Conc. Arvernenſe. c.* I.

VIII. De canonicis qui abſque diſpenſatione ſe abſentaverint ab Eccleſia per majorem partem quadrageſimæ.

Si ab Eccleſia Morinenſi abſque diſpenſatione Decani & Capituli abſentaverint per majorem partem quadrageſimæ, valorem dictarum amigdalarum Burſario ſeu receptori burſæ obituum reſtituere ſeu reddere ad plenum tenentur: * & nihil debent habere ſecundum antiquam conſuetudinem.

* *Conc. nomine iv. Carthag. c. xlix.* Clericus qui abſque corpuſculi ſui inæqualitate vigiliis deeſt, ſtipendiis privetur. *Excommunicatur à ſynodo S. Patricii c. vii.*

XII. De Infirmis & Valetudinariis.

Item de licentia Decani vel ejus tenentis,* infirmi & valetu-

* *Conc. Veneticum c. xiv.* Clericus quem intra muros civitatis ſuæ manere conſtiterit, & à matutinis hymnis ſine probabili excuſatione ægritudinis inventus fuerit defuiſſe &c.

dinarii intra muros Parochialis Eccleſiæ ſuam reſidentiam facientes in omnibus, in quibus Canonicorum præſentia requiritur, præſentes reputantur.

XVII. De Canonicis tranſeuntibus.

Item ordinatum fuit, quòd Canonicus, vel Canonici dictæ Eccleſiæ tranſitum facientes per civitatem Morinenſem, panem unius Canonici lucrabuntur, ac ſi fuerint reſidentes.

XIX. De Canonicis qui tardius intrant ad Capitulum, & citius recedunt abſque licentia.

Item Preſbyteros, Diaconos, Subdiaconos, Canonicos, qui pulſato ſigno, prout moris eſt, ad Capitulum ipſum non intraverint infra pſalmum: *Quicumque vult*, priventur emolumento ipſius capituli. Poſt ingreſſum verò eorumdem non recedant abſque licentia, niſi magna urgente neceſſitate, donec fuerit completum. Quòd ſi receſſerint, careant emolumento.

XX. De clandeſtinis Convocationibus non faciendis.

Prohibemus inſuper clandeſtinas convocationes, & capitula particularia fieri. Sed cùm aliquid, quod tangat Eccleſiam, fuerit faciendum, pulſata campana & convocato capitulo debite fiat. Convocato autem omnium conſilio ſecundùm quod juſtum fuerit & honeſtum, & Abbatum maxime ſeu aliorum prælatorum confirmationes clam vel repentine fieri prohibemus. Imo præſentata electione Capitulo, confirmatio ad minus in triduo differatur, ut libere cuncti poſſint intereſſe perſonaliter, quando alicujus electio confirmanda fuerit vel infirmanda. Et hoc ſine ſpe * muneris, vel promiſſione, vel pacto procedat de omnium ſcientia, aſſenſu, vel conſilio, prout dictaverit ordo juris. Alioquin, contrarium facientes excommunicationi ſubjaceant ipſo facto. Et ſi quiſquam pro confirmatione vel infirmatione, Decanatu, vel Cantoria, vel beneficio Eccleſiaſtico, vel licentia ordinum ſeu

* *Vide præſertim S. Gregorii magni epiſtol. l. liii. lvi. lib. iv. Regiſtr. epiſt.*

alia re Eccleſiaſtica dare vel recipere quiſquam præſumpſerit, dans & accipiens ipſo facto excommunicationi ſubjaceant, & quadruplum teneantur reſtituere : infameſque effecti omni ſpe totius honoris Eccleſiaſtici perpetuò maneant denudati.

XXI. De Prioritate in Eccleſia.

Item Preſbyter noviſſime Canonicus conſtitutus vel ordinatus, inter Preſbyteros* noviſſimum tenebit locum. Quod in aliis ordinibus teneri præcipimus, & mandamus.

* *V. cap. Theod. Patribus Conc. Herudfordiæ oblata à Theodore preſidente.*

XXII. Quod canonici non habent vocem in capitulo, niſi fuerint in ſacris ordinibus conſtituti.

Item nulli dictæ eccleſiæ Canonici cujuſcumque ætatis, dignitatis, vel nobilitatis fuerint, vocem habeant in capitulo; niſi fuerint in ſacris ordinibus conſtituti. Poteſt tamen eos vocare Capitulum, & rogare, ſi expedire videat pro ipſorum habendo conſilio; quo præſtito ab eiſdem, exire capitulum tenebuntur.

XXVII. Quod beneficia non poſſunt conferri, niſi in Capitulis generalibus vel Kalendis.

Item inhibemus beneficia eccleſiaſtica, Parochias, Vicarias, vel alia ad Capitulum ſpectantia conferri, niſi in capitulis generalibus vel Kalendis, quæ Decanus per ſe dare non poteſt. Sed quæſtio debet differri uſque ad Kalendas venturas.

XXIX. De literis ſigillandis.

Item nullæ literæ ſigillentur ſigillo Capituli, niſi in pleno Capitulo lectæ fuerint & conceſſæ.

XXXIII. De muneribus non recipiendis.

Præterea etiam ſub pœna perjurii ſtatuimus & ordinamus, ne aliquis de Canonicis noſtris, dum decimæ ad nos & noſtram eccleſiam ſpectantes ad cenſuram tradentur ſeu ponentur, à

reci-

recipientibus eadem ſeu recipere volentibus, donum, munus, & præmium recipere præſumat ex promiſſione quacumque directe vel indirecte facta.

XLI. Quod nonniſi de legitimo matrimonio procreati recipi debeant.

Secundum jura & ſanctiones ad præbendas, dignitates, perſonatus & officia eccleſiarum maxime Cathedralium nullus debet admitti, niſi de legitimo matrimonio & libero ventre fuerit procreatus. Nos enim Decanus & Capitulum Morinenſe, plena deliberatione habita, & matura, in noſtro capitulo generali ordinamus & ſtatuimus unanimes & concordes, quòd de cetero nullum Canonicum recipiemus, nec ad prædicta beneficia admittemus, niſi de legitimo matrimonio fuerit procreatus. Et ne forte contra prædicta jura venire vel facere contingat, & contra ordinationem prædictam & ſtatutum, prout nobis licet & licitum eſt, de jure & conſuetudine ordinare vel facere jûramus, prout melius de jure poſſimus, ſtatutum & ordinationem hujuſmodi nos inviolabiliter obſervaturos.

LXXI. De Canonicis, qui ſine cappa vel ſupercilicio ingrediuntur Eccleſiam, aliis pſallentibus.

Item ſi Canonicus vel Chori Clericus aliis pſallentibus ſine cappa vel ſupercilicio in eccleſia comparere præſumpſerit, ab introitu Chori per quadraginta dies ſit ſuſpenſus: & interim beneficium ex Choro proveniens amittat totaliter, quavis gratia non obſtante.

LXXIII. De Tabernis non frequentandis.

Item nullus Canonicus vel alius de Choro exiſtens in villa Morinenſi tabernam occaſu potationis intrare præſumat. Quòd ſi fecerit per ſeptem dies & noctes continue chorum frequentet, careatque omnino ſtipendiis & emolumentis debitis aſſignari conſuetis chorum frequentantibus antedictum.

Ggg

LXXIV. De aliis locis ſuſpectis.

Item inhibemus omnibus & ſingulis Canonicis, Capellanis, Vicariis, & Clericis antedictæ eccleſiæ, ne aliquas domos frequentent, de quibus poſſet oriri ſiniſtra ſuſpicio contra eos.

LXXV. De tribus Canonicis cum Decano eligendis ad reformandum Capitulum.

Item ſtatuimus & ordinamus, quòd anno quolibet in Capitulo generali eligantur tres idonei à Capitulo dicto & Decano, quibus tradatur poteſtas ab eiſdem corrigendi & reformandi unà cum Decano in notoriis & manifeſtis, quæ viderint & invenerint corrigenda in perſonis & circa ſtatum Eccleſiæ reformandum. Ita quòd quæ corrigenda & reformanda invenerint, per juramentum ab eis præſtitum infra menſem à poteſtate ſibi tradita ſuper hoc reforment, & corrigant cum effectu. Et qui eorum correctioni parere noluerit, ipſo facto ab introitu chori & perceptione diſtributionum, donec paruerit, ſit ſuſpenſus.

II.

STATVTA SVMMORVM PONTIFICVM ET ALIORUM &c.

I. STATUTUM PASCHALIS II.

DE NON ALIENANDIS ECCLESIÆ POSSESSIONIBVS:

Et ne quiſquam bona decedentis Epiſcopi ſubtrahat.

Ex ejuſdem epiſtola ad Hugonem Gratianopolitanum, quæ legitur in Chartulario Eccleſiæ Gratianopolitanæ.

PAſchalis Epiſcopus ſervus ſervorum Dei, venerabili fratri *Hugoni* Gratianopolitano Epiſcopo, ſalutem & Apoſtolicam benedictionem. Religioſis deſideriis dignum eſt facilem præbere conſenſum, ut fidelis devotio celerem ſortiatur effectum. Eapropter deſideriis tuis, Reverendiſſime frater, benignius aſſentimur: & Eccleſiam Gratianopolitanam, cui Deo auctore præſides, decreti præſentis auctoritate munimus. Statuimus enim & auctoritate Apoſtolica interdicimus, ne quis ſucceſſorum veſtrorum occaſione aliqua præſumat donare, vendere, vel alienare terras, poſſeſſiones, Eccleſias, decimas, ſeu cenſus Eccleſiarum, & cetera quæ vel per anteceſſores tuos vel per tuam induſtriam adquiſita fraternitas tua poſſidet: vel in poſterum tu ſucceſſoreſque tui largiente Domino Eccleſiæ adquiſituri eſtis. Si quis autem vel vendita vel

donata ſuſceperit, donec illa reſtituat, excommunicationi ſubjiciatur. Illud etiam pariter interdicimus, ne poſt tuum, vel tuorum ſucceſſorum obitum, quiſquam palam furtimve audeat bona ipſa ſubtrahere, donec paſtor per Dei gratiam ſubſtituatur Eccleſiæ. &c. Datum Laterani per manum *Ioannis* ſanctæ Romanæ Eccleſiæ Diaconi Cardinalis ac Bibliothecarii XIV. Kalend. Maii, indictione III. anno M. C. IX. Incarnationis Dominicæ, Pontificatus autem Domni *Paſchalis* II. Papæ anno X. Ego *Paſchalis* Catholicæ Eccleſiæ Epiſcopus ſubſcripſi, &c.

II. STATUTUM PASCHALIS II.

PRO EXTIRPANDIS PRAVIS conſuetudinibus, & obſervandis Canonibus.

Ex cod. Mſ. privileg. Eccleſiæ Carnotenſis.

PAſchalis epiſcopus ſervus ſervorum Dei, venerabili fratri J. Carnotenſi epiſcopo, & totius Capituli fratribus, ſalutem & Apoſtololicam benedictionem. Audivimus in regionum veſtrarum eccleſiis quaſdam pravas conſuetudines emerſiſſe, & in eccleſia præcipuè vigere: ſuper hæc etiam quædam contra Canonum ſtatuta præſumi. Nos verò ſanctorum patrum ſtatuta ſequentes, & ab omnibus ea intemerata ſervari volentes, eaſdem conſuetudines penitus abdicamus, & ſancti Spiritus auctoritate prohibemus, ut pro præbendis vel eccleſiaſticis beneficiis munus aliquod exigatur. Præcipimus etiam, ut Clerici qui negotia eccleſiaſtica ad ſeculares poteſtates deferentes eccleſiam gravant, infames habeantur, donec condignè ſatisfaciant: de concubinarum filiis, quod à prædeceſſoribus noſtris ſtatutum eſt, inconvulſum ſerveturs ut qui non præcedente canonica excuſatione ſe promoveri non permittunt, ſuis reddantur minoribus inferiores: Secundum capitulum Cartaginenſe & ſecundum inſtitutum Papæ *Gelaſii* plus accipiat Preſbyter, quàm Diaconus: Diaconus, quàm Subdiaconus: & qui ſtudioſius militat, tardioribus plus ſtipendiorum accipiat; ut ornamenta eccleſiæ nemo vendat aut diſtrahat, niſi pro ea neceſſitate, quam Canones permit-

tunt : Et qui aliter fecerit, ſacrilegii reus & Canonum contemtor habeatur. De his autem, quæ apud vos precariæ dicuntur, quod tua fraternitas diſpoſuerit, nos ratum habemus. Illam ſane excommunicationem, quam de domibus, quæ æcleſiæ tuæ contiguæ fuerant, pro ejúſdem æccleſiæ utilitate dictaſti, nos aſſertionis noſtræ auctoritate firmamus. Datum Beneventi III. Idus Novembris.

III. STATUTUM GAUFRIDI

EPISCOPI CARNOTENSIS,

CONTRA SIMONIACAM PRAVITATEM à Calixto II. confirmatum, qui addit alterum ſtatutum de obedientiâ & reverentiâ Canonicorum erga Epiſcopum Carnotenſem.

Ex codice Mſ. privileg. Eccleſiæ Carnotenſis.

CAlixtus Epiſcopus ſervus ſervorum Dei, venerabili fratri *Gaufrido* Carnotenſi Epiſcopo, ſalutem & Apoſtolicam benedictionem. Quæ religionis & honeſtatis proſpectu in Dei Eccleſia ſtatuuntur, inconcuſſa debent ſtabilitate ſervari; ſiquidem, frater in Chriſto cariſſime, de commiſſa tibi Eccleſia omnem ſimoniacam expellere deſiderans pravitatem, aſſenſu Decani, Præcentoris, Subdecani, Succentoris, & ceterorum prælatorum Eccleſiæ ſtatuiſti, congregatione fratrum ad ipſum approbante atque unanimiter poſtulante, ut nec Decanus, nec Pręcentor, nec Subdecanus, nec Succentor, nec ulla aliqua Eccleſiaſtica perſona, vel Canonicorum quiſquam de honoribus æccleſiæ vel præbendis quicquam exigat, vel accipiat, vel per ſe, vel per ſuppoſitam manum: Nullus etiam eorum qui canonici fiunt, pro præbenda quicquam det, vel promittat, aut per ſe ſimiliter, aut per ſuppoſitam manum: neque poſt deceſſum prælatorum qui nunc in Eccleſia veſtra vivunt, ullus vel Decanus, vel Præcentor, vel Subdecanus, vel Succentor, in locum ipſorum ſtatuatur, quouſque in communi capitulo liquido juret pro officio ſuo ſe nihil dediſſe vel promiſiſſe, quouſque etiam juret ſe pro præbendis nihil exacturum vel accepturum, aut per ſe, aut

per ſuppoſitam manum : ſimiliter poſt deceſſum ſimplicium Canonicorum qui modo in Carnotenſi Eccleſia vivunt, nullus in locum eorum Canonicus efficiatur, niſi ante in communi capitulo juret, vel tutor ejus pro eo, ſi ipſe infra annos fuerit, ſe pro præbenda nihil dediſſe, aut promiſiſſe, nec per ſe, nec per ſuppoſitam manum. Hanc itaque conſtitutionem ad honorem Dei & animarum ſalutem à fraternitate tua proviſam, nos preſtante Deo auctoritate ſedis Apoſtolicæ confirmamus, & ratam in poſterum permanere ſancimus. Præterea debitam volentes eccleſiæ veſtræ reverentiam conſervari, decernimus, ut Canonici ſancti *Martini* de *Valle* ab obedientia epiſcopi Carnotenſis, & eccleſiæ non recedant, ſicut ipſi eis in capitulo promiſerunt. Si quis igitur confirmationis hujus tenore cognito, temere, quod abſit, contraïre tentaverit, excommunicationis ultione plectatur, niſi preſumptionem ſuam digna ſatisfactione correxerit. Prebendam Leproſis & eleemoſynæ beatæ Mariæ datam, & diviſionem prebendæ duobus preſbyteris eccleſiæ ſervitoribus diſtributam firmamus.

IV. STATUTUM HONORII II.

DE FRUCTIBUS PRÆBENDARUM A Canonicis percipiendis, qui abſentes dici non debent, ſed præſentes; quandiu cum Epiſcopo pro Eccleſiæ ſervitio commorantur.

Ex Chartulario Eccleſiæ Meldenſis.

HOnorius epiſcopus ſervus ſervorum Dei, venerabili fratri epiſcopo, ſalutem & Apoſtolicam benedictionem. Ex parte fuit propoſitum coram nobis, quòd cùm in Meldenſi eccleſia quedam ſit conſtitutio inita, juramento vallata, & auctoritate ſedis Apoſtolicæ confirmata, ut videlicet ejus Canonici qui per ſex menſes non reſederint, in eadem ſuarum priventur fructibus prebendarum, illis duntaxat exceptis, quos infirmitas proprii corporis excuſaret, ſive ad Apoſtolicam ſedem accedere, vel in ejus ſervitio contingeret detineri, quouſque peregrinationis labor aut ſtudia traherent litera-

rum: Decanus & quidam alii Canonici Meldenſis Eccleſiæ occaſione conſtitutionis hujus Canonicos in tuo ſervitio commorantes prębendarum ſuarum privare fructibus moliuntur. Unde cùm plurimum tibi expediat aliquos Canonicorum ipſorum in tuo ſervitio retinere, nobis humiliter ſupplicaſti, ut ſuper hoc neceſſitati tuæ Apoſtolicæ dignaremur proviſionis moderamine providere. Volentes igitur ſic conſtitutionem moderari prędictam, ut dicta Eccleſia fructum ſentiat ex eadem, & tu per ejus abuſum diſpendium non incurras: pręſentium auctoritate decernimus, ut duo ex Canonicis Eccleſiæ memoratæ in tuo ſervitio exiſtentes ſuarum fructus integre percipiant prębendarum; cùm abſentes dici non debeant, ſed pręſentes qui tecum pro tuo & ipſius Eccleſiæ ſervitio commorantur. Datum Romæ apud ſanctum Petrum XVI. Kalend. Januarii. Pontificatus noſtri anno I.

V. STATUTUM INNOCENTII II.

UT DECEDENTIBUS EPISCOPIS NULLI liceat epiſcopalem domum invadere: vel ut ſervi Eccleſiæ tanquam liberi ad teſtimonia admittantur.

Ex codice Ms. Privileg. Eccleſiæ Carnotenſis.

INnocentius Epiſcopus ſervus ſervorum Dei, venerabili fratri *Gaufrido* Carnotenſi Epiſcopo, ejuſque ſucceſſoribus canonicè ſubſtituendis, in perpetuum. Diſcreta & provida Sedis Apoſtolicæ diſpenſatio hanc ſervare temperantiam conſuevit, ut ſingulorum jus & dignitatem illæſam cuſtodiat: & quos ad obſequium ſuum devotiores & promptiores invenerit, eos arctioris dilectionis & familiaritatis benevolentia ſibi aſtringat. Quia ergo te, venerabilis frater *Gaufride* Carnotenſis Eccleſiæ Epiſcope, Matrem tuam ſanctam Romanam Eccleſiam toto mentis deſiderio venerari, ac diligere, & emergentibus perſecutionum ſcandalis tamquam virum in religione probatum & in fide Catholica firmum pro ejus utilitate & ſervitio viriliter deſudaſſe, manifeſtis perſenſimus argumentis: perſonam tuam ampliori charitatis affectione diligimus, & Eccleſiam tibi commiſſam ex injuncto nobis pon-

tificalis officii culmine libentius honoramus. Tuis igitur, frater in Chriſto chariſſime, rationabilibus poſtulationibus gratum præbentes aſſenſum, poſſeſſiones & bona quæ inpræſentiarum juſte & canonice poſſides tibi, & ſucceſſoribus tuis, & per vos Carnotenſi beatæ glorioſæ *Mariæ* Dei genitricis Eccleſiæ, præſentis privilegii paginâ confirmamus &c. Sane libertatem ab eodem anteceſſore tuo epiſcopali domui acquiſitam, integram illibatamque ſervare præcipimus: ut videlicet decedentibus epiſcopis nulli penitus liceat epiſcopalem domum invadere, aut ea quæ ibi fuerint ullatenus occupare, aut aliquid eorum præſumere, quæ prædeceſſoris noſtri ſanctæ recordationis *Paſchalis* Papæ privilegio perhibentur. &c. Statuimus autem ut homines de familia beatæ *Mariæ* ad jus tuum vel Canonicorum pertinentes, quemadmodum à prædicto filio noſtro *Lodovico* illuſtri Francorum Rege conceſſum eſt, ad omnia teſtimonia & omnes probationes ſicut liberi Laici admittantur. &c.

V. STATVTVM EPISCOPI MELDENSIS ET CAPITULI.

PRO RESIDENTIA A LVCIO II. confirmatum.

Ex Chartulario Eccleſiæ Meldenſis.

L*VCIVS* Epiſcopus ſervus ſervorum Dei, venerabili fratri Meldenſi epiſcopo, ſalutem & Apoſtolicam benedictionem. Quæ pro eccleſiarum utilitatibus, & eorum qui nolunt eccleſiis à quibus ſtipendia quotidiana recipiunt deſervire malitia reprimenda rationabiliter ſtatuuntur, firma debent & illibata perſiſtere: & [illegible] pravorum nequitia perturbentur, roborari. Accepimus ſane, quod hi qui in eccleſia tua perſonatum habere noſcuntur, nolunt ipſi eccleſiæ in perſonis propriis deſervire. Unde eadem eccleſia in agendis rebus ſuis è perſonarum abſentia non modicum patitur detrimentum. Qua de cauſa, tu venerabilis frater Canonicorum ejuſdem eccleſiæ conſilio & aſſenſu rationabiliter ſtatuiſti, ut nullus qui in eccleſia ipſa perſonatum amodo receperit,

perit, in chorum recipiatur, niſi de obſequio Eccleſiæ in perſona propria ſe exhibendo promiſſionem fecerit congruentem. ſalva tamen tua & Capituli tui licentia, ſive majoris & ſanioris partis. Quam quidem conſtitutionem, ſicut rationabiliter facta eſt, auctoritate Apoſtolica confirmamus: Statuentes, ut nulli omnino hominum liceat hanc paginam noſtræ confirmationis infringere, vel ei auſu temerario contraïre. Si quis autem hoc attentare præſumpſerit, indignationem omnipotentis Dei, & beatorum Petri & Pauli Apoſtolorum ejus, ſe noverit incurſurum. Datum Lateran. IV. Kalend. Februar.

VII. STATVTVM ALEXANDRI III.

QVOD NVLLVS TENEAT PAROCHIAM, niſi reſideat.

Ex Chartulario Eccleſiæ Meldenſis.

ALexander Epiſcopus ſervus ſervorum Dei, venerabili fratri Meldenſi Epiſcopo, ſalutem & Apoſtolicam benedictionem. Sicut ad officium noſtrum pertinet quæ incongrua ſunt prohibere, ita nobis potiſſimum convenit quæ recta ſunt ſtabilire, & ſtabilita Apoſtolicæ firmitatis præſidio roborare. Hac itaque ratione inducti auctoritate duximus Apoſtolica prohibendum, ne in epiſcopatu tuo alicui liceat Eccleſiam parochialem tenere, niſi ei in perſona voluerit própria deſervire, ſalva miſericordia circa eos qui infirmitatis vel alia cauſa canonica impediente ſuam non poterunt præſentiam exhibere. Datum &c.

VIII. STATVTVM ALEXANDRI III.

DE REDDITIBVS MATVTINARVM; quòd nulli duo concedantur honores, nec perſonis alibi commorantibus.

Ex codice Ms. Privileg. Eccleſiæ Carnotenſis.

ALexander Epiſcopus ſervus ſervorum Dei, dilectis filiis *Gaufrido* Decano, cæteriſque Canonicis Carnotenſis ec-

cleſiæ tam præſentibus quàm futuris canonice ſubſtituendis in perpetuum. Quoties illud à nobis petitur quod religioni & honeſtati convenire dinoſcitur, animo nos decet libenti concedere, & petentium deſideriis congruum ſuffragium impartiri. Sicut enim injuſta petentibus nullus eſt tribuendus effectus, ita legitima poſtulantium non eſt differenda petitio. Eapropter, dilecti in Domino filii, veſtris juſtis poſtulationibus clementer annuimus, & præfatam Dei genitricis ſemperque virginis Mariæ Eccleſiam, in qua divino eſtis obſequio mancipati, ad exemplar ſanctæ recordationis prædeceſſoris noſtri *Lucii* Papæ ſub beati *Petri* & noſtra petitione ſuſcipimus, & præſentis ſcripti privilegio communimus: Statuentes, ut quaſcumque poſſeſſiones, quæcumque bona eadem eccleſia impręſentiarum juſte & canonice poſſidet, aut in futurum conceſſione Pontificum, liberalitate Regum vel Principum, oblatione fidelium, ſeu aliis juſtis modis, præſtante Domino, poterit adipiſci, firma vobis veſtriſque ſucceſſoribus & illibata permaneant. Illud etiam quod pro ſervitio ejuſdem genitricis Dei, & honeſtate Carnotenſis eccleſiæ, à vobis rationabili providentia ſtatutum eſt, per præſentis ſcripti paginam confirmamus, & ratum manere cenſemus: ut videlicet oblationes altarium de villis veſtris, annonæ de molendinis, minutæ decimationes, proventus nemorum, & quædam alia jam à veſtra diſcretione conceſſa, vel inantea concedenda, uſibus fratrum qui ad matutinas & ad miſſam aſſidui fuerint perpetuo cedant: ita videlicet, ut qui eiſdem ſervitiis ſi interfuerint, nequaquam in eis partem recipiant. Præterea quoniam juxta beati *Gregorii* ſententiam ſingula eccleſiaſticis viris officia, ſingulis quibuſque perſonis ſigillatim committi debent; prohibemus de cetero, ut nulli duo honores in eadem eccleſia concedantur: nec præpoſituræ ſive perſonatus ejuſdem eccleſiæ perſonis alibi commorantibus tribuantur. Decernimus ergo, ut nulli omnino hominum liceat præfatam eccleſiam temere perturbare, aut ejus poſſeſſiones auferre, vel ablatas retinere, minuere, ſeu quibuſlibet vexationibus fatigare. Sed omnia integra conſerventur eorum, pro quorum gubernatione ac ſuſtentatione conceſſa ſunt, uſibus omnimodis profutura, ſalva Sedis Apoſtolicæ auctorita-

Digitized by Google

te. Si qua igitur in futurum Eccleſiaſtica ſecularisve perſona hanc noſtræ conſtitutionis paginam ſciens contra eam temere venire contempſit, ſecundo tertiove commonita, ſi non reatum ſuum congrua ſatisfactione correxerit, à ſacratiſſimo corpore, & ſanguine Dei & Domini Redemptoris noſtri Jeſu Chriſti aliena fiat: atque in extremo examine diſtrictæ ultioni ſubjaceat. Cunctis autem eidem loco ſua jura ſervantibus ſit pax Domini noſtri Jeſu Chriſti: quatinus & hic fructum bonæ actionis percipiant, & apud diſtrictum Judicem præmia æternæ pacis inveniant. Amen.

DE SVPERIORI STATVTO, SCILICET, ut nulli duo honores in Eccleſia Carnotenſi concedantur, nec perſonis alibi commorantibus.

Ex Necrologio Eccleſiæ Carnotenſis.

S*Alomon* hujus æccleſiæ Decanus, & ſacerdos devotiſſimus &c. Privilegium quod in archivis hujus æccleſiæ continetur, ab Apoſtolica Sede impetravit, ut nulli de cetero duo honores in hac æccleſia concedantur: nec præpoſituræ ſive perſonatus iſtius Eccleſiæ perſonis alibi commorantibus tribuantur.

IX. STATUTUM ALEXANDRI III.

NE QVIS ABSQVE AVCTORITATE ET aſſenſu epiſcopi, & capituli, Eccleſiam, Capellam, Oratorium, vel cimiterium conſtruere audeat: nec alicui liceat Parrochianos excommunicatos vel interdictos quolibet modo recipere.

Ex cod. Ms. Privileg. Eccleſiæ Carnotenſis.

A*Lexander* Epiſcopus ſervus ſervorum Dei, dilectis filiis *Gaufrido*, Decano, & Canonicis Carnotenſis Eccleſiæ tàm præſentibus quàm futuris canonice ſubſtituendis in perpetuum. Ideo ſumus quamquam immeriti ad univerſalis Eccleſiæ regimen ſuperna providentia deputati, ut pro ſingularum Eccleſiarum ſtatu ſollicitudine debeamus paſtorali ſa-

tagere, & eas contra pravorum incurſus Apoſtolicæ tuitionis patrocinio communire; ne maligniorum incurſibus exponantur, ſi ad eorum defenſionem Apoſtolicæ ſollicitudinis providentia minus diligens fuerit, vel remiſſa. Eapropter, dilecti in Domino filii, conſiderato fervore devotionis veſtræ, quam circa nos & Romanam Eccleſiam geritis, veſtris juſtis poſtulationibus clementer annuimus, & Eccleſiam veſtram in qua eſtis divino obſequio mancipati ſub beati *Petri* & noſtra protectione ſuſcipimus, & præſentis ſcripti privilegio communimus: Statuentes, ut quaſcumque poſſeſſiones, quæcumque bona eadem Eccleſia impræſentiarum juſte & canonice poſſidet, aut in futurum conceſſione Pontificum, largitione Regum vel Principum, oblatione fidelium, ſeu aliis juſtis modis, præſtante Domino, poterit adipiſci, firma vobis veſtriſque ſucceſſoribus & illibata permaneant. &c. Ad hæc præſenti decreto ſancimus, & auctoritate Apoſtolicâ arctius prohibemus, ne quis in civitate veſtra, vel ſuburbiis ſibi contiguis, abſque auctoritate & aſſenſu Epiſcopi veſtri, & veſtro, Eccleſiam, Capellam Oratorium, vel cimiterium conſtruere audeat, ſalva Apoſtolicæ Sedis auctoritate. Inſuper & nihilominus diſtrictè præſẽti pagina probibemus, ne alicui liceat Parrochianos Carnotenſis eccleſiæ excommunicatos, vel nominatim interdictos, pro vobis, ad divina officia, aut ad ſepulturam recipere, vel eis abſque ſatisfactione congrua abſolutionis beneficium indulgere. Libertates quoque ſeu immunitates ſive à Romanis Pontificibus, ſive ab Epiſcopis veſtris, vel etiam à Regibus & Principibus, vobis & Eccleſiæ veſtræ indultas, & antiquas, & rationabiles conſuetudines ipſius Eccleſiæ confirmamus, & eas decernimus obtinere perpetuam firmitatem. Decernimus ergo, ut nulli omnino hominum liceat præfatam Eccleſiam temere perturbare, aut ejus poſſeſſiones aufferre, vel ablatas retinere, minuere, ſeu quibuſlibet vexationibus fatigare, ſed illibata omnia & integra conſerventur, eorum, pro quorum gubernatione & ſuſtentatione conceſſa ſunt, uſibus omnimodis profutura, ſalva Sedis Apoſtolicæ auctoritate. Si qua igitur in futurum Eccleſiaſtica, ſeculariſve perſona &c.

Annus & dies non notantur.

Digitized by Google

X. STATUTUM ALEXANDRI III.

DE BENEFICIIS.

VT QVI ALTARIO NON DESERVIT, EIVS non debet beneficiis participare.

Ex cod. Ms. privileg. Eccl. Carnotenſis.

ALexander Epiſcopus ſervus ſervorum Dei, dilectis filiis. . . . Decano & Canonicis Carnotenſ. ſalutem & Apoſtolicam benedictionem. Sicut ſcriptum eſt, quòd qui Evangelium annuntiat, de Evangelio vivat, & qui altario deſervit, de altario participet; ſic etiam ex eiſdem poteſt manifeſte perpendi, quòd qui altario non deſervit, ejus non debet beneficiis participare. Inde ſiquidem eſt, quòd nos Eccleſiam veſtram quæ inter minores Regni Francorum computari non ſolet debitis obſequiis defraudari nolentes, auctoritate Apoſtolica duximus ſtatuendum, ut qui in eadem Eccleſia veſtra de cetero canonicandi fuerint, & ibidem manſionarii non extiterint, XL. ſolid. tantum de ſingulis annis percipiant, nec à vobis, vel ab Eccleſia præſcripta magis exigere, vel recipere poſſint: dummodo in ipſius Eccleſiæ obſequiis, ſicut & manſionarii faciunt, & aſſidue voluerint permanere. Datum Benevent. Pridie Non. Aprilis.

XI. STATUTUM ALEXANDRI III.

DE BONA DISPENSATIONE præbendalium proventuum: de forinſecis: & de immunitate thelonei.

Ex cod. Mſ. privileg. Eccleſiæ Carnotenſis.

ALexander Epiſcopus ſervus ſervorum Dei, dilectis filiis. . . . Decano & Capitulo Carnotenſis Eccleſiæ, ſalutem & Apoſtolicam benedictionem. Pontificalis auctoritatis providentia exigit, & paſtoralis ſollicitudo requirit, ut cunctorum invigilemus profectibus, & ad ea ſtudio totius ſol.

licitudinis aſpiremus quæ ad Eccleſiarum pertinent incrementum: quia laudabilis eſt & commendanda providentia Prelatorum, cùm Eccleſiis ſalubri regimine provident, & earum ſtatum dirigere ſatagunt & conſervare illæſum. Intelleximus autem, quòd venerabilis frater noſter *Vuillelmus* Senonenſis Archiepiſcopus Apoſtolicæ ſedis Legatus cognoſcens dolum & fraudem, quæ in tractandis & diſponendis redditibus Eccleſiæ veſtræ ab infidelibus miniſtris fiebat, conſilio & conniventia totius Capituli veſtri ſtatuit & ordinavit, ut duo tres quatuor vel plures numero juxta competentem præbendalium proventuum æſtimationem ſibi ad invicem adjungantur, qui partes ſorti ſuæ deputatas ſervata honeſtate procurent, & de tuendis fovendis atque juvandis qui in ſua ſunt ditione terrarum colonis curam fideliſſimam gerant: & ne circa injunctam ſibi ſollicitudinem minus ſolliciti aut negligentes exiſtant, omnes juſtitias quæ ſeculares appellantur, & quæ ſolent ad prepoſitos pertinere ſive terrarum ſeu ruſticorum in canonicorum jura transfudit; ita ut pro nullo penitus forisfacto liceat præpoſito quempiam ex ruſticis ſummovere vel juſticiare. Si autem aliquis eorum tam temerarius extiterit, ut eidem redditus ſuo tempore quo debentur non ſolvat, illum prepoſitus juſticiabit, & emendationem forisfacti ſibi ſoli vendicabit. Sane ſi quis ruſticorũ cuilibet extraneo injurioſus fuerit, clamor ad Canonicos deferatur. Preſentatio autem Preſbyterorum in Eccleſiis quæ vacaverint, Canonicorum pariter & Prepoſiti erit: & ſi præpoſitus noluerit, aut diſſimulaverit intereſſe, Canonici quod ſuum eſt nihilominus exequentur. Preſbyter verò qui fuerit præſentatus fidelitatem præſtabit utriſque. Sane predictus Archiepiſcopus volens conſtitutionem ipſam ratam & firmam manere, omnia quæ preſcripta ſunt in præpoſitura quam detinebat obſervari decrevit: & de ceteris præpoſituris cenſivis quoque atque precariis id ipſum ſimiliter cenſuit obſervandum, cùm illos qui eas detinent contigerit ex hâc vitâ decedere, vel forte illas quoquo modo dimittere. Præterea ab eodem ſtatutum eſt & ordinatum, ut qui ante hanc inſtitutionem Canonici facti anno ad minus dimidio manſionarii in veſtra civitate non fuerint, centum ſolidos minùs quàm manſionarij annuatim conſequantur. Eos

autem qui erunt Canonici nihil de prębenda pręter quadraginta ſolidos, ſi manſionarii non fuerint, eſſe percepturos conſtituit; his quos excepiſtis exceptis. Additum eſt etiam, quòd hæc partitio præbendarum quinquennalem terminum debeat obtinere: & hi quibus data eſt & collata poteſtas, cum ſubjectis modeſte agere, non eis calumniam imponere, nec ipſos opprimere angariis debeant, aut immoderate gravare. Quam ſiquidem conſtitutionem, prout ſuperius datum eſt, ratam & firmam habemus, & auctoritate Apoſtolica confirmamus. Ad hæc libertatem clauſtri veſtri, ſicut in privilegiis Regum Franciæ continetur, & antiquam & rationabilem conſuetudinem Eccleſiæ veſtræ, ſcilicet quòd homines & hoſpites ipſius Eccleſiæ in tota civitate & Epiſcopatu veſtro de omnibus mercationibus ad ſuum & familiæ ſuæ uſum pertinentibus nullam vendentes vel ementes conſuetudinem ſeu Theloneum reddant, nihilominus auctoritatis Apoſtolicæ duximus robore confirmandam: Statuentes ut nulli omnino hominum liceat hanc paginam noſtræ confirmationis infringere, aut ei aliquatenus contraïre. Si quis autem hoc attentare pręſumpſerit, indignationem omnipotentis *Dei* & beatorum *Petri* & *Pauli* Apoſtolorum ejus ſe noverit incurſurum. Datum Tuſcul. VI. Id. Aprilis.

XII. GUILLLELMI SENONENSIS ARCHIEPISCOPI CONSTITUTIO,

Cujus mentio fit in ſtatuto præcedenti.

Ex Eodem codice.

V*Villemus* Dei gratia Senonenſis Archiepiſcopus & Apoſtolicæ ſedis Legatus, omnibus ſanctæ matris eccleſiæ filiis tam futuris, quàm pręſentibus, in perpetuum. A prudentiſſimis viris & diſertiſſimis inolevit conſuetudo, ut quæ perpetuare deſiderabant paginæ & apicibus duraturis diligenti ſollicitudine commendarent; quatinus facta rationabiliter omni ętati lucide paterent, & nullis temporibus cæcæ oblivionis nubilo involverentur. Quorum quantum hu-

mana fragilitas permittit imitantes veſtigia, pręſenti Chartulæ curavimus inſerere, ut univerſitati veſtræ liquefieret, quòd nos auctoritate Apoſtolica fulti in eccleſia Carnotenſi ex aſſenſu *Gaufridi* Decani totiuſque Capituli ejuſdem eccleſiæ inſtituimus: ut quicumque deinceps Canonicus eccleſiæ Carnotenſis factus fuerit, ſingulis annis quibus in urbe Carnotenſi dimidio anno ad minus manſionarius non fuerit, nihil de prębendæ ſuæ redditibus pręter XL. ſolidos accipiat. Illud quoque non prętermittendum eſſe duximus: quia, quum ex tunc facti ſunt Canonici, ex inſtituto juraverunt ſeſe inſtitutionem iſtam pro juribus obſervaturos: nec per ſe, nec per alium, ut amplius quàm prædictam XL. ſolid. ſummam ſibi liceat accipere, machinaturos eſſę: & ſi forte aliquis eis inconſultis id efficere tentaverit, nihil tamen ſeſe amplius pręfata ſumma eſſe accepturos. Decrevimus etiam, ut quicumque de cetero fient Canonici, ſtatim eodem ſeſe obligent juramento: Statuentes & ſub anathemate inhibentes, ne quis huic inſtitutioni auſu temerario in aliquo obviare pręſumat; ſalva tamen in omnibus ſedis Apoſtolicæ auctoritate. Actum in Capitulo Eccleſiæ beatæ *Mariæ* Carnotenſis, anno M. C. LXXI. ab Incarnatione Domini noſtri *Ieſu Chriſti*.

XIII. STATUTUM ALEXANDRI III. ET LUCII III.

VT NVLLI CONCEDANTVR HONORES, niſi his qui reſidentiam promiſerint: & ne quis de aliena dioceſi in Canonicum Eccleſiæ aut plebanum Presbyterum admittatur, niſi à proprio fuerit Epiſcopo abſolutus.

Ex cod. Mſ. privileg. Eccleſiæ Carnotenſis.

A*Lexander* Epiſcopus ſervus ſervorum Dei, venerabili fratri J. Epiſcopo, & dilectis filiis Decano, & Capitulo Carnotenſi, ſalutem & Apoſtolicam benedictionem. Cùm ab eo cui plus committitur, amplius exigatur; dignum eſt & conſonum rationi, ut qui in Eccleſia veſtra præ aliis honorantur

rantur, ſtudioſius illi deſerviant & utilitatibus ipſius intendant. Hac itaque ratione inducti auctoritate duximus Apoſtolica ſtatuendum, ut honores Carnotenſis Eccleſiæ aliis de cetero minime concedantur, niſi qui ſecundùm antiquam & rationabilem conſuetudinem reſidentiam ſe promiſerint habituros. Si autem poſt promiſſionem ſuam hoc nequaquam impleverint, ab ipſis reddantur honoribus alieni. Ad hęc auctoritate Apoſtolicâ inhibemus, ne quis de aliena diœceſi in Canonicum Eccleſiæ veſtræ aut plebanum Preſbyterum admittatur, niſi prius à proprio fuerit Epiſcopo abſolutus. Decernimus ergo, ut nulli omnino hominum liceat hanc paginam noſtræ conſtitutionis infringere, vel ei auſu temerario contraïre. Si quis autem hoc attentare pręſumpſerit, indignationem omnipotentis *Dei* & beatorum *Petri* & *Pauli* Apoſtolorum ejus ſe noverit incurſurum. Datum Tuſculan. X. Kalend. Februarii.

LVCIVS EPISCOPVS SERVVS SERVORVM Dei, venerabili fratri P. Epiſcopo, & dilectis filiis G. Decano, & Capitulo Carnotenſi, ſalutem & Apoſtolicam benedictionem.

CUm ab eo cui plus &c. *Vt in ſuperiori ſtatuto.* Datum Velleit. XVI. Kalend. Februarii.

XIV. STATUTUM LUCII III.

PRO IVRAMENTO PERSONARVM SVPER reſidentia.

Ex cod. Mſ. privileg. Eccleſiæ Carnotenſis.

L*VCIVS* Epiſcopus ſervus ſervorum Dei, dilectis filiis G. Decano & Canonicis Carnotenſis Eccleſiæ, ſalutem & Apoſtolicam benedictionem. Cum aliqua pro Eccleſiarum utilitate fuerint ordinata, quæ non ſunt obvia rationi, ne cuiquam temeritas ea violare pręſumat, munimine ſunt Apoſtolico roboranda. Eapropter, dilecti in Domino filii, veſtris juſtis poſtulationibus annuentes, quod bonæ memoriæ J. quondam Epiſcopus veſter in Capitulo veſtro de communi

fratrum conſilio ſtatuit, ſcilicet ut cuicumque ex tunc perſonatus Eccleſiæ veſtræ daretur, juramentum præſtaret in Capitulo infra civitatem veſtram reſidentiam ſe facturum (quo ſacramento dicuntur aſtricti, quibus poſtmodùm honores ſunt & perſonatus Eccleſiæ veſtræ collati) ſicut idem ſtatutum rationabiliter eſt editum, & hactenus pro ipſius Eccleſiæ utilitate ſine contradictione ſervatum auctoritate Apoſtolicâ confirmamus: Statuentes, ut nulli omnino hominum liceat hanc paginam noſtræ confirmationis infringere, vel ei auſu temerario contraïre. Si quis autem hoc attentare pręſumpſerit, indignationem omnipotentis *Dei*, & beatorum *Petri* & *Pauli* Apoſtolorum ejus ſe noverit incurſurum. Datum Verul. IV. Non. Maii.

XV. STATUTUM URBANI III.

PRO CONFIRMATIONE ANTIQUARUM & rationabilium conſuetudinum.

Ex cod. Mſ. privileg. Eccleſiæ Carnotenſis.

U*Rbanus* Epiſcopus ſervus ſervorum Dei, dilectis filiis... Decano & Capitulo Carnotenſi, ſalutem & Apoſtolicam benedictionem. Ad univerſalis Eccleſiæ regimen licet indigni providentia ſupernæ diſpoſitionis aſſumpti, pro univerſarum Eccleſiarum ſtatu paſtorali tenemur conſideratione ſatagere, & earum quieti quantum nobis Dominus dederit ſollicite providere. Eapropter, dilecti in Domino filii, veſtris juſtis poſtulationibus inclinati, & ſusceptæ miniſterio ſervitutis inducti, libertatem & rationabiles conſuetudines quibus Eccleſia veſtra à quadraginta retro annis ſine interruptione uſa eſt, & adhuc ſine controverſia uti dinoſcitur, ſicut prędeceſſorum noſtrorum ſunt nobis ſcriptis authenticis confirmatæ, ratas habemus eas quas futuris temporibus manere decernimus illibatas. Nulli ergo omnino hominum liceat hanc paginam noſtræ confirmationis infringere, vel ei auſu temerario contraïre. Si quis autem hoc attentare pręſumpſerit, indignationem omnipotentis *Dei* & beatorum *Petri* & *Pauli* Apoſtolorum ejus ſe noverit incurſurum.

Digitized by Google

XVI. STATUTUM URBANI III.

NE DOMUS DE CLAUSTRO LAICIS locentur.

Ex eodem codice.

URbanus Epiſcopus ſervus ſervorum Dei, venerabili fratri *R.* Epiſcopo, & dilectis filiis..... Decano & Capitulo Carnotenſi, ſalutem & Apoſtolicam benedictionem. Audivimus, & audientes nequivimus non mirari, quòd Laici quidam in clauſtro veſtro domos jure hereditario poſſidentes, tales perſonas plerumque admittunt, per quas Clericorum quies inhoneſto ſtrepitu ſæpe turbatur, & devotio populi ne divinis intendat officiis prępeditur joculatoribus quidem, aleatoribus, cauponibus, & mulieribus turpibus præſcriptæ domus de conſuetudine prava locantur. Volentes igitur communi Eccleſiæ honeſtati conſulere, auctoritate Apoſtolica prohibemus, ne domus canonicales ulterius Laicis per quos honeſtati Eccleſiaſticæ derogetur, vel gratis dentur, aut etiam ſub quacumque occaſione locentur. Conſtituimus etiam de domibus, quas Laici in clauſtro jure hereditario tenent, ſi eas in perſonis propriis cum honeſta familia excluſis mulieribus turpibus inhabitare voluerint: ut non niſi Clericis vel perſonis regularem vitam profeſſis gratis vel pro pretio concedantur, ſi congruum eis pretium voluerint exhibere. Nulli ergo omnino hominum liceat hanc paginam noſtræ conſtitutionis infringere, vel ei auſu temerario contraïre. Si quis autem hoc attentare prę ſumpſerit, indignationem omnipotentis *Dei*, & beatorum *Petri* & *Pauli* Apoſtolorum ejus ſe noverit incurſurum. Datum Ven. XII. Kalend. Martii.

XVII. STATUTUM DE PRÆBENDIS,

Quod continetur in privilegio Abbatis, & Conventus

S. VICTORIS.

Ex Chartulis Eccleſiæ Pariſienſis.

[a] STatuentes, ut quocunque modo quilibet Canonicus prędictarum Eccleſiarum prębendam ſuam relinquat, vel perdat, vel quocunque modo præbenda de una perſona in aliam tranſeat: ejuſdem præbendæ redditus per annum Eccleſia beati *Victoris* ex integro habeat: & nullum ſuper hoc ex debito aut Eccleſiæ aut defuncto præter anniverſarium exſolvat obſequium. Ne autem Eccleſia in eodem anno ſuo privetur ſervitio, illud faciat Canonicus, hoc eſt, ſuccedat.

[a] *Ex privilegio Abbatis & conventus S. Victoris, illud tantum habent Chartula Eccleſiæ Pariſienſis.*

XVIII. STATUTUM

Hic eſt titulus in Chartulis.

Quod continetur, ut dicitur, in privilegio

S. GENOVEFÆ.

Privilegium eſt CLEMENTIS Papæ III.

Ex Chartulis Eccleſiæ Pariſienſis.

STatuimus etiam, ut liceat vobis in veſtris Eccleſiis quatuor, aut tres, aut minus ex fratribus inſtituere: ita quòd unus eorum à te, fili Abbas, dioceſano Epiſcopo repræſentetur, quo de manu ejus curam ſuſcipiat animarum. Cùm autem res exegerit, & fuerit oportunum, liberum vobis ſit eos revocare ad clauſtrum, & alios in loco eorum, quemadmodum diximus, ſubſtituere; dummodo, quantum poſſe credimus, ſi idoneus fuerit, ſine contradictione à Dioceſano Epiſcopo ſpiritualium curam ſuſcipiat.

Digitized by Google

XIX. STATUTUM CÆLESTINI III.

VT NVLLVS CANONICVS TRAHATVR ad judicium ſeculare, niſi ratione feodi.

Ex codice Mſ. privileg. Eccleſiæ Carnotenſis.

CÆleſtinus Epiſcopus ſervus ſervorum Dei, dilectis filiis Decano & Capitulo Carnotenſi, ſalutem & Apoſtolicam benedictionem. Juſtis petentium deſideriis dignum eſt nos facilem præbere conſenſum, & vota quæ à rationis tramite non diſcordant effectu proſequente complere. Eapropter, dilecti in Domino filii, veſtris juſtis poſtulationibus grato concurrentes aſſenſu, auctoritate vobis præſentium indulgemus, ut nullus vos vel aliquem veſtrûm ad judicium pertrahat ſeculare, niſi ratione feodi vel alterius ſecularis cujuſlibet poſſeſſionis ſuper aliquo quod ad eam pertineat aliqua cauſa vertatur, vel aliquis à vobis coram judice ſeculari conventus, in ejuſdem præſentia exceptiones quas contra vos propoſuerit voluerit comprobare; Statuentes, ut ſi aliquis contra hanc Apoſtolicæ ſedis indulgentiam venire præſumpſerit, licitum vobis ſit in ipſum eccleſiaſticæ diſtrictionis ſententiam appellatione poſtpoſita promulgare. Nulli ergo omnino hominum liceat hanc paginam noſtræ conceſſionis infringere, vel ei auſu temerario contraïre. Si quis autem hoc attentare præſumpſerit, indignationem omnipotentis *Dei* & beatorum *Petri* & *Pauli* Apoſtolorum ejus ſe noverit incurſurum. Datum Laterani ... Kalend. Julii, Pontificatus noſtri anno V.

XX. STATUTUM.

EX PRIVILEGIIS LUCII II. EUGENII III. CLEMENTIS III. ET CÆLESTINI III. DESUMPTUM,

DE LIBERTATE SUPELLECTILIUM decedentis Epiſcopi à Chriſtianiſſimo Rege LUDOVICO *conceſſa.*

Ex Chartulis Eclceſiæ Pariſienſis,

STatuimus etiam, ut ſi aliquis Eccleſiæ Pariſienſis Canonicus ad Epiſcopatus fuit honorem promotus, ipſius præbenda ad Pariſrenſem Eccleſiam liberę revertatur. Apoſtolica quoque auctoritate interdicimus, ut ſupellectilem decedentis Epiſcopi Pariſienſis nullus omnino diripiat: ſed ad opus Eccleſiæ & ſucceſſoris ſui illibata permaneat, ſicut à *Ludovico* illuſtri Francorum Rege conceſſum eſt, & ſcripto ſuo firmatum.

XXI. STATUTUM INNOCENTII III.

DE PRÆBENDA HOSPITALI SANCTÆ Mariæ in Saxia ad opus infirmorum & pauperum ab Epiſcopo Carnotenſi pia liberalitate conceſſa.

Ex cod. Ms. privileg. Eccleſiæ Carnotenſis.

INnocentius Epiſcopus ſervus ſervorum Dei, dilectis filiis ...; Decano & Capitulo Carnotenſi, ſalutem & Apoſtolicam benedictionem. In noſtra præſentia conſtitutus venerabilis frater noſter .... Epiſcopus Carnotenſis pro animabus tam ſua, quàm prædeceſſorum & ſucceſſorum ſuorum, hoſpitali ſanctæ Mariæ in Saxia de voluntate noſtra præbendam in Eccleſia Carnotenſi ad opus infirmorum & pauperum pia liberalitate conceſſit, & nos conceſſionem ipſius nomine hoſpitalis ejuſdem recepimus, & auctoritate curavimus Apoſtolica roborare: Decernentes irritum & inane, ſi quid de

præbenda vel nunc vacante, vel in proximo vacatura, contra hoc (quod non credimus) fuerit atttentatum. Ne autem ex hoc Eccleſia veſtra ſolito ſervitio defraudetur, paſtorali volentes ſollicitudine providere, volumus & præſentium auctoritate concedimus, ut juxta diſpoſitionem ipſius Epiſcopi aliquis ſtatuatur qui pro ea deſerviat, & in ea Eccleſia Carnotenſi tertiam partem proventuum ejuſdem præbendæ in integrum percepturus, duabus reliquis hoſpitali ſupradicto annis ſingulis in integrum perſolvendis. Ideoque diſcretioni veſtræ per Apoſtolica ſcripta mandamus & præcipimus, quatenus quod ab eodem Epiſcopo factum eſt intuitu pietatis & à nobis auctoritate Apoſtolica confirmatum gratum habeatis, & ratum, & inviolabiliter obſervatum, veſtrumque conſenſum per patentes nobis curetis literas intimare. Alioquin, noveritis nos eidem, & venerabili fratri noſtro ..... Aurelianenſ. Epiſcopo, & dilecto filio ..... Abbati Vindocinenſi mandaſſe, ut nos ad ea monitione præmiſſa per cenſuram Eccleſiaſticam appellatione remota compeſcant. Datum Anagniæ III. Idus Novembris, Pontificatus noſtri anno quarto.

XXII. STATVTVM RAGINALDI CARNOTENSIS EPISCOPI.

DE RECIPIENDIS FRVCTIBVS præbendarum facta legitima reſidentia: & ut quod quæſitum pro meritis & labore, fatalitas non auferat.

Ex cod. Ms Privileg. Eccleſiæ Carnotenſis.

R*Eginaldus* Dei promiſſione Carnotenſis Epiſcopus, omnibus ad quos literæ pręſentes pervenerint, in Domino ſalutem. Quoniam, ſicut ait veritas, dignus eſt operarius mercede ſua, dignum quoque eſt & æquitati conſentaneum, ut conſequantur beneficium qui ſuum commendaſſe reperiuntur obſequium: iniquum verò videtur & rationi contrarium, quòd militantes in caſtris Domini ſuis ſtipendiis defraudentur, & quod cuique quęſitum eſt pro meritis & la-

bore, auferre debeat fatalitas, ſi ſequatur; concedimus & de aſſenſu univerſitatis Capituli Carnotenſis ſtatuimus, ut quicumque Canonicorum Carnot. à nativitate ſancti *Ioannis* uſque ad ſequentem nativitatem reſidentiam dimidii anni continuè ſeu interpolatè quocunque modo ſecundùm conſuetudinem Carnotenſis Eccleſiæ compleverit, ſi fortè Canonicus completam reſidentiam infra Nativitatem S. *Ioannis* quomodocunque cedat vel decedat, ipſe eundem fructum præbendæ integre percipiat, quem percepturus eſſet, ſi uſque ad Nativitatem ſancti *Ioannis* vixiſſet. Indignum namque credimus & iniquum, ut quod quiſque meruerit auferre, poſſit talis dimiſſio, vel præripere debeat mortis caſus. Quod ut ratum & firmum perſeveret, conſtitutionem præſentem literarum noſtrarum & ſigilli noſtri fecimus munimine roborari. Datum anno Incarnationis Dominicæ M. CC. VIII. menſe Jul.

XXIII. STATUTA.

DE IVRE PRESBYTERI CVRATI in ſua Parrochia, ſine cujus conſenſu & mandato Abbas & Prior Conventus de Nongento nihil præſtare poſſunt.

Ex charta pacis inter Galterum & conventum Abbatem de Nongento, & Gobertum Curatum Parochiæ de Nongento & de Caſtro Cociaci.

UNiverſis Chriſti fidelibus, ad quos præſens ſcriptum pervenerit, H. Decanus de ſeptem vallibus, in Domino ſalutem. Noverit univerſitas veſtra, quòd cùm vir venerabilis *Galterus* Abbas de Nongento, & conventus ejuſdem loci ex una parte, & magiſter *Gobertus* Curatus Parrochiæ de Nongento & de caſtro Cociaci ex altera, ſuper uſuagio S. *Remigii* & S. *Salvatoris* de Cociaco compromiſiſſent in nos & in Dominum *Renerum* Preſbyterum de Hnſlari, & bona fide promiſiſſent Abbas videlicet & Conventus per literas ſuas patentes, Magiſter verò *Gobertus* fide præſtita corporali, dictum noſtrum ſe firmiter obſervaturos: Nos tale uſuagium in Eccleſiis prędictis fuiſſe pronuntiavimus, quòd mulieres manentes infrà caſtrum Cociaci Preſbyter Parochialis tene-

tur

tur reconciliare ſecundum uſuagium in Eccleſia ſancti *Remigii* & debet recipere de oblationibus panem, & vinum, & candelam, & unum denarium; reſiduum verò recipitur à Priore ſancti *Remigii*. Nuptiæ etiam prędictarum mulierum debent fieri à Presbytero Parochiali in Eccleſia ſancti *Remigii*, & recipiet dictus Presbyter primum denarium oblationis, panem, & vinum, & cereos, & duos denarios oblatos cum cereis; Prior verò ſancti Remigii reſiduum recipiet: & ſi fortè contingeret, quòd Presbyter Parochialis non vellet prędictis diebus intereſſe, ad mandatum Presbyteri Prior vel aliquis de ſociis ſuis dicta officia ſuppleret, & totum beneficium reciperet. In Eccleſia beati *Remigii* Prior nec ejus ſocii aliquem prędicatorem ſine licentia Presbyteri prędicare permittet. Aliquem non poteſt Prior excommunicare, vel ejus ſocii ſine licentia vel mandato Presbyteri niſi in generali, & licebit Priori vel ejus ſociis Dominicis diebus feſta denuntiare, ſi Presbyter præſens non fuerit. In prędicta etiam Eccleſia peregrinis de Caſtro Presbyter conſuevit benedicere peras, & baculos, & miſſam, ſi ei placuerit celebrare, & ſolum denarium de oblationibus recipere. Presbyter poterit baptizare infantes in quacumque dictarum Eccleſiarum voluerit, & confeſſiones tam majorum quàm minorum, tam de caſtro quàm de burgo, & foro, in quacumque dictarum Eccleſiarum voluerit recipere. Matricularius verò in Eccleſia ſancti *Remigii* conſtitutus tenetur deſervire presbytero in Eccleſiaſticis officiis, quando requiſitus fuerit infra Caſtrum & extra Caſtrum, ſi acceperit euchariſtiam in Eccleſia beati *Remigii*. In pane, & vino, & candelis oblatis, in Eccleſia ſancti *Salvatoris* Eccleſia de Nongento nihil recipere debet: nec aliquis ex parte ipſius Eccleſiæ ſecundùm uſuagium, præterquam in feſto purificationis B. *Mariæ*, in quo Eccleſia de Nongento duas partes percipere debet de omnibus oblationibus, tam candelis quàm aliis, quantùm ad diem purificationis. In cujus rei teſtimonium præſentes literas ſigillo noſtro roboratas emiſimus. Actum anno Domini milleſimo ducenteſimo vigeſimo primo, menſe Mart.

Digitized by Google

XXIV. STATUTA DE RESIDENTIA CANONICORUM ECCLESIÆ S. MARCELLI PARISIENSIS.

Ex Chartulis Eccleſiæ Pariſienſis.

B*Artholomæus* promiſſione divina Pariſienſis Eccleſiæ miniſter indignus, omnibus pręſentes literas inſpecturis, ſalutem in Domino: Cùm ſuper ordinatione reſidentiæ in eccleſia S. *Marcelli* Pariſienſis à Canonicis ejuſdem eccleſiæ faciendæ per reverendum patrem bonæ memoriæ *Odonem* quondam Pariſienſem Epiſcopum prædeceſſorem noſtrum, facta quæſtiones emerſiſſent, quibuſdam verba literarum ipſius ſuper hoc confectarum ad ſuam voluntatem retorquere nitentibus potius quàm ad rectam intentionem: Canonici ejuſdem eccleſiæ nos propter hoc adeuntes interpretationem ſeu declarationem ſuper his à nobis fieri poſtularunt. Nos autem habito ſuper hoc multorum & prudentum conſilio quędam ad præſens declaravimus, & præſenti ſcripto duximus referenda, & à Canonicis per ſacramentum quod præſtant præcepimus inviolabiliter obſervanda; videlicet quòd Canonicus nihil percipiat de corpore præbendæ ſuæ, niſi Presbyteri reſidentiam perfecerit: & ſi ſemel perfecerit, oportet iterum perficere, antequam iterato percipiat præbendæ ſuæ fructum. Corpus autem prębendæ eſt quòd percipitur præter diſtributiones cotidianas, quæ illis ſolis dantur quæ perſonaliter & præſentialiter interſunt. Si autem poſt perfectam reſidentiam foraneus factus fuerit, oportet quòd iterum perficiat reſidentiam, antequam habeat licentiam ſtudiorum causâ. Item non poteſt quis habere licentiam morandi ſtudiorum causâ in civitate, in qua beneficium Eccleſiaſticum habet. Item eadem die qua exibit villam, & moram faciet, ita quòd alibi pernoctet. Sufficit intereſſe cuicunque horarum, ad hoc quòd faciat reſidentiam; propter hoc non habebit diſtributionem, niſi interfuerit alicui horarum à capitulo ſtatutarum, ſcilicet matutinis, majori miſſæ, vel veſperis. Item quando redit in villam, ſufficiat quòd in-

Digitized by Google

terſit alicui horarum, ad hoc quòd faciat reſidentiam. Item quando quis vult facere peregrinationem, debet petere licentiam à Capitulo. Intelligimus autem peregrinationem, quantùm in longè vadit, quòd commode ea die redire non poſſit. Item à Capitulo debet peti licentia ſtudiorum causâ. Item quando vicarius inſtitutus eſt, ſi Canonicus cujus eſt vicarius interſit alicui prædictarum trium horarum, alter eorum percipiet diſtributionem. Hoc autem diximus retenta nobis & ſucceſſoribus noſtris poteſtate amplius declarandi, ſi tempus fuerit. Quia non cognovimus, quòd ordinatio prædicti prędeceſſoris noſtri tam ſollenniter & celebriter facta per negligentiam eorum qui ſervare debuerant penè penitus ſit collapſa, hanc noſtram interpretationem de tot & tam prudentum virorum concordi conſilio factam majori duximus vinculo ſervandam. Contradictores enim & eos qui ſcienter contraveniunt excommunicationis ſententiæ ſupponimus, pręcipientes ſub eadem pœna, ut hoc toto anno ſingulis menſibus hæc noſtra ſcriptura in Capitulo ſollemniter recitetur. Datum anno Domini M. CC. XXVI. Menſe Octob.

XXV. STATVTA PETRI MELDENSIS EPISCOPI DE RESIDENTIA.

Ab INNOCENTIO *IV. confirmata non obſtantibus quibuſlibet privilegiis, & conſuetudinibus.*

Ex Chartulário Eccleſiæ Meldenſis.

UNiverſis præſentes literas inſpecturis, *M.* Decanus, totumque Meldenſis eccleſiæ Capitulum, ſalutem in Domino. Notum facimus, quòd nos recepimus, & habemus *Innocentii* Papæ quarti literas ſub hac forma.

Innocentius epiſcopus ſervus ſervorum Dei venerabili fratri Epiſcopo, & dilectis filiis Decano, & Capitulo Meldenſi, ſalutem & Apoſtolicam benedictionem. His quæ ab eccleſiarum prælatis pro ipſorum utilitatibus provide ſtatuuntur, libenter adjicimus Apoſtolici muniminis firmitatem, ut intemerata conſiſtant quæ noſtro fuerint præſidio communi-

ta. Cùm igitur, ſicut ex parte veſtra fuit propoſitum coram nobis, in ecclesia veſtra quædam edideritis pro ipſius utilitate Statuta, prout in literis noſtris confectis exinde perſpeximus plenius contineri; nos veſtris poſtulationibus grato concurrentes aſſenſu ſtatuta eadem, ſicut provide facta ſunt, non obſtantibus aliis privilegiis vel conſuetudinibus olim ſuper præmiſſis editis, juramento ſeu firmitate alia roboratis, autoritate Apoſtolicâ confirmamus, & præſentis ſcripti patrocinio communimus, tenorem literarum ipſarum præſentibus ad cautelam de verbo ad verbum inſeri facientes, qui talis eſt.

Petrus Dei gratia Meldenſis epiſcopus, *M.* Decanus, totumque Meldenſis eccleſiæ Capitulum, omnibus præſentes literas inſpecturis, ſalutem in Domino. Noverit univerſitas veſtra, quòd cùm multæ fuiſſent ortæ dubitationes & contentiones ſuper reſidentiis præbendarum Meldenſis Eccleſiæ faciendis, & perceptione fructuum eorumdem, tandem inſpectis, & conſuetudinibus ejuſdem Eccleſiæ antiquis & approbatis diligenter conſideratis ſuper reſidentia, & foraneitate præbendarum, & perceptione fructuum earumdem, ſtatutum eſt, quòd à principio Aprilis in Aprilem ſubſequentem continue vel interpolate perficiat Canonicus ſuam reſidentiam per ſex menſes, quod nos interpretamur per viginti ſex ſeptimanas; exceptis illis quos proprii corporis infirmitas excuſaret, vel ad ſedem Apoſtolicam accedere, ſeu in ejus ſervitio contingeret detineri, quoſque accepta licentia peregrinationis labor vocaret, aut ſtudia traherent literarum: ita tamen quòd primam reſidentiam in eccleſia corporaliter faciat nemine excepto, niſi contingat Canonicum pro negotiis Eccleſiæ à Capitulo, vel Epiſcopatus ab Epiſcopo miſſum extra eccleſiam commorari. Cujus abſentiæ tempus in prima, & etiam in aliis reſidentiis computabitur. Si verò contingat Canonicum cæpta jam prima reſidentia ante eam præfatam cedere vel decedere, fructus præbendæ ſuæ habebit integros illius anni, ſcilicet à feſto Apoſtolorum *Petri* & *Pauli*, uſque ad aliud ſequens feſtum eorumdem Apoſtolorum. Si verò facta prima reſidentia Canonicus non habitus pro foraneo poſt Calendas April. ceſſerit vel deceſſerit tali tempore, quod ſufficiat tempus reſiduum ad perficiendam reſi-

Digitized by Google

dentiam infra Aprilem ſubſequentem, fructus præbendæ ſuæ integre percipiet illius anni, ſcilicet à feſto beatorum Apoſtolorum *Petri* & *Pauli* uſque ad aliud ſubſequens feſtúm eorumdem Apoſtolorum. Quantumcumque autem Canonicus ſive habitus pro foraneo, ſive non habitus in Eccleſia præſens fuerit, diſtributiones cotidianas habebit, ſicut & alii. Item ſtatuimus, quòd nullus poſſit incipere reſidentiam ſuam ante Aprilem; poſt quem Aprilem debet percipere fructus ſequentis Auguſti. Statuimus etiam quòd, ſi contingat Canonicum primò dimidium poſtmodum integrari finito annuali primæ dimidiæ adveniente Aprili ſubſequenti poſſit de prima dimidia reſidentiam facere: finito autem annuali de integratione oportebit eum de novo in Eccleſia, ut dictum eſt, ſex menſium reſidentiam facere, ac ſi primam reſidentiam de dimidia numquam feciſſet. Statuimus etiam, quod Canonici in minoribus ordinibus conſtituti de diſtributionibus quæ fuerint in Capitulo nihil percipiant, in quibus nihil percipiunt abſentes Canonici in ſacris ordinibus conſtituti. Item ut Canonici in minoribus ordinibus conſtituti, niſi primam reſidentiam corporaliter fecerint in Eccleſia, fructus ſuos non habeant. Statuimus etiam, quòd in minori ætate & in minoribus ordinibus conſtituti Canonici, facta ſua prima reſidentia, corporaliter in Eccleſia poſſint alias reſidentias ſuas facere in ſcholis uſque ad viceſimum ætatis ſuæ annum, ſicut & illi qui ſunt in ſacris ordinibus conſtituti: ita tamen quòd ſi in uno ordine ſeptimanas ſuas faciunt in Eccleſia per ſe vel per alios, cōpleto autem viceſimo ętatis ſuæ anno ad Subdiaconatus ordinem ſe faciant infra annum promoveri: alioquin, pro foraneis habeantur. Quicunque verò ætatis ſuæ viceſimum annum compleverit, cujuſcumque ætatis ſit, foraneus habeatur; niſi infra annum ad Subdiaconatus ordinem ſe fecerit promoveri, & in Capitulo prout conſuetum eſt fecerit juramentum: & omnia prędicta de perſonatibus duximus ſtatuenda. Statuimus etiam, quòd certus numerus Canonicorum, qui ante fuit in eccleſia noſtra obſervatus, de cetero irrevocabiliter obſervetur. Quæ omnia ut rata & firma permaneant ſigillorum noſtrorum munimine roboravimus. Actum anno M. CC. XLV. Menſe Martio.

Nulli ergo omnino hominum liceat hanc paginam noſtræ confirmationis infringere, vel ei auſu temerario contraïre. Si quis autem hoc attentare prǫſumpſerit, indignationem omnipotentis Dei & beatorum Petri & Pauli Apoſtolorum ejus ſe noverit incurſurum. Datum Lugd. II. Calend. Maii Pontificatus noſtri anno quarto. In cujus rei teſtimonium prǫſentes litteras ſigilli noſtri munimine fecimus roborari, anno Domini M. CC. XLVII. Menſe Decemb.

XXVI. STATVTVM ARCHIEPISCOPI VIENNENSIS.

VT CORPVS DEFVNCTI, QVI EXTRA SVAM Parochiam eligit ſepulturam, ad ſuam Parochialem Eccleſiam primitus portetur, excepta Cathedrali Eccleſia.

Ex Chartulario Eccleſiæ Viennenſis.

NOs *Joannes* de *Sarpaſia* Officialis curiæ Viennenſis pro capitulo Viennenſi tenente ſedem Archiepiſcopalem Viennenſem vacantem, Notum facimus univerſis prǫſentes literas inſpecturis, quòd nos vidimus quandam literam ſigillatam ſigillo bonæ memoriæ Domni *G.* Archiepiſcopi Viennenſis quondam non vitiatam, non cancellatam, nulla ſui parte abolitam vel corruptam; cujus tenorem de verbo ad verbum tranſcribi fecimus, & tranſcriptum ſigillo noſtræ curiæ ſigillari, cujus tenor hic ſequitur.

Nos G. Dei gratia ſanctæ Viennenſis eccleſiæ Archiepiſcopus, notum facimus univerſis prǫſentes literas inſpecturis, quòd cùm aliquis Parochianus noſtræ civitatis extra ſuam parœchiam eligit ſepulturam, propter ingentes diſcordias quæ cotidie oriuntur, habito ſuper hoc conſilio peritorum, ſtatuimus, ut corpus defuncti qui extra ſuam Parochiam eligit ſepulturam, ad ſuam Parochialem Eccleſiam primitus portetur: & ibi pro defuncto miſſæ, & alia ſuffragia, quæ pro defunctis Domino offeruntur, ut moris eſt, celebrentur: & ibidem non poſſit teneri ultra voluntatem rectoris Eccleſiæ, in cujus cimeterio electa eſt ſepultura. Elapſo autem dicto termino extunc rectori ſive rectoribus loci, in quo electa eſt ſepultu-

Digitized by Google

ra, damus licentiam corpus defuncti inde extrahendi, & deportandi ad locum, ad quem electa eſt ſepultura. In hoc excipimus Eccleſiam Cathedralem; quo caſu defunctus ad parochialem Eccleſiam non portetur, ſed ad Cathedralem eccleſiam, ſi ibidem electa fuerit ſepultura, recta via portetur. Datum XIII. Junii anno Domini M. CC LXXIII.

Factum fuit hoc tranſcriptum XIII. Octob. anno Domini M. CC. LXXXII.

XXVII. STATUTA ECCLESIASTICA DE IUDÆIS.

Ex Schedis Viri Clariſſimi Antonii Vion Domini d'Herouval.

I. NE aliquis Judæus habeat nutricem, vel aliquem ſervientem Chriſtianum: quia ſervientes attrahunt ad legem ſuam, & cum nutricibus fornicantur. Concil. Vienneſe ſub. Clemente pp. IV. can. XVI.

II. Ne aliquis Judæus carnifex ſuum reſiduum carnium vendat Chriſtianis.

III. Ne aliquis Judæus vel Judæa ſe abluat in flumine vel aqua currente, quo vel qua Chriſtiani utuntur.

IV. Ne in aliqua civitate, caſtro, ſive villa ſint plures ſynagogæ, quàm una, quæ ſit de quatuor muris tantummodo ſine ſolario vel aliquo alio diverſorio; quia cùm Iudæi habent aliquas pertinentias ſynagogæ, ibidem attrahunt converſos & etiam Chriſtianos, quantum poſſunt, ad legem ſuam: & cùm reverſi ſunt apoſtatæ ad legem ſuam, ibi celant eoſdem.

V. Item ne habeant niſi unicum cimiterium in una diœceſi, & ſit extra villam.

VI. Ne aliquis Iudæus tangat aliquam rem comeſtibilem & venalem, niſi emat eandem.

VII. Ut omnes Iudęi deferant ſignum, per quod cognoſcantur: & omnes Iudeæ deferant cornu ſuper caput ſuum ſecundùm conſuetudinem Montis-peſſullani; quia ſe ponunt quandoque in habitu Clericorum, & aliorum Chriſtianorum, pro audiendis & videndis ſecretis eorum. Can. XV. Ejuſdem Concilii.

VIII. Ne pueri Iudęorum circumcidantur, donec ſciant reſpondere ad interrogata.

IX. Ne aliquis Iudęus ſit uſurarius: & ſi fuerit uſurarius,

Digitized by Google

Dominus terræ faciat Chriſtianis reddere uſuras.

X. Ne aliquis Judęus comedat carnes in quadrageſima; nec etiam die veneris.

XI. Ne aliquis Judęus vel Judæa induat pannos coloratos aliquo colore.

XII. Ne aliquis Judæus diſputet cum aliquo Chriſtiano, niſi ſit Theologus, aut converſus Judæus Chriſtianus.

XIII. Ne aliquis Judæus intret domos Chriſtianorum; neque ſuſtineat, quod mulier Chriſtiana intret domum ſuam.

XIV. Ne aliquis Judæus vel Judæa recipiat vel hoſpitet aliquem Iudæum, niſi ſciat quis & unde ſit, pro renegatis ſeu apoſtotatis, quos ſæpe receptant & hoſpitant.

XV. Ut omnes Iudæi morentur, & maneant in una parte villæ, ſcilicet in extremitatibus villæ: quia Chriſtianos inducunt ad errorem propter commixtionem, quam habent cum Chriſtianis.

Conc. Biterrenſe ſub Innocentio Pp. IV. can. XLIII.

XVI. Ne aliquis Iudæus vel Iudæa doceat apponere medicinam Chriſtianis, nec ſimiliter apponat.

XVII. Ne aliquis Iudæus vel Iudæa intret ecclesiam, vel cimiterium Chriſtianorum.

XVIII. Ne aliquis Iudæus habeat aliquos libros, præterquam de bibliotheca.

XXVIII. STATUTA

DE CASIBVS EPISCOPO RESERVATIS.

Ex Chartulis Eccleſiæ Pariſienſis.

ISTos caſus reſervat ſibi epiſcopus in confeſſionibus,
De abortivo notorio.
De perjurio in ſua curia facto.
De homicidio voluntario.
De falſatione ſui ſigilli.
De redemptione vel mutatione voti.
De reſtitutione ultra viginti ſolidos.
De ſortilegiis circa corpus Chriſti & ſanctum Chriſma.
De portatione armorum.
De erroribus condemnatis per Papam vel epiſcopum.

STATUTA

Digitized by Google

III.

STATVTA PRINCIPVM ET REGVM PRO BONO ECCLESIARUM.

I. STATUTUM COMITVM HENRICI, COGNOMENTO STEPHANI, VUILLELMI, THEOBALDI, ODONIS, ET STEPHANI.

DE LIBERTATE DOMORVM, ET RERVM Epiſcopalium in morte Epiſcopi.

Ex codice Mſ. privileg. Eccleſiæ Carnotenſis.

IN nomine ſummæ & individuæ Trinitatis, Patris, & Filii, & Spiritus ſancti. Ego *Henricus* Comes cognomento *Stephanus*, nec non & *Adela* uxor mea cum filiis noſtris, notum fieri volumus omnibus ſanctæ Eccleſiæ Dei fidelibus tam Laicis, quàm Clericis pręſentibus & futuris: quia *Ivo* humilis Dei ſervus venerabilis Carnotenſis eccleſiæ epiſcopus pręſentiam noſtram adiit, & à nobis obnixe poſtulavit, quatenus domum Pontificalem, domum ſcilicet quam ex lignea lapideam ex vili reddidit ſpecioſam, ab illa prava conſuetudine, quam prædeceſſores noſtri & nos habuimus in ea, huc uſque liberam eſſe concederemus; ne ſcilicet Epiſcopis ab hac vita migrantibus, vel aliqua occaſione decedentibus, pręfata domus diſſiparetur; ne quid ferri, vel plumbi, vel vitri, vel ligni, vel lapidis, aſportaretur, vel obrueretur, vel à qualibet

ſua ſupellectili ſpoliaretur: annona quoque, vinum, fœnum, oves, & boves, & cetera animalia, omniaque mobilia, quæ ſive in urbe ſive extra urbem congregata vel collecta fuerint, ante obitum vel diſceſſum Epiſcoporum à nobis & à noſtris intacta dimitterentur, vel profutura quibus Epiſcopus reſervare, vel donare, ſeu per ſe, ſeu per euchonomum ſuum decreverit, vel majores Eccleſiæ perſonæ; ſi id Epiſcopo aliqua occaſione prævento facere non licuerit. Addidit etiam petitioni ſuæ, ut exactio, quam vulgo talliam vocant, quæ defunctis Epiſcopis vel decedentibus fieri ſolet, in ſervientes Epiſcopi vel ruſticos ſimili ratione condonaretur. *Nos* igitur tanti viri petitionem dignam fruſtrari indignum eſſe judicantes, & eccleſiaſticas res augmentari potiuſquam deteri debere cogitantes, ob remedium patris mei, animæ meæ, & uxoris meæ, filiorumque meorum, rem prætaxatam à prava conſuetudine liberam reddimus, domum ſcilicet, & domus ejuſdem ferrum, plumbum, vitrum, lignum, lapides, ceteramque ſupellectilem, ſcilicet tabulas, ſcamna, ſcabella, vaſa, vinaria, lectos, necnon coquinas, & horrea granaria, cellaria, torcularia, furnos, furnorumque domos, ſive in urbe ſive extra urbem, ſylvas, ut non vendantur nec ſuccidantur: annonam quoque, vinum, fœnum, oves, & boves, & cetera animalia, omniaque reliqua mobilia, quæ congregata vel collecta fuerint, ſive in urbe ſive extra urbem, ante obitum vel diſceſſum Epiſcopi cujuſlibet, intacta à nobis & noſtris dimittimus & nos, & filii noſtri, illis profutura, quibus Epiſcopus reſervare, vel donare, ſeu per ſe, vel per euchonomum ſuum decreverit, vel majores perſonæ Eccleſiæ; ſi id Epiſcopo vel aliqua occaſione prævento facere non licuerit. Concedimus etiam, ut prætaxata exactio, quæ defunctis Epiſcopis vel diſcedentibus fieri ſolet, in ſervientes Epiſcopi vel ruſticos de cetero numquam fiat. Et quia tam benignè iſta conceſſimus, conceſſerunt mihi & *Adelæ* uxori meæ Epiſcopus, & congregatio tota Canonicorum beatæ *Mariæ*: ut per ſingulos annos anniverſaria noſtra celebrarentur temporibus ſuis in Eccleſia beatæ *Mariæ*. Si quis autem prætaxatam pactionem annullare, vel debilitare conabitur, concedimus, quantum in nobis eſt, ut tam in urbe quàm

In ſuburbanis divinum officium interdicatur: & tanti ſacrilegii patratores admoniti, ſi non reſipuerint, uſque ad ſatisfactionem anathematis gladio ſeveriſſime puniantur. Si quis autem futurorum Epiſcoporum in domo ſupradicta turrim, vel propugnacula ædificaverint, turris & propugnacula tantùm deſtruentur; domus autem cum appenditiis ſuis inconcuſſa manebit. Ut autem pactum hoc firmum & inconcuſſum per ſuccedentia tempora permaneat: placuit ſcripto mandari, & optimatum tam Clericorum, quàm Laicorum aſtipulatione roborari, & ſigillorum noſtrorum teſtimonio communiri.

II. STATUTUM PHILIPPI I.

Quo præcedens confirmatur.

Ex eodem Codice.

IN nomine Sanctæ & individuæ Trinitatis. *Philippus* Dei gratia Francorum Rex. Notum fieri volumus univerſis in Regno Francorum per futura tempora ſucceſſuris, quòd Dominus *Ivo* ſanctæ Carnotenſis eccleſiæ venerabilis Epiſcopus humili devotione celſitudinem noſtræ Serenitatis adierit; obnixè deprecans, ut pravam conſuetudinem in domibus Epiſcopalibus ejuſdem Eccleſiæ à Comite *Henrico* cognomine *Stephano*, & *Adela* uxore ejus, conceſſione filiorum ſuorum *Vuillelmi*, *Theobaldi*, *Odonis*, *Stephani* remiſſam, & libertatem prædictis domibus & rebus in eiſdem collectis à prædictis Comitibus donatam concederemus, & noſtra pragmatica ſanctione firmaremus. Cujus pio deſiderio aſſentientes, & æquiſſimæ poſtulationi aurem præbentes, ſecundùm tenorem ſcripti quod de prædictis rebus prætaxati Comites fieri decreverunt, noſtræ majeſtatis auctoritate res prætaxatas à prava conſuetudine liberamus, domum ſcilicet, & domus ejuſdem ferrum, plumbum, vitrum, lignum, lapides, ceteramque ſupellectilem, ſcilicet tabulas, ſcamna, ſcabella, vaſa, vinaria, lectos, necnon coquinas, & horrea, granaria, cellaria, torcularia, furnos furnorumque domos, ſive in urbe ſive extra urbem, ſylvas, ut non vendantur, nec ſuccidantur, nec den-

tur. Annonam quoque, vinum, fœnum, oves, & boves, & cetera animalia, omniaque reliqua mobilia, quæ congregata vel collecta fuerint, ſive in urbe ſive extra urbem, ante obitum vel diſceſſum Epiſcopi cujuſlibet, intactam manere firmamus, illis profutura quibus Epiſcopus reſervare, vel donare, ſeu per ſe, ſeu per euconomum ſuum decreverit, vel majores perſonæ Eccleſiæ, ſi id Epiſcopo aliqua occaſione prævento facere non licuerit. Concedimus etiam, ut exactio, quæ defunctis Epiſcopis vel diſcedentibus fieri ſolet, in ſervientes Epiſcopi vel ruſticos de cetero nunquam fiat. Hęc omnia, ſicut à prædictis Comitibus conceſſum eſt & firmatum, & nos, ut prædictum eſt, concedimus, & per pragmaticam ſanctionem noſtram firmamus, teſtificante charactere noſtri nominis & ſigillo noſtræ majeſtatis. *Philippus* Dei gratia Francorum Rex. Actum & confirmatum Pariſius anno Dominicæ Incarnationis M. C. V. anno verò regni noſtri XLVI.

III. STATUTUM LUDOVICI VI.

Cognomento CRASSI, ut ejus diplomata teſtantur, ſeu, ut vulgo dicitur, GROSSI.

DE SERVIS ECCLESIÆ CARNOTENSIS CONTRA omnes ad teſtimonium admittendis.

Ex cod. Mſ. privileg. Eccleſiæ Carnotenſis.

LUdovicus Dei miſericordia Rex Francorum, Omnibus Chriſti fidelibus. Cùm juxta ſacratiſſimarum legum inſtituta, Regia poteſtas ex injuncto ſibi officio, Eccleſiarum defenſioni & honori vacare plurimum debeat, operæ pretium eſt eos, quibus tanta permiſſa poteſtas, adeo earum tranquillitati & paci attentiori cura ſollicitudinis providere, & ad laudem Dei omnipotentis, per quem Reges regnant, Eccleſias & earum res quodam honoris privilegio decorare: ut in bonis actibus & regium morem exerceant, & ſupernæ retributionis præmium indubitanter recipiant. Noverint igitur univerſi, quia fidelis noſter *Goffridus* venerabilis Carnoten-

Digitized by Google

ſium Epiſcopus, & beatæ *Mariæ* Carnotenſis Eccleſiæ conventus majeſtatis noſtræ pręſentiam adierunt, humiliter conquerentes, & oſtendentes, quatenus ſervi pręfatæ Eccleſiæ à ſecularibus perſonis tanto contemptui habebantur, quòd in forenſibus, & in civilibus cauſis, vel placitis, adverſus liberos homines in teſtimonium nullatenus recipiebantur, & Eccleſiaſtica mancipia ſecularibus ſervis ferè in nullo pręferebantur. Unde res Eccleſiaſtica ob tanti ſcilicet opprobrium dedecoris non ſolummodo vileſcebat, ſed maximum diminutionis incommodum de die in diem incurrebat. Cognita verò prędictæ eccleſiæ querela, moti tam ratione quàm dilectione, neceſſarium duximus ab eadem eccleſia tantum ſcandalum removere, & Carnotenſem beatæ *Mariæ* illius glorioſiſſimæ Virginis & Reginæ Eccleſiam regio beneficio ſublimare. *Ego* igitur *Ludovicus* divina in Regem Francorum clementia ſublimatus antiquam conſuetudinem Carnotenſis eccleſiæ recognoſcens, communi Epiſcoporum & procerum noſtrorum aſſenſu & conſilio, necnon & uxoris meæ *Adelais*, & filii mei Philippi in Regem deſignati, inſtituo & decerno, ut ſervi ſanctæ Carnotenſis eccleſiæ tam qui ad Epiſcopum quàm qui ad canonicos pertinent, adverſus omnes tam liberos quàm ſervos in omnibus cauſis, placitis, & negotiis, liberam & perfectam habeant teſtificandi, & bellandi licentiam: & nemo unquam ſervitutis occaſionem eis opponens, in eorum teſtimonio ullam dare prędumat calumniam. Quòd ſi aliquis temeraria præſumptione illorum teſtimonium in aliquo refutaverit, aut calumniatus fuerit, non ſolùm Regiæ majeſtatis, & publicæ inſtitutionis reus exiſtat, ſed querelam negotii ſui vel placiti inrecuperabiliter amittat, ita ſcilicet ut præſumptuoſus calumniator de querela ſua, ſi quærat, ulterius non audiatur: & ſi aliquid ab eo quæratur, alterius querelæ reus omnino & convictus habeatur. Aliud etiam ſtatuimus, ut prædictus calumniator, niſi de tanta calumniæ culpâ Carnotenſi eccleſiæ ſatisfecerit, ad teſtimonium proferendum ulterius non admittatur. Quod ne valeat oblivione deleri, ſcripto commendavimus: & ne poſſit à poſteris infirmari, ſigilli noſtri auctoritate & nominis noſtri caractere ſubterfirmavimus. Actum Pariſius

publicè anno M. C. XXVIII. Regni noſtri XX. adſtantibus in palatio noſtro quorum nomina ſubtitulata ſunt & ſigna.

Sign. LUDOVICI Buticularii.
Sign. HUGONIS Conſtabularii.
Sign. ALBERICI Camerarii. Dapifero nullo.

IV. STATUTUM LUDOVICI VII.

COGNOMINE JUNIORIS,

DE IMMUNITATE DOMORUM EPISCOPALIUM poſt deceſſum Epiſcoporum Catalaunenſium.

Ex cod. Ms. Viri Clariſſimi Antonii Vion Domini d'Herouval, qui complectitur varias & egregias chartas Epiſcoporum ac Abbatum.

LUdovicus Dei gratia Rex Franciæ, Dux Aquitaniæ. Inter univerſa quæ agit magnitudo Regalis, nihil glorioſius eſſe dinoſcitur, quàm quòd Eccleſiarum tranquillitati ſtudet in poſterum providere: & libertatem earum ad honorem nominis Chriſti nititur adaugere. Cujus rei gratia, dilectiſſimi noſtri *Barth.* Catalaunenſis Epiſcopi precibus annuentes, ſibi & ſucceſſoribus ſuis Epiſcopis in perpetuum condonamus, ne poſt deceſſum Catalaunenſium Epiſcoporum, ſicut antiquæ conſuetudines huc uſque tenorem habuerunt, in domibus epiſcopalibus quicquam lineum aut ferreum ſive per nos ſive per miniſteriales noſtros de cetero capiamus: animalia quoque Epiſcoporum, & cetera omnia quęcumque ad ſuppellectilem domorum Epiſcopalium pertinere dinoſcuntur, ſub eadem immunitate concludimus, pręter annonam, vinum, aurum, & argentum; quæ omnia juxta vetuſtam conſuetudinem in manu & poteſtate Regiâ retinemus. Quòd ſi de his pręfatæ ſedis Epiſcopus ante obitum ſuum ſub legitimo teſtamento diſpoſuerit: illius ordinationem nec contradicere poſſumus, nec debemus. Ut hoc igitur perpetuo &c. Actum in Caſtris apud Verdun. anno Domini M. C. XLVII. Regni noſtri anno XI. per manum *Barth.* Cancellarii.

V.

STATUTA PHILIPPI REGIS FRANCORUM

Qui AUDAX dictus eſt,

PRO BONO REGIMINE ECCLESIÆ Carnotenſis, ſelecta ex compoſitione facta inter Dominos Comitem Carnotenſem, & Decanum, & Capitulum Eccleſiæ Carnotenſis.

Ex cod. Ms. de juramentis Eccleſiæ Carnotenſis.

I. Ne Capitulum advocet uſurarium manifeſtum.

PHilippus Dei gratia Francorum Rex. Notum facimus &c. Item ordinamus, quòd Decanus & capitulum Carnotenſe uſurarium manifeſtum ſcienter non advocent: Et ſi forte advocaverint ignoranter, dimittant ſtatim, cùm eum ſciverint talem eſſe: Et ſi poſt advocationem aliquis factus fuerit uſurarius manifeſtus, ſtatim dimittetur ab ipſis Decano & Capitulo, cùm hoc ſcietur publicè, niſi penitus iſti tales dimittant uſuram.

II. Iuramentum præſtandum per Procuratorem Capituli Carnotenſis.

Item ordinamus, quod Decanus & Capitulum Carnotenſe Advocatos ſuos familiam, ultra quam eis ſufficiat, ſcienter habere non permittant. Et hæc prædicta omnia videlicet de non advocando uſurarium, & de familia non ultra quam ipſis advocatis ſufficiat aſſumendâ, jurabit Procurator

Decani & Capituli Carnotenſis in Capitulo Carnotenſi, in animam ipſorum Decani & Capituli, ad excluſionem omnis fraudis & doli, ipſos Decanum & Capitulum fideliter ſervaturos & facturos. Ad cujus ſacramenti prꝑſtationem dicti Decanus & Capitulum debent vocare Comitem Carnot. vel eum qui pro ipſo Carnotenſem juriſdictionem exercebit. Si ad hoc vocati venire noluerint, fiet prædictum ſacramentum; cui ſacramento idem Comes ſtare tenebitur, & ſine alia probatione debebit eſſe contentus: & hoc ſacramentum ſemel dumtaxat prꝑſtabitur. Quilibet verò de cetero recipiendus in Canonicum in Eccleſia Carnotenſi, in ſua inſtitutione ſimile per omnia, quantùm in ſe erit, præſtabit in Capitulo juramentum.

III. De juramento Advocatorum Eccleſiæ.

Prætèrea quoties dicti Decanus & Capitulum aliquem ſeu aliquos advocabunt, debent tunc Advocatorum nomina in Capitulo Carnotenſi Præpoſito aut Caſtellano Carnotenſi, ſi ad hoc vocatus noluerit Caſtellanus aut Præpoſitus, nuntiare. Et tunc altero eorum in Capitulo præſente, Advocatus ipſe ſeu Advocati jurare debebunt in Capitulo, ad excluſionem omnis fraudis, machinationis, & doli, quod familiam, ultra quam eis vel ei ſufficiat, non aſſument: & quod Advocato ipſo, aut quocumque de ſua familia negotiante pro alio, non fraudabit Advocatus, nec fraudari ſufficienter permittet in negotiatione prædicta dictum Comitem in couſtumâ. Quo juramento, quantùm ad negotiationem pertinet, idem Comes ſine alia probatione debebit eſſe contentus. &c.

IV. De quibuſdam ſtatutis revocandis.

Item ordinavimus, quod dicti Decanus & Capitulum ſtatuta revocent, quæ fecerunt adverſus illos, qui contra ipſos Decanum & Capitulum, prædicto Comiti aut ſuis præſtarent conſilium vel juvamen: & ſi qua fuerit ſuper prꝑdictis declaratio facienda, vel petita fuerit ab alterutra partium, de conſenſu earum nobis retinemus uſque ad Nativitatem

tem Domini proximam poteſtatem declarandi. Quod ut ratum & ſtabile permaneat, in futurum præſentibus literis noſtrum fecimus apponi ſigillum. Actum Pariſius die Martis poſt feſtum beati *Nicolai*, anno Domini M. CC. LXXI.

VI. STATUTA
PHILIPPI PULCHRI REGIS FRANCORUM,
PRO BONO ECCLESIARUM PROVINCIÆ Narbonenſis.

Ex regeſto Cameræ Computorum, ab anno M. CCC. II. ad annum M. CCC. V.

P*Hilippus* Dei gratia Francorum Rex, Univerſis præſentes literas inſpecturis, Notum facimus, quòd nos Archiepiſcopi, Epiſcoporum, Abbatum, Capitulorum, Priorum, & Rectorum Eccleſiarum, ac ceterarum perſonarum Eccleſiaſticarum Provinciæ Narbonenſis ſupplicationibus annuentes: eiſdem ac Eccleſiis ſuis, Collegiis, perſonis eccleſiaſticis duximus concedendum, quod bona mobilia perſonarum Eccleſiaſticarum, & Clericorum clericaliter viventium capi vel juſtitiari non poſſint in aliquo caſu per juſtitiam ſecularem.

II. Item quòd in caſu ubi licitè bona ipſorum immobilia capi contingeret, ea conſumi vel diſtrahi non liceat, aut expendi; quod ſi fiat, id ante omnia faciemus emendari.

III. Item quod in cauſa, ubi bona perſonarum Eccleſiaſticarum ſaiſirentur vel caperentur, unus tantummodo ſerviens in caſtro uno vel manerio ſive loco ponatur, qui de ſtipendiis ſuis vivet; ſtipendia autem iſta ſolvantur, prout in noſtris continetur ſtatutis, videlicet ſervienti equiti tres ſolidos, & pediti octodecim denarios monetæ currentis: ita quod ſi monetam ad ſtatum priſtinum reduci contingat, ſtipendia hujuſmodi faciemus; ut expedire viderimus, moderari niſi in aliquibus locis minus accipere conſueverint; quam volumus conſuetudinem obſervari.

IV. Item quod dicti Prælati Clericos clericaliter viventes

non impediantur defendere à talliis, ad quas non tenentur de jure.

V. Item de gratia ſpeciali concedimus ipſis prælatis ac Eccleſiis ſeu collegiis perſonis Eccleſiaſticis ſupradictis, quod de acquiſitis ſuis nomine Eccleſiarum temporibus retroactis præſtare financias, vel extra manum ſuam dicta acquiſita ponere nullatenus compellantur, ſed ea poſſint licitè retinere.

VI. Item quod advocationes & recognitiones novæ, quæ ab Eccleſiarum ſubditis nobis fiunt, nullatenus admittantur: etiam de novo factæ revocentur omnino.

VII. Item quod ſervientes vel bajuli noſtri non maneant in juriſdictionibus Prælatorum exercendo officium, nec in terris Eccleſiarum aſſiſiæ teneantur, niſi ab antiquo fuerit conſuetum.

VIII. Item quod prætextu alicujus gardiæ noſtræ antiquæ in perſonis Eccleſiaſticis non impediatur Eccleſiſtica juriſdictio Prælatorum.

IX. Item quod de cognitione decimarum non feodalium in petitorio vel poſſeſſorio, præſertim inter partes Eccleſiaſticas nuncii noſtri ſe nullatenus intromittant; & ſi, cùm duæ partes Eccleſiaſticæ contendunt ſe quælibet earum poſſidere, poſuerint vel ponant in manu noſtra; ne partes ad arma venire contingat, poſſeſſionem hujuſmodi reddant in manu ordinarii loci, qui jus faciat inter partes, dummodo ſequeſtratio hujuſmodi de partium litigantium aſſenſu & voluntate procedat.

X. Item quod perſonæ Eccleſiaſticæ non compellantur in foro ſeculari ſuper actionibus merè perſonalibus litigare, quanquam per noſtras aut miniſtrorum noſtrorum litteras ad hoc fuerint obligatæ.

XI. Item quod teneantur Seneſcalli, & alii Officiales jurare, quòd mandata eis facta per litteras noſtras pro Eccleſiis & Eccleſiaſticis perſonis faciliter & fideliter exequentur, niſi obſtet aliqua rationabilis cauſa, quam reſcribere in continenti noſtræ Curiæ integrè teneantur, & de reſcriptione illa ipſis perſonis Eccleſiaſticis quarum intereſt copiam faciant, ut appareat an veritatem reſcribant; ſi tamen revela-

Digitized by Google

tio cauſæ hujuſmodi eſſet nobis periculum allatura, tunc Seneſcallus ſeu Ballivus de cauſa copiam facere non tenetur: quòd tamen circa hoc fraudem vel malitiam non committet jurarabit cum aliis ſtatutis noſtris.

XII. Item concedimus ex nunc, quòd poſſeſſiones, quas pro ecclesiis aut pro domibus Eccleſiarum parrochialium fundandarum de novo vel ampliandarum infra villas non ad ſuperfluitatem ſed convenientem neceſſitatem acquiri continget, de cetero apud ipſas eccleſias remaneant abſque coactione vendendi, vel extra manum eccleſiarum ipſarum ponendi: quodque poſſeſſores illarum poſſeſſionum ad eas dimittendas pro juſto pretio compellantur.

XIII. Item pro cimiteriis, eccleſiis etiam parrochialibus, & domibus Rectorum extra villas fundandis vel ampliandis, concedimus illud idem.

XIV. Item permittimus & volumus, quòd eccleſiæ & Eccleſiaſticæ perſonę poſſint acquirere in ſuis feodalibus & cenſivis, etiam in quibus merum non habent imperium quatenus competit Eccleſiis de jure, & de conſuetudine Eccleſiarum Provincię Narbonenſis.

XV. Item volumus, quòd Prælati ſeu Rectores eccleſiarum pro delictis officialium vel famulorum ſuorum puniantur, niſi quatenus ſunt propter hoc puniendi de jure vel conſuetudine Provinciæ Narbonenſis.

XVI. Item concedimus pro Abbatibus, Prioribus, Conventibus, Capitulis, & haſpitalariis, ſcilicet quòd non puniantur pro delictis monachorum ſeu converſorum & aliorum familiarium & domeſticorum ſuorum; niſi quatenus ſunt propter hoc puniendi de jure, vel conſuetudine Provinciæ Narbonenſis.

XVII. Item volumus & præcipimus concedentes de gratia ſpeciali, quòd cùm contingat aliquando appellari ad curiam noſtram à curiis ſecularibus Prelatorum, qui de antiqua conſuetudine primas habent appellationes, fiat ſine difficultate remiſſio dictorum appellantium ad ipſos prælatos, vel ad eorum judices appellationum.

XVIII. Item volumus, quòd gentes noſtræ occupent regalia eccleſiarum vacantium Provinciæ Narbonenſis.

Digitized by Google

XX. Item quòd non impediantur Prælati perſonas eccleſiaſticas, & eorum bona mobilia cum armis moderari, vel ſine armis, ac delinquentes in civitatibus & diœceſibus eorum capere, quatenus facere conſueverunt.

VII. JOANNIS REGIS STATUTA

ET ORDINATIONES DE JUDÆIS.

Ex Regeſto Cameræ Computorum ſic inſcripto:

DE TEMPORE REGIS JOANNIS *IN VIAGIO Avenionenſi anno m. ccc. lxii. & anno lxiii.*

JEhan, &c. au Senechal de Beaucaire, ou à ſon Lieutenant, Salut. Pource qu'il eſt venu à noſtre cognoiſſance, que des Juifs qui ſont demourants à preſent en noſtre Royaume, dont les uns ſe dient eſtre Phiſiciens, & les autres Cirreurgiens, ils ſe ſont entremis, & entremettent de jour en jour de uſer envers les Creſtiens nos ſubgies tant en pratique comme autrement deſdites ſciences de Phiſique & de Cirreurgie; & icelles exercent & veullent exercer, ſans ce qu'il ſoit apparu à vous ou à autres de nos gens demourans en voſtre Sen. qu'ils ſoient ſouffiſans & abiles pour leſdites ſciences exercer: ce que par aventure eulx ou aucuns d'eulx ne ſont mie. Et ainſi par leur inſcience & folle entrepriſe grans perils & inconveniens irreparables ſe pourroient enſuir envers leſdits Creſtiens nos ſubgies, ſe par nous n'y eſtoit pourveu de remede. Nous par deliberation de noſtre Conſeil avons ordonné & ordonnons par la teneur de ces lettres, que leſdits Iuifs ne aucuns d'eulx ne ſoient ſi hardis de meſfaire envers nous, de exercer, uſer, ne eulx pour quelque maniere que ce ſoit deſdites ſciences de Phiſique, ne de Cirreurgie, ne d'aucun d'icelle en pratique aucune envers leſdits Creſtiens, ne aucuns d'eulx; Si ne ſont premierement & avant tout œuvre examinés en la preſence de vous, ou d'autres nos gens de voſtre Sen. par maiſtres ou autres Creſtiens expers eſdites ſciences: & que iceluy ou ceulx deſdits Juifs qui s'en voudra entremettre, ſoient trouvés abiles & ſouffiſans & con-

venables pour en uſer envers leſdits Creſtiens. Item comme autrefois ait eſté ordonné, que leſdits Juifs avoient & portoient certain ſigne apparent, par quoy l'en les peuſt cognoiſtre des Creſtiens & iceux Juifs ou aucuns d'eulx, ſi comme nous avons entendu aint eſté & ſoient remis & negligens de le avoir & porter, ou au moins ſe il le ont porté ou portent, ſi eſt de ſi petite apparance, & en tel lieu que à paines le pueſt l'en cognoiſtre: Novs ſamblablement avons ordonné & ordonnons de nouvel, que tous leſdits Juifs qui demeurent & demouront en noſtre Royaume, auront & porteront ſigne notable & apparent, afin que difference ſoit faite de eulx aux Creſtiens, & que d'iceulx Juifs l'en puiſſe avoir meilleure & plus clere cognoiſſance. Item nous avons ordonné, que de toutes les cauſes, querelles, & demandes quelles qu'elles ſoient, que leſdits Juifs auront & pourront avoir à faire contre leſdits Creſtiens, & les Creſtiens contre les Juifs pour le temps preſent & avenir, deſquiex controverſion ſera meuë ou pourra mouvoir entre eulx ou aucuns d'eulx: les Juges ordinaires ſous qui leſdits preſents demouront, auront la cognoiſſance entierement & à plain, & ſeur les debas feront aux parties bon & brief accompliſſement de juſtice. Si vous mandons & enjoingnons eſtroitement que nos preſentes ordonnances vous ſans aucun delay faites publier es lieux notables & accouſtumés en voſtre Sen. & icelles tenir & garder de point en point, ſans les enfraindre en aucunne maniere; ſachans que qui fera le contraire nous le ferons punir tellement, que tous autres y pranront exemple. Donne' à Niſmes le xxvi. jour de Decembre l'an M. CCC. LXII. ainſi ſigné.

Par le Roy, en ſon Conſeil.

VIII. STATVTVM CAROLI V. COGNOMENTO SAPIENTIS

IN GRATIAM ET FAVOREM CAPITVLI Rhemenſis, quolibet ſtatuto contrario non obſtante.

Ex regeſto Cameræ Computorum, ab anno M. CCC. LXII. uſque ad ann. M. CCC. LXIII.

C*Arolus* primogenitus Regis Franciæ & ejus locum tenentis, Dux Normanniæ, & Delphinus Viennenſis. Notum facimus univerſis pręſentibus & futuris, quòd ob reverentiam & honorem redemptoris noſtri, & ejus glorioſæ matris Virginis Mariæ, & cæleſtis curiæ, dilectos & fideles noſtros Præpoſitum, Decanum, Cantorem, & Capitulum Eccleſiæ Remenſis favore benevolo proſequentes, nos eiſdem Pręposito, Decano, Cantori, & Capitulo Rem. auctoritate Regia, qua fungimur in hac parte, & ex noſtris certa ſcientia & gratia ſpeciali concedimus per pręſentes, ut omnes & ſinguli moderni, & futuri Canonici, Capellani, Vicarii, ſeu in dicta eccleſia quomodocunque beneficiati, de extra dictum Regnum Franciæ oriundi de bonis ſuis univerſis mobilibus, & immobilibus acquiſitis per ipſos aut acquirendis vel quomodocunque obvenientibus, ubicunque & in quibuſcunque rebus & locis conſiſtant, diſponere & ordinare libere pro ſuo libito voluntatis in teſtamento ſeu ultima voluntate, aut alio modo quocumque ſibi placuerit, & heredes & ſucceſſores ſui aut ab ipſis, vel eorum altero cauſam habentes vel habituri, ad eadem bona ſuccedere poſſint & valeant libere, & impune, ac ſi pręfati Canonici, Capellani & alii in dicta Eccleſia beneficiati eſſent de dicto Regno ſpecialiter oriundi, conſtitutione, ordinatione, ſtatuto vel lege editis, & conſuetudine, vel uſu generali vel locali dicti Regni ad hoc contrariis non obſtantibus quibuſcunque: firmiter inhibentes univerſis & ſingulis juſticiarum Regni prędicti & quibuſcunque Officiaris, Commiſſariis, & Collectoribus præſentibus & futuris, vel eorum loca tenentibus, & cuilibet eorumdem, ne

Digitized by Google

præfatos Canonicos, Capellanos, Vicarios, aut alios in dicta Eccleſia Remenſi beneficiatos de extra Regnum Franciæ ut præfertur oriundos, heredes, aut ſucceſſores ſuos, ſeu ab ipſis aut eorum altero cauſam habentes vel habituros, contra noſtram præſentem gratiam impetere, perturbare, aut moleſtari quomodolibet præſumant; imo ipſos & eorum quemlibet dicta gratia uti & gaudere faciant, & permittant pacifice & quiete. Quod ut firmum & ſtabile perpetuo perſeveret, noſtrum his præſentibus literis fecimus apponi ſigillum, Regio in aliis & alieno in omnibus jure ſalvo. Datum, & actum Pariſ. anno Domini M. CCC. LXII. menſis Februar. die viceſima ſexta.

IX. SUPPLICATIONES FACTÆ,

SEU HENRICI REGIS &c. STATUTA

SVMMO PONTIFICI PER AMBASSIATORES Domini Regis propoſita pro bono Eccleſiarum, ut à ſede Apoſtolica probentur, & confirmentur. Vnà cum Reſponſionibus ſummi Pontificis.

Ex memoriali Cameræ Computorum ſignato I. folio 13.

I. Vt ſummus Pontifex ſingulis beneficiis & prælaturis Eccleſiæ vacantibus provideat ad petitionem Regis de perſona notabili, bene merita, tali proviſione digna ex tribus per eum ſuper hoc nominandis.

IN primis cum propter malitiam temporum viſis periculis & guerrarum turbinibus & diviſionibus in Regno Franciæ, proh dolor! vigentibus, periculoſum ſit providere prælaturis, dignitatibus, & aliis beneficiis vacantibus in eodem Regno, de perſonis Regi* & ejus dominio ſuſpectis, & de quibus plena ſecuritas veriſimiliter haberi non poſſit ipſo hujuſmodi guerrarum tempore durante: *S. V.* in prælaturis conferendis videlicet in Archiepiſcopatibus, Epiſcopatibus, Abbatiis,

* *Concil. Aurel.* I. *can.* IV. De ordinationibus Clericorum id obſervandum eſſe decrevimus, ut nullus ſecularium ad Clericatus officium præſumatur, niſi aut cum Regis juſſione.

primis dignitatibus poſt Pontificales, dignitatibus in eccleſiis collegiatis, prioratibus conventualibus & ſimilibus uti valeat reſervationibus Apoſtolicis, ſicut tempore *Vrbani V.* & *Gregorii* XI. utebatur: & poſſit providere ſingulis dum vacabunt ad ſupplicationem & requeſtam Domini Regentis dictum Regnum de perſona notabili & bene merita tali proviſione digna ex tribus per eum ſuper hoc ſecretè nominandis; aliter, *S. V.* non admiſſionem dignetur tolerare, & recuſationem ex juſta cauſa tibi notam ferre.

II. Vt ſummus Pontifex expectativas det: moderateque primos fructus prælaturarum & aliorum beneficiorum recipiat.

Item, quia reperitur, quòd tempore dictorum Dominorum *Vrbani V.* & *Gregorii XI.* dabantur gratiæ expectativæ ad quæcumque alia beneficia infra dictum Regnum conſiſtentia; *S. V.* conſimiliter expectativas dare valeat, ipſorum tamen tertia parte ordinariè reſervata ita quòd bona reſervata in vice & parte V. S. computentur, ac ſi reſervata non forent: moderateque recipere & habere valeat primos fructus prælaturarum & aliorum beneficiorum dumtaxat, excluſis omnibus aliis minutis ſervitiis, & quibuſcumque aliis modis pecunias exigendi, ſicut de obligationibus, quittanciis, dilationibus & ſimilibus; de aliis vero beneficiis mediam partem, donec hujuſmodi prælaturæ & alia beneficia, quæ nunc omnino depauperata ſunt, meliorentur.

Reſponſio ſummi Pontificis.

Fiat, quod ordinarie liceat quartam partem beneficiorum conferre ad quinquennium: & pro ſolutione vacantiarum debitarum concedentur dilationes ſufficientes, & habebitur reſpectus ad pauperes.

III. De remiſſione taxarum pro prælaturis, quæ vacarunt.

Item, quod cùm tempore Domini Alexandri V. omnia arreragia, quæ prætendebat Camera Apoſtolica & Collegium

gium Cardinalium, ſibi debita fuerint remiſſa: & Dominus Joannes nihil poſt ſe dimiſit, & Prælati qui dicuntur conceſſiſſe inconſtantia medietatem taxæ Prælaturarum erant pauci præſertim de Regno Franciæ, nec alios potuiſſe obligare videntur, maxime contra legem & ordinationem Regis & Regni; hoc viſo caſu cum circunſtantiis placeat *S. V.* remittere omnes taxas & pecuniarum ſummas, penſas debitas pro prelaturis quæ vacarunt de tempore *V. S.* in dicto Regno, quacumque obligatione non obſtante uſque ad datam præſentium, etiamſi terminus jam effluxerit; quia, attento quod talia diebus ſingulis eveniunt, impoſſibile eſſet ea ſolvere ſine deſtructione totali & ruina beneficiorum, quod cederet ad difformitatem Regni, quam Rex, & Dominus *Regens* toto poſſe cupiunt evitare.

Reſponſio ſummi Pontificis.

Fiat, quod omnibus detur dilatio ſecundum qualitatem Eccleſiæ: pro impotentibus ad annum, pro aliis ad ſex menſes.

IV. De cauſa matrimoniali inter Dominum de Clouceſtre, *&* Comitiſſam Avoniæ *ex una parte: & Ducem Brabantiæ ex altera.*

Item dignetur *S. V.* ad ſe advocare cauſam matrimonialem in curia Romana pendentem inter Dominum de *Clouceſtre* & *Comitiſſam Avoniæ* ex una, & *Ducem Brabantiæ* ex altera, & illam committere in partibus; attento quod partes ipſæ ſe ſubmittunt & ſubmiſerunt ordinationi dicti Domini *Regentis*, & *Ducis Burgundiæ*.

V. Ut Epiſcopi Franciæ & Angliæ cognoſcant de quibuſcumque cauſis, de quibus recurſus haberi ſolebat ad ſedem Apoſtolicam, & ab ipſis terminentur, duabus tantum exceptis.

Item dignetur *S. V.* dare & concedere alicui Prelato ſeu perſonæ eccleſiaſticæ in Regno Franciæ, & in dicto Regno ac obedientia dicti Domini Regis Franciæ & Angliæ degenti poteſtatem, licentiam, & facultatem cognoſcendi de quibuſ-

cumque cauſis, * de quibus recurſus habendus eſſet ad ſedem Apoſtolicam, ſive per ſimplicem querelam, aut per appellationem, vel alio quovis modo, vel alteri committendi, ita quod terminentur pro omnibus inſtantiis infra Regnum: hæreſis & criminis læſæ majeſtatis in perſonam ſummi Pontificis, matrimonialibus inter magnates & potentes cauſis duntaxat exceptis.

* *Cyprianus in epiſt. ad Cornelium LV.* Nam cùm ſtatutum ſit omnibus nobis, & æquum ſit pariter ac juſtum, ut unius cujuſque cauſa illic audiatur, ubi eſt crimen admiſſum, & ſingulis paſtoribus portio gregis ſit adſcripta, quam regat unuſquiſque & gubernet, rationem ſui actus Domino redditurus; Oportet utique eos quibus præſumus non circumcurſare.

Reſponſio ſummi Pontificis.

Fiat, quod non committantur cauſæ beneficiales in curia Romana per ſimplicem querelam, vel per appellationem, nec cauſæ matrimoniales in duabus inſtantiis, niſi perſonarum conditio hoc expoſcat.

VI. Quicunque non reſident infra certum tempus, ſuis beneficiis priventur.

Item dignetur *S. V.* deputare unum commiſſarium, qui poſſit monere, ſeu moneri mandare omnes & ſingulas perſonas Eccleſiaſticas habentes prælaturas, dignitates aut alia beneficia in terris & obedientiis dicti Regis Franciæ & Angliæ citra mare, qui à ſuis beneficiis receſſerunt, & illa Paſtoris ſolatio deſtituta reliquerunt, quatenus infra certum tempus eiſdem propterea ſtatuendum veniant ad reſidendum in locis dictorum beneficiorum ſuorum, præſtentque obedientiam Regi, & tractatum pacis ſervent & teneant: alioquin, priventur, & extunc declarentur privati dictis eorum beneficiis, dictaque beneficia perſonis idoneis conferantur, prout decuerit, & per illos, ad quos ſpectabit.

Reſponſio ſummi Pontificis.

Fiat in forma juris, dum tamen poſſint ſecure in eis morari.

Digitized by Google

VII. Quod Regi liceat facere reformationem ſtatus Eccleſiaſtici in ſuo Regno ſecundum juris ſcripti & ſacrorum canonum veras concluſiones, definitiones, ac primas traditiones, non obſtante qualibet appellatione.

Item placeat *S. V.* viſo quòd Clerus in multis regionibus & provinciis quaſi ubique digreſſus eſt à ſuis traditionibus & obſervantiis maximè in Regno Franciæ, in tantùm quòd ulterius tolerari non poſſet ſine convenienti proviſione: attento quòd authentice reperitur in ſcriptis autoritate Regia reformationem Cleri alias in eodem Regno Franciæ fuiſſe, ſicut in aliquibus aliis Regnis: ac quòd ſedes Apoſtolica aliquando Principibus Catholicis modernis temporibus facultatem dedit & conceſſit facere per viros Eccleſiaſticos, dedit & conceſſit facultatem illuſtri Principi Domino *Duci Bedfordiæ* regenti Regnum Franciæ faciendi facere reformationem aliorum de ſtatu Eccleſiaſtico in terris & dominiis ſuæ Regentiæ; ita & hoc efficiatur propter Dei reverentiam & bonum Eccleſiæ, & ne ſtatus Eccleſiaſticus turbetur in regimine ſuo, & de ſuo tempore, tam exemptos quàm non exemptos reducendo tam ſeculares quàm regulares ad ſuas primas inſtitutiones, & debitas obſervantias, ac ceremonias, ſecundùm juris ſcripti & ſacrorum canonum veras concluſiones, & definitiones, ac primas traditiones; abſque eo quòd aliqua appellatio poſſit impedire vel ſuſpendere, quod deputandi reformatores ſtatuerint & ordinaverint, interpretati fuerint aut declaraverint: & quaſcumque exemptiones & exemptos reducendo ad limitationem Concilii Lateranenſis & Lugdunenſis.

Reſponſio ſummi Pontificis.

Fiet ſecundùm quod dabitur bonus & congruus modus.

Digitized by Google

VIII. De auctoritate Regia in Prælatos, qui cùm fugiunt ab Eccleſiis, in quibus remanere poſſent, ſi vellent, quaſi transfugæ habentur ſecundum traditiones Canonum & SS. Patrum, & ſeipſos dejicere noſcuntur.

ITem quòd cùm ſecundùm traditiones Canonum & ſacrorum Patrum, Prælati qui fugiunt ab ecclefiis ſuis, in quibus remanere poſſent, ſi vellent, quaſi transfugæ habeantur, & populum & Eccleſiam ſibi commiſſam pro derelicto videantur habere, & ſeipſos dejicere noſcantur: cumque Archiepiſcopus Remenſis per jam plures & præcedentes annos pro tali ſit habitus & habeatur; quidam verò alii ſe conſtituerint & conſtituant inimicos Regis Dominique Regentis, quorum debent eſſe vaſſalli, & ſunt pro temporalitate conceſſa eorum Eccleſiis ad fundationem Eccleſiæ & libertate Regia; & per ambitionem & circumventionem ſe procuraverint pronunciari ad nonnullas eccleſias in Dominio & ſubjectione Regis exiſtentes, à quibus non ſolum tam indigni, quin imò tanquam hæretici & rei criminis læſæ majeſtatis juſtè & rationabiliter repulſi ſunt, ut ſunt qui conantur occupare Eccleſiam Laudunenſem pronuntiati ad Eccleſiam Sagrenſem, ad Eccleſiam Meldenſem, & nonnulli alii aſſequi & retinere conantur Abbatias, dignitates alias, & beneficia alia in ſubjectione & dominio Serenitatis Regis Franciæ & Angliæ: placeat S. V. illos transferre ad alia loca, vel eis aliter providere, aut declarare jus ſibi non competere, vel ſaltem Regi conſentire, ut ſecundum formam juris auctoritate Regia providere poſſit & valeat, prout alias factum fuiſſe reperitur, ne populus dictis Eccleſiis ſubjectus deficiat in eo quod ſibi tenetur facere Prçlatus ſive obtinens dignitatem, & ne alienetur ab obedientia, ſubjectione, & reverentia Serenitatis Regiæ.

Reſponſio ſummi Pontificis.

Fiet capta oportunitate & commoditate faciendi.

Digitized by Google

IX. Quòd non ſcribatur pro promotis ad Prælaturas & dignitates ſine expreſſione nominis Sereniſſimi Domini Henrici *Regis.*

ITem quòd cùm Eccleſia Romana conſueverit incumbere poſſeſſioni Regnorum, Ducatuum, & dominiorum temporalium, non habendo reſpectum ad veritatem tituli, cùm ad ipſam non pertineat judicare de titulo, & ſcribere talibus Dominis per recommendationem illorum, qui apud ipſam promoventur ad prælaturas & dignitates, & ad fidem faciendam de eorum promotione, ut temporalia eis expedientia ſint: cumque à paucis temporibus ſine expreſſione nominis Sereniſſimi Domini noſtri *Henrici* Regis Franciæ & Angliæ ſcriptum fuerit pro quibuſdam promotis ad prælaturas & dignitates intra terminos ſui Regni & dominiorum ſuorum ſignatis, quod alias factum fuiſſe non legitur; placeat S. V. ſub expreſſione ſui proprii nominis in cauſa ſimili à cetero ſcribere: aliter, aſſentiri, quòd non teneantur temporalia eis expedire cum clauſis & capitulis opportunis.

X. Quod clerus tenetur expenſ.is ſolvere, quæ fiunt pro reformatione ſtatus Eccleſiæ.

Item dignetur S. V. dare & concedere licentiam & facultatem imponendi ſuper Clerum, Eccleſias, Eccleſiaſticaſque perſonas Regni Franciæ exiſtentes in obedientia Domini noſtri Regis Franciæ & Angliæ uſque ad valorem duodecim florenorum auri de camerâ, pro rehabendo & recuperando expenſas Ambaſſiatoribus datas & factas pro Ambaſſiatâ ad S. V. pro præſenti deſtinata; cum poteſtate compellendi per cenſuram Eccleſiaſticam qui fuerint compellendi cum invocatione brachii ſecularis; viſo quòd ea pro quibus miſſi ſunt Ambaſſiatores potius concernunt ſtatum Eccleſiæ, & perſonarum Eccleſiaſticarum, quàm alicujus alterius.

Reſponſio Summi Pontificis.

Fiat uſque ad ſummam octo milium florenorum levandam per vocatos.

XI. De erectione generalis ſtudii in facultate artium juriſque civilis in quacumque civitate &c. Provinciæ Rotomagenſis, cum privilegiis. &c.

Item dignetur S. V. concedere & dare facultatem alicui Prælato aut perſonæ Eccleſiaſticæ erigendi generale ſtudium in facultate artium juriſque civilis in quacumque civitate, bonâ villâ, ſeu loco notabili in provincia Rotomagenſi, de quo placuerit & videbitur illuſtriſſimo Principi Domino Regenti cum prerogativis, libertatibus & privilegiis illis & ſimilibus, quibus gaudet & utitur univerſitas ſtudii Pariſienſis: & quòd ſpecifice poſſit illa exprimere poſt erectionem ſtudii, Doctores & Magiſtros, ac ſtudentes alios qui cauſa ſtudii venerint facere uti & gaudere, ac ſi ſpecifice hîc exprimerentur, & per S. V. ſingulariter ſingula manu veſtrâ ſignarentur.

Reſponſio Summi Pontificis.

Fiat cum privilegiis aliarum univerſitatum de Francia, vocatis vocandis.

XII. Ut ſi aliqua collecta imponatur pro erectione hujuſmodi ſtudii, Clerici contribuere teneantur.

Item quòd ſi pro erectione hujuſmodi ſtudii aliqua collecta imponatur perſonis laicis Provinciæ prędictæ ſive Regni Franciæ, perſonæ Eccleſiaſticæ debeant & teneantur contribuere ſemel proportionabiliter ſimul & Laici; maximè cùm hoc concernat tam bonum Eccleſiæ quàm utilitatem Laicorum: & quòd ad hoc poſſint compelli per cenſuram Eccleſiaſticam cum invocatione brachii ſecularis.

Reſponſio ſummi Pontificis.

Fiat pro ſemel, ſed non per brachium ſeculare.

Datum Romæ apud S. Petrum pridie Kalend. Aprilis anno ſeptimo.

Atergo verò originalis ſic erat ſcriptum: Iſte rotulus regiſtretur & reſtituatur dicto Rotomagenſi Archiepiſcopo de mandato Auroblez. Dat. die prima Aprilis lib. I. fol. 221.

Collatio copiæ præſentis XII. articulos continentis, quorum tres videlicet IV. VIII. & IX. eo modo quo in originali exiſtunt cancellati, facta fuit in camera Compotorum Domini Regis Pariſius cum originali rotulo in theſauro chartarum & privilegiorum ejuſdem Domini, reponendo de præcepto & ordinatione Dominorum ibi die XIV. Decembris anno Domini milleſimo quadringenteſimo viceſimo tertio, per me LE BEGUE.

ARTICULUS SECUNDUS

DE STATUTIS ECCLESIÆ SERVANDIS.

JURAMENTA EPISCOPORUM, CLERICORUM, ABBATUM, ET MONACHORUM.

I.

FORMA JURAMENTI EPISCOPI LINGONENSIS, in primo adventu.

Ex Chartulario Eccleſiæ Lingonenſis.

JUramus fidelitatem Eccleſiæ ſancti *Mammetis* Lingonenſis. Juramus nos ſervaturos conſuetudines & ſtatuta Lingonenſis eccleſiæ antiqua & approbata, quas & quæ prædeceſſores noſtri juraverunt. Juramus etiam ſpecialiter nos deſenſuros terram Capituli manu armata, ſi neceſſe fuerit. Juramus etiam, quòd ſententias latas in prædones & malefacto-

res Lingonenſis Eccleſiæ non relaxabimus, niſi reſtituatur capitale pro quo ſententia lata fuerit. Juramus etiam, quòd non conſentiemus nec permittemus pro poſſe noſtro promoveri in Eccleſia Lingonenſi uſque ad quartam generationem deſcendentem ab illo, qui canonicum Lingonenſem mala captione ceperit, mutilaverit, vel occiderit. Juramus etiam, quòd non utemur gratia facta Domino *Roberto* prædeceſſori noſtro ſuper collatione præbendarum Lingonenſis Eccleſiæ.

Sic juravit dominus GUIDO BAUDETI *nuper Epiſcopus, addens:* jure tamen noſtro, & Epiſcopatus noſtri in omnibus ſemper ſalvo.

II.

JURAMENTUM

EPISCOPI PARISIENSIS

Ex Chartulario Eccleſiæ Pariſienſis.

EGo talis Pariſienſis Epiſcopus juro ſuper hæc ſacroſancta Evangelia, me ſervaturum jura Eccleſiæ Pariſienſis. Sub hac forma juravit Reverendus Pater *Stephanus* Epiſcopus Pariſienſis anno Domini M. CC. LXVIII. die Dominica, ante feſtum beati *Dionyſii*, præſentibus viris venerabilibus & diſcretis *Gaufrido* Decano Eccleſiæ Pariſienſis, *Guillelmo*, & *Garnero* Archidiaconis ejuſdem Eccleſiæ, Magiſtro *Nicolao* de *Senis* Canonico Pariſienſi, & *Hemerico* de *ſancto Chriſtoforo* Vicario in Eccleſia Pariſienſi, & pluribus aliis. Quo juramento idem Decanus dixit eidem Domino Epiſcopo nomine Capituli & ſuo: Domine, Capitulum dicit, quòd appellatione juramenti libertates & conſuetudines approbatæ comprehenduntur. Et Dominus Epiſcopus reſpondit, Bene volo, quòd ſe extendant ad ea quæ ſe debent extendere.

FORMA III.

III.

FORMA JURAMENTI PRÆLATORUM.

Ex cod. Ms Magiſtri CAROLI DE LA ROCQUE de Ceremoniis Romanis.

EGo Epiſcopus ab hac hora inantea fidelis & obediens ero ſancto *Petro*, ſanctæque Romanæ Eccleſiæ, Domino noſtro, Dominoque meo Papæ Romano, ejuſque ſucceſſoribus Canonicè intrantibus. Non ero in conſilio, aut conſenſu, vel in facto, quòd vitam perdant, aut membrum, vel capiantur mala captione. Conſilium, quod mihi aut per ſe, literas, aut per nuntium manifeſtabunt ad eorum damnum, nulli pandam. Papatum Romanæ Eccleſiæ & regulas ſanctorum Patrum adjutor ero ad defendendum & retinendum, ſalvo ordine meo, contra omnes homines. Vocatus ad ſynodum veniam, niſi præpeditus fuero Canonica præpeditione. Legatum Apoſtolicæ Sedis, quem certum eſſe cognovero in eundo & redeundo, honorificè pertractabo: in ſuis neceſſitatibus adjuvabo: Apoſtolorum limina ſingulis annis aut per me, aut per certum nuntium viſitabo, niſi eorum abſolvat licentia. Sic me Deus adjuvet, & hæc ſancta Evangelia.

IV.

JURAMENTUM,

Quod Epiſcopus Carnotenſis in ſuo jocundo adventu facit apud ſanctum Martinum in valle Carnotenſi, in capitulo monaſterii dicti loci, antequam ad matricem Eccleſiam deferatur, ad petitionem Decani & Capituli Carnotenſis ſeu certorum Canonicorum Carnotenſium dictum juramentum nomine dictorum Decani & Capituli fieri petentium.

Ex cod. Ms. de juramentis Eccleſiæ Carnotenſis.

NOs N. permiſſione divina Carnotenſis Epiſcopus juramus ad ſacroſancta Evangelia, quòd nos conſuetudi-

nes Eccleſiæ Carnotenſis antiquas rationabiles tam ſcriptas quàm non ſcriptas, & maximè privilegiatas fideliter obſervabimus.

Juramus etiam, quòd ſi ſuper illarum aliqua dubii exiſteremus, teſtimonio & recordationi unanimi totius vel majoris partis Capituli Carnotenſis, aut probationi juratoriæ trium vel quatuor ipſius Eccleſiæ Canonicorum ſine aliqua contradictione parebimus.

V.

COPIA DUORUM INSTRUMENTORUM ſuper dicto juramento confectorum.

IN nomine Domini, Amen. Per hoc præſens inſtrumentum publicum pateat univerſis, quòd anno à nativitate ejuſdem milleſimo trecenteſimo decimo ſexto, Indictione xv. die octava menſis exeuntis Octobris, videlicet die Dominica, poſt feſtum beati *Lucæ* Evangeliſtæ, hora prima Pontificatus ſanctiſſimi Patris Domini *Ioannis* divina providentia Papæ xxii. anno primo apud ſanctum *Martinum* in valle juxta Carnot. videlicet in Capitulo monaſterii dicti loci, Reverendus in Chriſto pater & Dominus Dominus R. Dei gratia Carnotenſis Epiſcopus, præſentibus venerabilibus viris & diſcretis Dominis *Th.* Decano, *Petro* Subdecano, *Guillermo* Camerario, *Radulpho* Cancellario, *Hugone* de *Nigella* Prępoſito de Auverſio, *Gaufrido* Bleſenſi, *Egidio* Vindocinenſi, Archidiaconis; *Petro* de Rupe forti, *Raginaldo* de Brocia, *Egidio* de Forcerecia, *Guillermo* Cyerrici, *Roberto* de Marrigniaco, *Petro* de Condeto, *Roberto* de domo Maugis, *Hanone* de Privimo, *Guillermo* & *Ludovico* de Meleduno, *Ioanne* Furnerii Antiſſiod. *Drocone* de Caduco, *Petro* de Villanis, *Philippo* de Planciaco, *Egidio* de Cheſedyo, & *Roberto* de Caſtro Villani, Canonicis Carnot. & pro Capitulo Carnot. ſe gerentibus: in noſtri notariorum & teſtium infra ſcriptorum pręſentia, ad petitionem & requiſitionẽ dicti Domini Decani nomine ſuo, & dicti Carnotenſis Capituli ipſum Dominum Carnotenſem Epiſcopum ſuper hoc de volunta-

te omnium & ſingulorum Canonicorum præſentium prædictorum nomine quo ſupra requirentis, propoſitis ſacroſanctis Evangeliis, manu ipſius Domini Epiſcopi dextra ad pectus poſita, juramentum præſtitit modo & forma quibus continebatur in quadam cedula, quam idem Dominus Epiſcopus jurando legit ibidem de verbo ad verbum, cujus cedulæ tenor ſequitur in hæc verba : Nos R. permiſſione &c. *ut ſupra.* Acta ſunt hæc anno indictione, menſe, die, hora, loco, & Pontificatu prædictis, præſentibus Reverendo in Chriſto Patre Domino P. Dei gratia Antiſſiodorenſi Epiſcopo &c.

V I.

Sequitur copia alterius inſtrumenti præcedenti ſimilis.

V I I.

CONFIRMATIO DICTI IURAMENTI per ſedem Apoſtolicam facta & etiam approbata.

Ex cod. Ms. de Juramentis, & altero de Privilegiis Eccleſiæ Carnotenſis.

CÆleſtinus Epiſcopus ſervus ſervorum, dilectis filiis Decano & Capitulo Carnot. Salutem & Apoſtolicam benedictionem. Ex parte veſtra noſtris eſt auribus intimatum, quòd venerabilis frater noſter Epiſcopus Carnotenſis de antiqua & approbata conſuetudine Eccleſiæ veſtræ, vobis juramento tenetur aſtrictus, ad antiquas & rationabiles & præcipuè privilegiatas Eccleſiæ ejuſdem conſuetudines fideliter obſervandas. Qui ſi forte ſuper illarum aliqua dubius extiterit, teſtimonio & recordationi unanimi totius vel majoris partis Capituli, aut probationi juratoriæ trium vel quatuor ipſius Eccleſiæ Canonicorum, tenetur ſine aliqua contradictione ſub eodem juramento parere. Hanc ergo conſuetudinem ab Epiſcopis veſtris à retroactis temporibus obſervatam, ſicut ſine pravitate inſtituta eſſe dinoſcitur, ratam habemus, & auctoritate Apoſtolica vobis confirmamus. Decernimus

igitur, ut nulli omnino hominum liceat hanc paginam noſtræ confirmationis infringere, vel ei auſu temerario contraïre. Si quis autem hoc attentare præſumpſerit, indignationem omnipotentis Dei & beatorum Petri & Pauli Apoſtolorum ejus ſe noverit incurſurum. Datum Later. IV. Non. Junii. Pontificatus noſtri anno quinto.

VIII.

LITERÆ EPISCOPI ANDEGAVENSIS

DE IURAMENTO SEU SACRAMENTO fidelitatis, quod Regi præſtare tenetur: & de privilegiis quæ propter ipſum juramentum conferuntur.

Ex Regeſto de Comitatu Andegavenſi.

G*Villelmus* Dei gratia Andegavenſis Epiſcopus univerſis præſentes literas inſpecturis, ſalutem. Noverit univerſitas veſtra, quod nos cariſſimo Domino noſtro *Ludovico* Dei gratia illuſtri Regi Francorum fecimus ſacramentum fidelitatis, ſicut alii episcopi Regni Franciæ ipſi faciunt: & ipſe nobis recognovit, quod non tenemur ire in exercitum aut equitatum ejus in propria perſona noſtra, vel mittere aliquem ad ſumptus noſtros, nec occaſione iſtius ſacramenti fidelitatis ullum onus novum aut gravamen imponetur nobis aut Eccleſiæ noſtræ; ſed nos & Eccleſia noſtra manebimus in illis libertatibus, quas habuimus tempore felicis memoriæ *Philippi* Regis quondam Francorum patris ſui, & Regum Angliæ *Henrici* & *Richardi*. Item recognovit nobis, quod, quum electus Andegavenſis erit confirmatus à Metropolitano, vel ab eo qui poteſtatem habebit confirmandi, ipſe reddet ei regalia ſua per nuncios patentes literas deferentes confirmationis ipſius; ipſe tamen electus tenebitur bona fide adire Dominum Regem, ſi fuerit in Regno XL. dies poſt ſuſceptionem regalium, & eidem fidelitatis ſacramentum præſtare. Et ſi infra XL. dies ad Dominum Regem, ſicut dictum eſt, non venerit, Dominus Rex poterit ſaiſire regalia ſua, & ea tandiu tenere, quouſque Domino Regi fidelitatem ſuam fecerit. Et ſciendum eſt, quod

Digitized by Google

ſi Comitatus Andegavenſis ſeparetur à Regno, non tenemur facere comiti Andegavenſi hujuſmodi ſacramentum. Actum anno Domini M. CC. XXIII. menſe Novemb.

IX.

CONFIRMATIO PRIVILEGIORUM,

Quæ Epiſcopis à Regibus propter ipſorum juramentum collata ſunt.

Ex eodem codice Mſ.

PHilippus Dei gratia Franciæ & Navarræ Rex, notum facimus univerſis tam præſentibus quàm futuris, quod nos literas inclitæ recordationis præcariſſimi Domini & progenitoris noſtri *Philippi* Franciæ Regis vidimus in hæc verba.

Philippus Dei gratia Franciæ Rex, notum facimus univerſis tam præſentibus quàm futuris, quòd nos literas felicis memoriæ præcariſſimi Domini & genitoris noſtri *Ludovici* Franciæ Regis vidimus in hæc verba:

Ludovicus Dei gratia Franciæ Rex univerſis præſentes literas inſpecturis, ſalutem. Noveritis, quod dilectus & fidelis noſter *Guillermus* Andegavenſis præſtitit nobis ſacramentum fidelitatis, ſicut alii Epiſcopi Regni noſtri nobis faciunt: & nos recognovimus ei, quòd non tenetur ire in exercitum vel equitatum noſtrum in propria perſona, vel aliquem mittere ſumptibus ſuis, neque occaſione hujuſmodi juramenti ullum novum onus vel gravamen imponetur ei vel Eccleſiæ ſuæ; ſed ipſe & eccleſia ejus manebunt in illis libertatibus, quas habuerunt tempore bonæ memoriæ *Philippi* quondam Regis Franciæ genitoris noſtri, & *Henrici*, & *Ricardi* quondam Regum Angliæ. Idem recognovimus ei, quod, quum electus Andegavenſis Eccleſiæ erit confirmatus à Metropolitano, vel ab alio qui poteſtatem habebit confirmandi, nos reddemus ei regalia ſua per nuncios deferentes patentes literas confirmationis ejus: ipſe tamen electus tenebitur bona fide nos adire, ſi fuerimus in Regno infra XL. dies poſt ſuſcep-

Digitized by Google

tionem regalium, & nobis juramentum fidelitatis præſtare; & ſi infra XL. dies ad nos ſicut dictum eſt non venerit, nos poterimus ſaiſire regalia ſua: & ea tandiu tenere, quouſque nobis dictam fecerit juramenti fidelitatem. Sciendum eſt etiam quod ſi forte futuris temporibus comitatus Andegaviæ ſepararetur à Regno, epiſcopus Andegavenſis non teneretur facere Comiti Andegavenſi hujuſmodi juramentum. Actum Pariſius anno Domini M. CC XXIII. menſe Novembr.

Nos autem ea quæ ſuperius continentur rata & accepta habentes, & à noſtris ſucceſſoribus ea volentes in poſterum inviolabiliter obſervari, ad petitionem dilecti & fidelis noſtri *Nicolai* Andegavenſis electi in hujus rei teſtimonium præſentibus literis noſtrum fecimus apponi ſigillum. Actum apud Lochas anno Domini M. CC. LXXVI. menſe Septemb. In cujus rei teſtimonium, nos ad petitionem dilecti & fidelis noſtri *Guillermi* Andegavenſis electi præſentibus literis noſtrum fecimus apponi ſigillum. Actum apud Vicenas anno Domini M. CC. XCI. menſe Maii. Nos autem ea quæ ſuperius continentur rata & accepta habentes, & à noſtris ſucceſſoribus ea volentes inpoſterum inviolabiliter obſervari, ad petitionem dilecti & fidelis noſtri *Hugonis Odardi* electi Andegavenſis Eccleſiæ confirmati in hujus rei teſtimonium præſentibus literis noſtrum fecimus apponi ſigillum. Actum apud Giſorcum die XII. Septemb. anno Domini M. CCC. XVII.

X.

JURAMENTUM

Quod Decanus Carnotenſis debet facere ratione Decanatus Carnotenſis.

Ex cod. Mſ. de Juramentis.

EGo juro, quòd Ego recipiam ordinem ſacerdotii infra annum: & quod faciam continuam reſidentiam in Eccleſia Carnotenſi, quamdiu ero Decanus Carnotenſis: & quod ego obſervabo & defendam bona fide conſuetudines Eccleſiæ Carnotenſis antiquas, approbatas, ſcriptas, & non ſcriptas,

Digitized by Google

& maximè privilegiatas ; & quòd non impetrabo, nec impetrari faciam quicquam eis contrarium : & ſi impetratum fuerit, vel conceſſum mihi auctoritate Apoſtolica, quòd non tenear ad prædicta facienda, vel aliquod prædictorum, non utar illis impetratis privilegiis vel conceſſis, nec attentabo per me, vel per alium, venire contra præmiſſa, vel aliquod de præmiſſis.

Ergo quæcumque privilegia Eccleſiarum ſtatutis contraria nihil valent. V. infra plura exempla.

XI.

JURAMENTUM

Quod Cantor, Subdecanus, Succentor, & Camerarius Eccleſiæ Carnotenſis, tenetur facere ratione Cantoriæ, Subdecanatus, Succentoriæ, & Camerariæ ſuæ.

Hic eſt titulus in eod. MS.

Ex eodem Codice.

EGo *N.* Cantor Carnotenſis juro, quod jura Cantoriæ meæ ſervabo illæſa : & ſi aliqua alienata invenero, illa pro juribus meis revocabo ; & ſi non poſſim revocare illa, ſuperioribus meis denunciabo.

Item juro, quod ego faciam reſidentiam continuam perſonalem infra muros civitatis Carnotenſis.

XII.

DE JURAMENTO CANTORIS.

Pro reſidentia.

Ex Chartulario Eccleſiæ Meldenſis.

P. Dei gratia Meldenſis Epiſcopus, omnibus præſentes literas inſpecturis, ſalutem in Domino. Noverit univerſitas veſtra, quod cùm bonæ memoriæ *Gaufridus* prædeceſſor noſter quondam Meldenſis Epiſcopus de conſilio Capituli ſui Meldenſis, poſtquam inveſtitus eſſet & inſtallatus per Epiſcopum, in convenienti juraret in capitulo Meld. continuam reſidentiam ſe facturum, & quod ad eam teneretur ſicut Decanus Meldenſis tenetur, & Magiſter *Garinus* quondam Cantor Eccleſiæ Meld. poſt prædictum ſtatutum præſtitiſſet hujuſmodi

juramentum, prout in ejuſdem Epiſcopi literis vidimus contineri: tandem eodem *Garino* defuncto, nos dictam Cantoriam viro venerabili Magiſtro *Alexino* ſancti divini amoris intuitu conceſſimus, cui Decanus & Capitulum Meld. ex mera & ſpeciali gratia, quoad vixerit, reſidentiam antedictam remiſerunt. *Nos* igitur attendentes, quod dictam gratiam fecerit dictum Capitulum Cantori antedicto, quia pium eſt, & honeſtum, in ecclesiæ Meldenſis cedit profectum, maxime cùm communis utilitas ſit præferenda privatæ in Capitulo Meldenſi generali conſentientibus Decano & Capitulo & approbantibus, & ad petitionem eorum ordinavimus & ſtatuimus: ut quicunque de cetero Cantor Meldenſis fuerit, poſtquam inveſtitus fuerit & inſtallatus per Epiſcopum, in continenti tactis ſacroſanctis Evangeliis juret in Capitulo Meldenſi, quod in Eccleſia Meldenſi continuam reſidentiam faciet: & quod alibi quandiu erit Cantor Meldenſis, non reſidebit: & ad eandem reſidentiam, ad quam tenetur Decanus Meldenſis, juramento interpoſito profitebitur ſe teneri; nihilominus ordinantes & ſtatuentes, quod per nos & ſucceſſores noſtros ratione Cantoriæ, & per Capitulum ratione Canoniæ, ad præſtandum prędictum juramentum, & ad faciendam prædictam reſidentiam modis omnibus compellantur. Et ut dictum ſtatutum & ordinatio prædicta inviolabiliter obſerventur, omnes illos qui præmiſſa infringere & immutare voluerint, nos & omnes Preſbyteri in Meldenſi Capitulo exeuntes concludimus anathematis interdicto. In cujus rei teſtimonium nos & Capitulum prædictum pręſentes literas ſigillorum noſtrorum munimine fecimus roborari. Actum anno Domini M. CC. XXXVII. Menſe Decemb.

XIII.

DE IVRAMENTO SVCCENTORIS pro Reſidentia.

Ex charta inſtitutionis Succentoriæ in eodem Chartulario.

TEnebitur autem dictus *Robertus*, poſtquam inveſtitus fuerit ab Epiſcopo, jurare in Capitulo, quod tam ratione

præbendæ

Digitized by Google

præbendæ quàm ratione ſuccentoriæ faciet continuam reſidentiam in Eccleſia Meldenſi, & quod in presbyterum ordinabitur infra annum.

XIV.

JURAMENTUM ARCHIDIACONI

In Eccleſia Carnotenſi ratione Archidiaconatus.

Ex codice Mſ. de Juramentis.

EGo N. Archidiaconus Carnotenſis juro, quòd jura Archidiaconatus mei ſervabo; & ſi aliqua aliena invenero, illa pro viribus meis revocabo: & ſi non poſſim revocare illa, ſuperioribus meis denunciabo.

Item juro, quod Ego per competentem familiam, faciam continuam reſidentiam infra muros civitatis Carnotenſis.

XV.

JURAMENTUM ARCHIDIACONI

De non exigenda pecunia pro procuratione.

Ex Chartulario Eccleſiæ Meldenſis.

UNiverſis præſentes literas inſpecturis, Magiſter *Hugo* Archidiaconus Meldenſis, ſalutem in Domino. Notum facio, quòd cùm controverſia eſſet inter venerabilem patrem P. Dei gratia Meldenſem epiſcopum ex una parte, & me ex alia, ſuper eo quòd dicebat idem Epiſcopus, quòd ego recipiebam pecuniam vel aliam commutationem pro procurationibus mihi in Archidiaconatu Meldenſi debitis, quod mihi non licere dicebat; me dicente econtrario mihi licere tam de conſuetudine quàm de alia ratione: tandem de conſilio bonorum virorum ego compromiſi in eundem Epiſcopum præſtito juramento, promittens me obſervaturum abſque appellatione & contradictione qualibet quicquid idem Epiſcopus ſuper his duxerit ordinandum. Conſentimus etiam dictus Epiſcopus & Ego, quod in perpetuum ejus ordinatio ſuper his obſervetur tam in perſonis noſtris quàm in perſonis ſucceſſorum no-

ſtrorum. In cujus rei teſtimonium præſentes ſigilli mei munimine feci roborari. Actum anno Domini M. CC XXIX.

XVI.

JURAMENTUM ARCHIDIACONI.

De demanda non amplius facienda.

Ex eodem Chartulario.

UNiverſis præſentes literas inſpecturis, *H. de Luſaith.* Archidiaconus Meldenſis, ſalutem in Domino. Notum facimus, quòd cùm reverendo patri ac Domino P. Dei gratia Meldenſi Epiſcopo ſupplicaremus inſtanter, ut nobis concederet licentiam petendi hoc anno auxilium à Preſbyteris Archidiaconatus noſtri, pro ſui gratia ſupplicationibus noſtris acquievit tali modo; quod promiſimus fideliter, quod de cetero à prædictis Preſbyteris nullum petemus auxilium, nec faciemus demandam, nec etiam ipſum Epiſcopum ſuper hoc rogabimus, vel rogari faciemus. Quod ut ratum permaneat, præſentes literas ſigilli noſtri munimine fecimus roborari. Actum anno Domini M. CC. XXXI. menſe Octob.

XVII.

DE JURAMENTO OFFICIALIS,

Quòd ſtatuta & jura Epiſcopi fideliter obſervabit.

Ex eodem Chartulario.

OMnibus præſentes literas inſpecturis, *Petrus* Meldenſis Eccleſiæ Archidiaconus in Bria, ſalutem in Domino. Notum facimus, quod cùm reverendus Pater *P.* Dei gratia Meldenſis Epiſcopus diceret contra nos, quod non debemus habere Officialem in curia noſtra, eo quod prædeceſſores noſtri Officialem in ſua curia minimè habuerant, idem Epiſcopus ex gratia ſpeciali conceſſit, quod Nos & Succeſſores noſtri Officialem in noſtra curia de cetero habeamus; ita quod nos & ſucceſſores noſtri dictum Officialem infrà menſem,

Digitized by

poſtquam ipſum in dicta curia poſuerimus, ipſi episcopo & ſucceſſoribus ejus, ſi in Meldenſi diœceſi fuerint, vel gerenti vices eorum, ſi fuerint extra, jurabit quod jura ipſius Meldenſis episcopi, quantum ad Archidiaconatum pertinet, fideliter obſervabit. Et ſi dictus Officialis in aliquo exceſſerit vel deliquerit, illud idem Epiſcopus vel ſucceſſores ejus poterunt emendare. Et ſi tantus fuerit exceſſus, quod ab officio debeat removeri, idem Epiſcopus vel ſucceſſores ſui monebunt nos vel ſucceſſores noſtros, quod ipſum infra quadraginta dies ab officio amoveamus prędicto; alioquin ex tunc inquiſitione à dicto Epiſcopo vel ſucceſſoribus ejus prius legitimè factâ, eundem Officialem per diffinitivam ſententiam ab officio poterunt amovere, nec nos, vel ſucceſſores noſtri, nec etiam idem Officialis à dicta ſententia poterimus appellare, nec ipſi ſententiæ contraïre: vices autem ſuas idem Officialis alicui committere non poterit, niſi impeditus fuerit infirmitate, vel alia neceſſaria cauſa: nec ipſe Officialis dictæ curiæ noſtræ de matrimoniis vel matrimonialibus cauſis ſe aliquatenus intromittet; ſed Nos, vel ſucceſſores noſtri intromittere nos poterimus de eiſdem. In cujus rei teſtimonium præſentes litteras ſigilli noſtri munimine fecimus roborari. Actum anno Domini M. CC. LXXXVIII.

XVIII.

JURAMENTUM PRÆPOSITORUM

In Eccleſia Carnotenſi ratione præpoſituræ.

Ex cod. Mſ. de Juramentis.

EGo *N.* præpoſitus Normanniæ in eccleſia Carnotenſi juro, quod jura prępoſituræ meæ ſervabo illæſa: & ſi aliqua alienata invenero, illa pro viribus meis revocabo; & ſi non poſſim revocare illa, ſuperioribus meis denunciabo.

XIX.

DE JURAMENTO

Quod rectores Eccleſiarum Capituli præſtant, quando admittuntur ad curam.

Ex cod. Mſ. de Juramentis.

VOs juratis : ita vos Deus adjuvet, & hæc ſancta, & omnes ſancti de paradiſo, quod pro iſta Eccleſia quam habere ſperatis, non dediſtis aliquid, nec permiſiſtis alicui perſonæ, nec alius pro vobis dedit, aut promiſit, quod ſciatis : Et ſi ſciretis, quod aliquid fuiſſet datum, vos faceretis illud pro juribus revocari, & ſi promiſſum eſſet, poſſe veſtrum, quod non ſolveretur.

Juratis etiam, quod aliqua ſpecies Simoniæ non interceſſit.

Item juratis cuſtodire fideliter bona, & res eccleſiæ : & quod illa non alienabitis, nec permittetis per alium alienari : & ſi aliqua fuerint alienata, vos illa revocabitis, ſi poteſtis, & ſi non poteſtis, vos illud ſignificabitis ſuperioribus veſtris.

Item juratis quærere fideliter denarios ceræ, & illos reddere integrè termino conſtituto.

Item juratis bona inteſtatorum fideliter cuſtodire, & quod illa non permittetis aliquatenus diminui, aut etiam devaſtari.

Item juratis reſidentiam facere in Eccleſia corporalem, & obedientiam debitam illis, quibus debetis, & tenemini obedire.

Pręterea juratis, quod homines aut mulieres de corpore Carnotenſis Eccleſiæ non permittetis, quantum poſſitis, alienari, ſeu mutari cum hominibus, aut mulieribus de corpore Comitis vel Comitiſſæ : & ſi ſciretis, quod hoc fieret, illud denunciabitis Capitulo Carnotenſi, aut alicui de Canonicis Eccleſiæ memoratæ ; nec procedetis ad benedictionem nuptialem inter tales perſonas.

XX.

JURAMENTUM CANONICORUM.

De juramento primo.

Ex codice Ms. de præbendis & dignitatibus Eccleſiæ Carnotenſis.

OMnes verò Canonici ante inveſtituram præbendæ tenentur facere duplex juramentum, videlicet primò ad caput beatæ *Annæ*, & poſtea in Capitulo. Iuramentum factum ad caput beatæ *Annæ* tale eſt. Cantor ſeu locum ejus tenens dicit canonicando: Vos juratis ſuper iſtas ſacras reliquias, quòd vos eſtis de legitimo matrimonio procreati. Item, quod eſtis liberæ conditionis. Item, quòd pro iſta prębenda, cujus inveſtituram expectatis, non dediſtis nec promiſiſtis, nec aliud pro vobis dedit, nec promiſit vobis ſcientibus aurum vel argentum vel pecuniam aliquam, vel aliud quod per pecuniam aliquam debeat aut valeat comparari: & ſi promiſſum fuerit per vos, non ſolvetur. Item juratis, quòd in percipiendis diſtributionibus fraudem aliquam non faciatis. Sic vos Deus adjuvet, & hæc ſancta.

XXI.

FORMA JURAMENTI PRIMI.

Quod faciunt Canonici Carnotenſes in prima creatione ſua ad caput beatæ Annæ.

Ex cod. Ms. Eccleſiæ Carnotenſis de Juramentis.

EGo juro ſuper iſtas ſanctas reliquias, quod ego ſum de legitimo matrimonio procreatus: & quod ego ſum liberæ conditionis, & quod non ſum ſervus, nec libertus, nec liberti filius.

Item quod pro iſta præbenda, cujus inveſtituram expecto, non dedi, nec promiſi, nec alius pro me dedit, nec promiſit me ſciente aurum, vel argentum, vel pecuniam ali-

quam, vel aliud quod debeat aut valeat comparari : & ſi promiſſum fuerit, per me non ſolvetur.

Item juro, quod in recipiendis cotidianis diſtributionibus fraudem aliquam non faciam. Sic me Deus adjuvet, & hæc ſancta.

XXII.

FORMA JURAMENTI SECUNDI

Facti in Capitulo.

Ex eodem cod. & ex Necrologio Eccleſiæ Carnotenſis, & ex altero cod. Ms. de dignitatibus Eccleſiæ Carnotenſis.

Johannes Mabillonius vir eruditiſſimus hoc juramentum ex uno codice exhibuit imperfectum in tom. 2. veterum Analectorum: nos verò illud ex tribus codicibus Mſſ integrum reſtituimus.

JUramentum factum in capitulo tale eſt. Ego talis N. canonicandus in eccleſia Carnotenſi, juro ſuper iſtas ſanctas reliquias, quòd pro iſta prebenda, cujus inveſtituram expecto, non dedi, nec promiſi, nec alius pro me dedit, aut promiſit me ſciente aurum vel argentum vel pecuniam aliquam, vel aliud quod per pecuniam aliquam debeat aut valeat comparari : & ſi promiſſum fuerit, per me non ſolvetur. Præterea juro me obſervaturum bona fide cum auxilio Capituli conſuetudinem hujus eccleſiæ : & quòd ego, quamdiu vixero, nihil de corpore præbendæ meæ ultra quadraginta ſolidos per annum percipiam, niſi prius in propria perſona manſionem fecero in civitate Carnotenſi per dimidium annum, infrà ſpatium quod eſt ab una *Nativitate* beati *Ioannis* ad alteram, ſalvis exceptionibus à Capitulo receptis & approbatis : & quòd ab aliquo nullam indulgentiam de plus percipiendo impetrabo, & ſi alius mihi impetraverit, vel quocumque modo mihi conceſſa fuerit, nunquam ea utar. Juro etiam bona fide me obſervaturum cum auxilio Capituli conſuetudinem hujus Eccleſiæ, quæ eſt de non recipiendis in Canonicos ſeu Clericos de choro manumiſſis, ſeu manumiſſorum filiis ; exceptis quos eccleſia Carnotenſis ſcienter recipere conſuevit : & de non recipiendis in Canonicos ſeu Clericos de choro filiis concubinarum. Præterea juro bona fide me fideliter obſervaturum pro poſſe meo & propriis expen-

Is, quicquid agant alii de Capitulo, etiamſi omnes, quod abſit, ab hoc receſſerint, conſtitutionem factam à reverendo Patre bonæ memoriæ quondam Carnotenſi Epiſcopo, & Capitulo Carnotenſi, cum conſilio & approbatione magiſtri *Melchioris* Sedis Apoſtolicæ tunc Legati, de quatuor præpoſituris antiquis, ſcilicet *de Nogento Fiſci, de Fontaneto, de Amiliaco, de Belſia,* quas idem Pater dedit Canonicis deſervientibus in Eccleſia Carnotenſi; & de quatuor precariis, ſcilicet *de Normania, de Anverſio, de Maſengeio, & de Ingreio,* quas prænomitato Patri Capitulum dedit ad conſtituendum quatuor præpoſituras, ne Carnotenſis Eccleſia dignitatum numero fraudaretur. Item juro, quòd ubicumque præbendam meam percipiam, non permittam ſcienter alienari ab iſta Eccleſia terras Eccleſiæ, nec redditus, nec quaſcumque poſſeſſiones alias, nec ſervos, nec ancillas, nec earum filios ad Clericatum promoveri ſine conſcientia Capituli: Et ſi aliquid horum fortè fieri contingeret, quod per me revocare non potero, hoc fideliter capitulo nunciabo; & ſummam denariorum & avenarum, tam ratione leguminum, quàm ratione præpoſituræ impoſitam præbendæ meæ, ubicumque eam percipiam, ſolvam cui capitulum juſſerit, in termino, vel infrà à capitulo conſtituto: Et quòd non committam fraudem in quotidianis diſtributionibus percipiendis.

Hactenus ex tribus codicibus: cetera quæ ſequuntur ex duobus tantùm, ſcilicet ex codice de præbendis & dignitatibus Eccleſiæ Carnotenſis, & altero de juramentis.

Item juro, quod non revelabo facto, vel verbo, nutu, vel ſigno, occaſionaliter, vel fraudulenter, alicui, niſi ſit canonicus Carnotenſis, qui ſimiliter ſacramentum præſtitit, ſicut ego, conſilia & facta & ſecreta Capituli vel verba vel conſilia, quæ aliquis Canonicus dixerit in cauſa negotii capituli, & dixerit, quod vult ea habere ſecreta.

Item juro, quod ego defendam bona fide, & contribuendo in expenſis, ſi opus fuerit, cum conſilio Capituli, libertates Eccleſiæ, ſtatuta, conſuetudines approbatas, ac maximè privilegiatas, & privilegia, quibus non eſt dero-

gatum, & quibus Eccleſia utitur in ſuis negotiis & cauſis.

Item juro, quod in negotiis quæ habemus & habebimus cõtra comitem Carnotenſem & Bleſenſem, & ſuos Baillivos, miniſtros, & ſervientes, & contra alias quaſcumque perſonas, præſtabo fideliter conſilium & auxilium bona fide, ſecundum conſcientiam meam, pro ecclesia Carnotenſi, & nunquam contra ecclesiam, conſuetudines, ſtatuta, privilegia, & libertates ipſius, quando fuero in capitulo, vel abſens, cùm fuero requiſitus.

Item juro, quòd ſi aliquis Canonicus vel perſona Carnotenſis damnum aut injuriam cum evidenti culpa ipſius per Comitem intulerit, occaſione litis motæ in eum, ſuos, & nos, conſilium & auxilium pręſtabo: & in prędictis contribuam, ſi neceſſe fuerit.

Item juro, quòd ego per me, amicos meos tam de burſa communi quàm de propria, ſi neceſſe fuerit, Carnotenſis conventus Abbatem, & conventum Cluniacenſis ordinis, & Priorem de Caritate, & eiſdem adhęrentes defendam, & ſuſtinebo, pro facto captionis & detentionis Prioris *parvi belli-loci Moncheron*: quod factum Capitulum provocat vel attrahit ad ſe ſive agatur contra univerſitatem Capituli, vel contra ſingularem Canonicum vel aliquem de familia eorumdem.

Item juro, quod ego faciam capam de ſerico, vel ad ornamentum officio hujus ecceſiæ deputandam de primis fructibus prebendæ meæ uſque ad valorem xx. librarum Turon. ſive cedam ſive decedam.

Item juro, ſacramentum ſilere, quod fecit Capitulum Carnotenſe per Procuratorem ſuper his vocatione Burgenſium & pace reformata, ſuper hęc vocatis inter capitulum &c. Sic me Deus adjuvet, & hæc ſancta.

XXIII.

Digitized by Google

XXIII.

JURAMENTUM

Quod facit Canonicus Comitis Carnotenſis.

Ex codice de Præbendis & Dignitatibus Eccleſiæ Carnotenſis.

ITêm ſciendum eſt, quòd Capitulum tenetur ſignificare Baillivo ſeu Prępoſito Carnotenſi, ut veniant in Capitulum, ſi voluerint, viſuri & audituri juramentum cujuſlibet Canonici ſuper clauſula, quæ ſequitur, cujus tenor talis eſt.

Item juro in animam meam, quòd non permittam, quantùm in me erit, quod Decanus & Capitulum advocent uſurarium manifeſtum ſcienter: & ſi forte advocaverint ignoranter, ſtatim procurabo pro poſſe meo, quod dimittant eum, niſi dimittat uſuram: nec permittam, quantùm in me erit, quod Advocatus habeat familiam, ultrà quàm ſibi ſufficiat.

XXIV.

IURAMENTUM

Quod præſtare tenetur quilibet Canonicus Bolonienſis in ſua prima receptione.

Ex Chartulario Eccleſiæ Bolonienſis.

EGo N. Canonicus in hac Bolonienſi eccleſia de novo receptus juro ſacroſanctis his tactis evangeliis me exhibiturum, quamdiu ero Canonicus in ipſa Eccleſia, reverentiam domino Epiſcopo ejuſdem Eccleſiæ.

Item juro me exhibiturum obedientiam, & ſubjectionem dominis Decano & Capitulo prædictæ Eccleſiæ.

Item juro ſecreta capituli non revelare.

Item juro, jura & libertates meæ præbendæ retinere, & obſervare: alienata revocare pro poſſe: & ſi non poſſum domi-

nis Decano & Capitulis prędictis referre.

Item juro ſtatuta, jura libertates & conſuetudines dictæ Bolonienſis Eccleſiæ, prout & in quantùm per dictos dominos Decanum & Capitulum obſervantur, fideliter obſervare.

Item juro me eſſe de legitimo matrimonio natum ſeu procreatum: & quòd non manumiſſus ſum, nec ſervus, libertus, colibertus, nec alterius ſervilis conditionis: & quòd non conſentiam aut interero receptioni alicujus illegitimi in Canonicum hujus ecclesiæ, juxta tenorem indulti Apoſtolici huic eccleſiæ conceſſi.

Item juro, quod præbendam meam liberè aſſecutus ſum abſque aliquo penſionis onere præterito vel futuro.

Item juro pronunciationem factam per dominos Cardinales, ſuper facto juriſdictionis inter dominum *Raimundum* quondam Morinenſem epiſcopum ex una parte, & prædictos dominos Decanum & Capitulum Morinenſe ex altera, me fideliter obſervaturum, prout in dicta pronunciatione continetur.

Item juro ordinationem factam ſuper venditione domorum clauſtralium poſt mortem Canonicorum eas habentium aut etiam habiturorum in poſterum, & pro eis pecuniam habitam non in alios uſus convertendam, quàm in emptionem reddituum pro obitibus vel ſemiobitibus dictorum Canonicorum poſt ipſorum deceſſum faciendis: nec non ordinationem factam ſuper ſolutione capæ debitæ fabricæ fideliter ſervare, & in contrarium non venire per me, vel per alium quoquomodo, prout in dictis ordinationibus continetur.

Item juro omnia, & ſingula facta, & ordinata, ac etiam ordinanda apud ſanctum *Quintinum* in Viromandia per capitula Cathedralia Remenſis provinciæ ibidem congregata firmiter tenere, prout in ſtatutis per ipſum capitulum ibidem factis continetur: & ſecreta tenere, & quòd non ero de conſilio cujuſquam agentis ſeu litigantis contra exemptiones, jura & libertates hujus Bolonienſis Eccleſiæ, aut alicujus Eccleſiarum dictæ Provinciæ Remenſis prout in dictis ſtatutis ſerioſius continetur. Sic me Deus adjuvet & hæc ſancta.

Sequentia Sancti Evangelii ſecundùm Marcum:

In illo tempore offerebant Jeſu parvulos, ut tangeret eos &c.

VEL ALIUD.

Sequentia ſancti Evangelii ſecundùm Ioannem.

In illo tempore dixit Jeſus diſcipulis ſuis : filioli, adhuc modicùm vobiſcum ſum.

Nota, quòd quoties recipitur Canonicus novus in propria perſona, & admittitur ad oſculum pacis, primò dicuntur pſalmi & preces quæ ſequuntur.

Suſcepimus, Deus, miſericordiam tuam in medio templi tui. Secundùm nomen tuum, Deus, ſic & laus tua in fines terræ. Juſtitia plena eſt dextera tua. Gloria Patri & Filio &c. Sicut erat &c.

Poſtea.

Miſerere mei, Deus, ſecundùm magnam miſericordiam tuam &c. *uſque in finem*, Gloria Patri & Sicut erat &c. Kyrie eleyſon. Chriſte eleyſon. Kyrie eleyſon. Pater noſter. Et ne nos inducas in tentationem, ſed libera nos à malo. Salvos fac ſervos tuos, Deus meus, ſperantes in te. Mitte eis auxilium de ſancto, & de Sion tuere eos. Nihil proficiat inimicus in eis, & filius iniquitatis non apponat nocere eis. Eſto eis, Domine, turris fortitudinis à facie inimici. Domine exaudi orationem meam, & clamor meus ad te veniat.

OREMUS.

Suſcipiat vos, Deus in numero fidelium ſuorum : & licet nos indigni, ſuſcipimus in orationibus noſtris. Concedat vobis locum bene agendi, & juſtitiam bene perſeverandi, & ad æternæ vitæ hereditatem feliciter perveniendi. Et ſicut nos charitas fraternitatis conjunxit in terris, ita divina

pietas dilectionis auctrix & amatrix cum fidelibus ſuis conjungere dignetur, præſtante Domino noſtro Jeſu Chriſto, qui vivit & regnat Deus per omnia ſecula ſeculorum. Amen.

Decanus, vel eo abſente Præſidens promiſſa legens indutus ſtolâ aſpergit aquam benedictam ſuper Canonicum receptum, & à ſingulis ſecundùm ordinem admittitur ad pacis oſculum. Deinde * aperto codice Evangelico legitin capite primi folii quæ ſcripta reperit, & verba adnotantur ad memoriam ſuæ receptionis; aſſignaturque ſibi ſtatus in choro ſecundùm qualitatem & capacitatem recepti, & locus in capitulo: ac etiam ſibi aſſignantur & traduntur pſalmi, quos ſingulis diebus tenetur legere cum oratione ad cauſam ſuæ præbendæ.

* *S. Aug. in epiſt. cix. ad Ianuarium cap. xx.* Hi verò qui de paginis Evangelicis ſortes legunt, etſi optandum eſt, ut hoc potius faciant, &c. *Et concione 2. Pſalmi xxx.* Sors enim non aliquid mali eſt, ſed res eſt in dubitatione humanâ divinam indicans voluntatem. Nam & ſortes miſerunt Apoſtoli.

XXV.

FORMA JURAMENTI

Quod præſtare tenetur Canonicus, qui de novo recipitur per procuratorem.

EGo N. procurator N. Canonici in hac Bolonienſi Eccleſia de novo recepti legitimè conſtitutus juro his ſacroſanctis tactis evangeliis me exhibiturum, quamdiu erit Canonicus in ipſa Eccleſia, reverentiam Decano ejuſdem Eccleſiæ.

Item juro ipſum exhibiturum obedientiam &c. *Ferè ut ſupra uſque ad.*

Sequentia ſancti Evangelii ſecundùm Ioannem.

In illo tempore dixit Jeſus diſcipulis ſuis: Amen, Amen

dico vobis, quòd plorabitis, & flebitis vos: mundus autem gaudebit &c.

Aliud ſecundùm Lucam.

In illo tempore elevatis oculis Jeſus in diſcipulos ſuos dicebat: Beati pauperes, quia veſtrum eſt regnum Dei &c.

XXVI.

JURAMENTUM,

Quod Capellanus in propria perſona comparens in ſua prima receptione præſtare tenetur.

EGo N. Capellanus de novo receptus in hac Bolonienſi Eccleſia juro ſanctis his tactis Evangeliis me exhibiturum, quamdiu ero Capellanus in eadem Eccleſia, Decano hujus Eccleſiæ.

Item juro facere continuam reſidentiam, ac intereſſe horis diurnis & nocturnis.

Item juro poſſeſſiones & libertates capellaniæ meæ ſervare, & alienata, ſi quæ ſint, pro poſſe revocare: & ſi non poſſum, Dominis meis Decano & capitulo prædictis referre. Sic me Deus adjuvet, & hæc ſancta Evangelia.

Sequentia Evangelii ſecundùm Matthæum.

In illlo tempore circuibat Jeſus totam Galilæam, docens in Synagogis eorum, & prædicans Evangelium Dei, & ſanans omnem languorem. &c.

Aliud ſecundum Lucam.

In illo tempore extollens vocem quædam mulier de turba dixit ad Jeſum: Beatus venter. &c.

XXVII.

JURAMENTUM,

Quod præſtare tenetur Capellanus per procuratorem.

EGo N procurator N. Canonici de novo recepti in hac Bolonienſi Eccleſia legitimè conſtitutus &c. *ut ſupra uſque ad:*

Initium ſancti Evangelii ſecundum Ioannem.

In principio erat verbum, & verbum erat apud Deum, & Deus erat verbum, &c.

XXVIII.

DE JURAMENTO,

Quod debent facere manumittendi ad tonſuram Clericalem.

Ex codice Mſ. de juramentis Eccleſiæ Carnotenſis.

1. UNiverſis præſentes literas inſpecturis, Officialis curiæ Carnotenſis, ſalutem in Domino. Noveritis quod in noſtra præſentia conſtitutus eſt, & in jure confeſſus fuit, quod ipſe anno tali die tali fuit præſens in Capitulo Carnotenſi, & confeſſus fuit in Capitulo Carnotenſi ſe eſſe hominem de corpore Eccleſiæ Carnotenſis: & quod petiit à Capitulo Carnotenſi ſe manumitti ad clericatum, & tonſuram clericalem: & quod dicta die qua manumiſſus fuit, & ante manumiſſionem ſuam juravit publicè in Capitulo, quod pro hujus manumiſſione quam intendebat habere, non dedit, nec fecit dari, nec alius pro ipſo quod ſciverit, Capitulo Carnotenſi, vel alicui alii, nec mutuavit nec mutuari fecit, nec promiſit, nec promitti fecit, nec alius pro ipſo, quantum ſciverit, dedit, nec promiſit, nec mutuavit, nec fecit mutuo tradi pecuniam, nec rem aliquam quæ poſſet emi per pecuniam ſeu appretiari; & ſi quid promiſſum fuerit, non ſolvet, nec faciet ſolvi, etiam ſi aliquid promiſſum eſſet per juramentum ſeu per fidem. Imo

dicet ſeu intimabit hoc Capitulo, vel faciet dici ſeu intimari hoc, & tunc faciat ſeu pręcipiat Capitulum ſuper voluntatem ſuam; & ſi alius promiſerit pro ipſo, & hoc ſciverit, ipſe faciet & procurabit bona fide, quod hoc ſolutum non erit ſeu mutuo traditum.

II. Item confeſſus fuit coràm nobis talis *N.* quod ipſe dicta die qua manumiſſus fuit juravit publicè in Capitulo, quod in negotiis Capituli Carnotenſis, & in eis quæ tangunt, vel tangent Capitulum, ſive Eccleſiam Carnotenſem, vel etiam aliquem Canonicum Carnotenſem, quamdiu erit Canonicus Carnotenſis, nec dolum vel fraudem committet contra Capitulum vel Eccleſiam Carnotenſem, vel etiam aliquem Canonicum Carnotenſem: Et ſi ſciret quod injuria vel damnum grave deberet inferri Capitulo Carnotenſi, vel etiam Canonico Carnotenſi, ipſe pro poſſe ſuo hoc impediret: & ſi non valeret impedire, ſignificaret hoc vel ſignificari faciet quàm citò commode poſſet Capitulo & Canonico Carnotenſi, cui injuria deberet inferri.

III. Confeſſus fuit etiam, quod ipſe juravit dictis die & anno in Capitulo, quòd de cetero non vocabit in jus Capitulum Carnotenſe, vel aliquem Canonicum Canotenſem, vel Clericum de choro, vel hominem, vel feminam de corpore, vel hoſpitem Eccleſiæ Carnotenſis etiam in propria cauſa, niſi facta prius publice in Capitulo ſuper hoc requiſitione, & Capitulo ſibi deficiente in jure faciendo: imo reverentiam & honorem debitum exhibebit de cetero Capitulo, & cuilibet Canonico Carnotenſi, quandiu erit Canonicus Carnotenſis: & ſi contraxerit matrimonium, non deferet ex tunc tonſuram Clericalem, & revertetur ad priſtinam ſervitutem.

IV. Præterea confeſſus fuit coram nobis in jure dictus N. quòd ipſe dictis die & anno juravit in Capitulo, quòd ſi contingeret Capitulum Carnotenſe ſeu aliquem Canonicum Carnotenſem habere cauſam ſeu querelam contra aliquem hominem, ſeu aliquam mulierem, ſive contra plures ſuper hoc, quod Capitulum ſive aliquis Canonicus Carnotenſis dicat, quòd aliquis vel aliqui ſint homines vel feminæ de corpore Eccleſiæ Carnotenſis, contra quem vel quos Capitulum

ſeu Canonici Carnotenſes habebunt querelam ſeu cauſam; ipſe ad requiſitionem Capituli Carnotenſis ſeu Canonici abſque hoc quod faciat ſeu præſtet gagium duelli ſine compulſione aliqua feret legitimum teſtimonium de parentela, ſive de genere alicujus, ſive aliquorum, contra quos Capitulum ſeu Canonici Carnotenſes habebunt querelam, etiam ſi aliquis vel aliqui contra quos Capitulum ſeu Canonici Carnotenſes habebunt querelam ſeu cauſam attingerent prædictum *N.* in proximiore gradu.

V. Item confeſſus fuit & in jure coram nobis dictus talis, quod ipſe dictis die & anno juravit in Capitulo Carnotenſi, quòd ipſe non faciet nec procurabit fieri communiam in civitate Carnotenſi, nec alibi contra Capitulum vel Eccleſiam Carnotenſem: imo impediet pro poſſe ſuo, ne fiat, & ſi facta fuerit, non erit de illa communia.

VI. Item confeſſus fuit coram nobis & in jure dictus talis N. quòd ipſe dictis die & anno juravit in Capitulo Carnotenſi, quod contra Eccleſiam Carnotenſem, ſeu Capitulum, vel aliquem Canonicum Carnotenſem, non faciet aliquam conſpirationem, ſeu colligationem; & ſi facta fuerit, non erit de conſpiratione ſeu colligatione prædicta: imò quam citò ſciet eam, ſignificabit Capitulo ſeu Canonico, contra quem fiet conſpiratio antedicta.

VII. Item confeſſus fuit talis N. coram nobis & in jure, quòd ipſe jure juravit dictis die & anno in Capitulo, quod ſi majoria ad ipſum contigerit devenire ratione ſucceſſionis, vel alia ratione, ſi vellet habere vel retinere majoriam, dimitteret tonſuram; alioquin dictam majoriam non haberet, nec peteret majoriam: imo dicta majoria ad proximiores heredes abſque dicti N. contradictione deveniret. Et recognovit, quod ſub iſtis conditionibus ipſum N. dictum Capitulum manumiſit. In cujus rei teſtimonium &c. anno M. CCC. II. die Mercurii.

JURAMENTUM

XXIX.

JURAMENTUM

Quod debet reddere quilibet Abbas Diœceſis Morinenſis Matrici Eccleſiæ.

Ex Chartulario Eccleſiæ Morinenſis.

N. Abbas electus, confirmatus & benedictus profiteor, & juro ad ſancta Dei Evangelia, & in verbo ſacerdotis, me exhibiturum ſubjectionem, & obedientiam, ac reverentiam & honorem huic matrici Eccleſiæ, ſalvo ordine meo. In ſignum hujuſmodi profeſſionis hîc me ſubſcribo, & ſignum crucis appono.

XXX.

JURAMENTUM ABBATIS ORDINIS CISTERCIENSIS,

DE OBEDIENTIA ET REVERENTIA à ſanctis Patribus conſtituta quam Epiſcopo reddere tenetur.

Ex Chartulis Eccleſiæ Pariſienſis.

EGo frater Abbas Ciſtercienſis ordinis promitto ſubjectionem, reverentiam, & obedientiam à ſanctis patribus conſtitutam ſecundùm regulam S. Benedicti, tibi Pariſienſi Epiſcopo, tuiſque ſucceſſoribus canonicè conſtituendis, & ſanctæ ſedi Apoſtolicæ, pro conamine meo perpetuo me exhibiturum. Amen.

XXXI.

JURAMENTUM ABBATIS

Et Conventus beatæ Mariæ de Cagia *Meld. de obedientia & reverentia, quam Epiſcopo promiſerunt ſuper correctione ſeu reformatione dicti monaſterii.*

Ex Chartulario Eccleſiæ Meldenſis.

UNiverſis præſentes literas inſpecturis, nos Abbas & Conventus beatæ *Mariæ de Cagia* Meld. notum facimus,

quod nos per juramenta noſtra corporaliter præſtita, tactis ſacroſanctis Evangeliis, & recepta à viro venerabili Officiali Meld. & magiſtro *Ioanne de Alneto* ſuper hoc deputatis, ſpecialiter à reverendo patre P. Dei gratia Meldenſ. Epiſcopo, promiſimus inviolabiliter obſervare quicquid dictus reverendus pater, ſuper inquiſitione nuper facta in monaſterio noſtro, de mandato ſuo, & correctione ſeu reformatione dicti monaſterii tam in capite, quàm in membris, alte & baſſe, pro voluntate ſua, duxerit ordinandum. Datum anno Domini M. CC. L. die Mart. poſt feſtum S. *Vincentii*.

XXXII.

CHARTA DE JURAMENTO,

Quod Vicarius Abbatis Belli Locenſis, *ipſi Abbati debet præſtare de ſtatutis ſervandis.*

Ex Chartulario monaſterii Belli Locenſis.

SCiant præſentes & futuri, quod ex antiqua conſuetudine Eccleſiæ ſuæ Dominus *P. Bellilocenſis* Abbas exigit homagium & fidelitatem à ſuo vicario, ſicut à prædeceſſoribus ſuis fuerat inſtitutum. Ipſe conſilio Clientum & ſeniorum diligenter exquiſito, petitioni ſatisfecit hoc modo: In præſentia omnium qui ad hoc convenerant, prædictus Vicarius ingreſſus Capitulum fecit homagium Domino Abbati, deditque fidem ei ſic omnia ſervaturum. Deinde & ſuper altare beati *Emelii* tactis ſacroſanctis evangeliis, & cruce Dominica, reliquiis ſancti *Petri* ſuppoſitis, fidelitatem juravit: & ſi contra datam fidem vel contra juramentum in aliquo deliquiſſet, infra ſeptem dies ad arbitrium Domini Abbatis emendaret. Cùm vero Patre defuncto ad hoc idem ſolvendum *Geraldum* filium ejus Dominus Abbas conveniret, juramentum quidem & homagium præſtare non abnuit; ſed de reliquiis ſuperponendis controverſiam movit, deditque fidejuſſores judicio ſiſti *Vuillelmi*, & *Roberti*. Deinde cauſa examinata in manu Abbatis, productis teſtibus & receptis, de ſuperpoſitione reliquiarum per aſſeſſores ſuos ſententiam dedit, ſcilicet filium

Digitized by Google

eo modo quo Pater præſtiterat, præſtare juramentum, teſtibus hujus fidejuſſionis qui ſunt: *G. Del Sagner*, *P. d'Alſager*, *Petrus major*, *Vvillelmus major*, *S. La Vervia*, *R. de Goveze*, *G. Bariera*, *G. Adelbert*, *R. La Baſtida*, *G. de Telliet* ſacerdos, *Vvillelmus de Chatmara*, *Vvillelmus de S. Amans*, *Palzas*, *G. de Curamonte*, *Rollans Majoriſi*, *Petrus Vvi*, *Gaufredus*. Data ergo ſententia Vicarius fidem dedit Domino Abbati infra Capitulum; poſtea ſuper altare beati *Emelii*, ſuperpoſitis prædictis reliquiis, fidelitatem juravit; eo tamen ſalvo, quod infra ſeptem dies, ſi contra fidem ageret, emendare liceret. Hujus juramenti ſunt teſtes, *Vvillelmus de Goveſe* & ſuus filius, *Barura* & ſuus filius, & ſuus nepos, *Petrus major* & ſuus filius, *Vvillelmus Delboſc*, *Petrus de Salerin*, *Petrus Poteerets*, *G. Fabre*, *Vvillelmus Arnalus*, *Robertus Lo nepos Sarapi*, *G. d'Alpon*, *Gui de Curamonte*, *Bertos de Goveſe*, *de Perrizac*, *La Via*, *Vvillelmus de Chatmats*, *Ioannes Effermiera*, *G. de Cojac*, *Guibert*, *G. Palizas*, *V. de S. Amans*, *G. Prior*, *V.* puer *de Plas*, *Vvi de Muſac* puer, *V. Daſnac*, *B. de Curamonte*, *Rollans*, *G. de Marteniac*, *Gui de Beiſſent*. Et aliquando poſtmodum elapſo tempore poſtquam Dominus *Petrus* Abbatiam reſignavit, & Dominus *Gaubertus* factus eſt Abbas Belli locenſis, de jure & conſuetudine Eccleſiæ ſuæ ab eodem prænominato *Geraldo* fidelitatem exegit & homagium, cui *Geraldus* oppoſuit ſe neutrum debere in eo ſtatu, in quo tunc erat, tum quia crucem habebat, tum quia Dominus *Petrus*, cui utrumque firmaverat, adhuc vivebat: ſed tamen convictus nullam iſtarum objectionum ſibi valere poſſe, ſine omni contradictione, ſupra altare beati *Emelii*, tactis ſacroſanctis Evangeliis, ſuperpoſita cruce Dominica, & beati *Petri* reliquiis, fidelitatem firmavit & homagium in octava beati *Laurentii*, regnante *Philippo* Rege Francorum, à Lemovicenſi Epiſcopo hoc precibus impetrato, ut ſi in aliquo contra fidem deliquerit, infra dies octo emendare liceret. Teſtes ſunt Dominus Abbas, *P. Vvillelmus*, *Adeplas*, *Gauffredus*, *P. de S. Geneſio*, *G. Lomargria*, *Ioannes Effermus*, *Gausbertus de Martiuchas*, *Gui de Chatinars*, *Gausbertus de Cojac*, *V. de Plas*, *V. de S. Amaucio*, *Vvillelmus Deſpayro*, *G. La Friſſa* Monachus.. R. *Borret*, *P. Aurels*, *G. La Garrigua*, *Anunc*, *de Paul Olivier*,

Delboſc, Guidafredo, V. la Genebra, V. de Goveſe, Veniaret, P. de Lemotgas, Bertos, Iordas, Aurels, Bomaucip, Boſes, P. de Salerm.

XXXIII.

JURAMENTUM,

Quod facere tenentur in Capitulo fratres Condonati domus Dei & eleemoſynæ Carnotenſis in eorum receptione.

Ex cod. Ms. Eccleſiæ Carnotenſis de juramentis.

EGo N. juro ad ſancta Dei Evangelia, quod mediante ingreſſu & receptione in fratrem Condonatum domus Dei & eleemoſynæ Carnotenſis dedicavi & donavi, dedico & dono me, & omnia mea bona tam mobilia quàm immobilia, præſentia & futura, dictæ domui, volens & conſentiens, quòd dicta domus, videlicet Magiſter & fratres ſimiliter Condonati & eorum ſucceſſores tanquam adminiſtratores dictæ domus Dei pro Dominis de Capitulo gaudeant & utantur de dictis bonis perpetuo, ſicut Domini proprietarii & poſſeſſores dictorum bonorum, abſque eo quod in futurum poſſim per me vel per alium aliquid diſponere de dictis bonis, ſeu etiam me vel bona mea alienare, nec alibi transferre vel recedere ſine licentia & auctoritate dictorum Dominorum de Capitulo, & ex ſcitu, congendio, & expreſſa permiſſione magiſtri & adminiſtratoris dictæ domus Dei Carnotenſis.

Item juro, quod honorem & reverentiam exhibebo dictis Dominis de Capitulo, & obedientiam magiſtro ejuſdem domus pro tempore exiſtenti.

Item juro, quod quandiu vixero, faciam ſtabilitatem & perſonalem reſidentiam in dicta domo Dei.

Item juro, quod defendam pro poſſe meo libertates, privilegia: & obſervabo antiqua ſtatuta dictæ Domus Dei, & utilitatem illius procurabo, & damnum illius evitabo.

Item juro, quod dictæ domui ſerviam bene & fideliter aſſiſtendo divino ſervitio, & adminiſtrabo Eccleſiaſtica ſacramenta pauperibus infirmis in eadem domo receptis & recipiendis: ceteraque onera dictæ domui incumbentia pro poſ-

Digitized by Google

ſe meo adimplebo. Ideoque nullum beneficium ſimplex vel curatum impetrabo, neque impetratum vel conceſſum mihi auctoritate Apoſtolica vel alia tenere potero, niſi de licentia prædictorum Dominorum de Capitulo.

XXXIV.

EXCERPTUM

De juramento ad ſancta Evangelia præſtito à procuratore Eremitarum S. Auguſtini conventus Pariſienſis: Quòd donatio domus dicta la Mote ſita prope pontem de Latigniaco ipſis facta, ſiet nulla, irrita & caſſa; ſi ab officio pietatis, propter quod inſtituta eſt, defecerint.

Ex ipſa Charta donationis ejuſdem domus.

SUb talibus conditionibus, & pactis inter ipſos Burgenſes & Procuratorem nomine quo ſupra factis, & initis, ac ſolenni ſtipulatione vallatis; quod dicti Religioſi tenebuntur, & tenentur ex pacto expreſſo, ſuis propriis ſumptibus & expenſis, fundationem prædictam cum autoritate, diſpenſatione, confirmatione, voluntate, & decreto dicti ſanctiſſimi ac Domini noſtri ſummi Pontificis, Domino concedente, ſeu fieri facere, aut procurare, ac firmam & perpetuam remanere facere ac perpetuo pro dictis Burgenſibus, eorumque parentibus, ac benefactoribus, remedioque & ſalute animarum eorumdem tam vivorum quàm defunctorum orare: & etiam dictus Procurator nomine quo ſupra promiſit per ejus fidem & juramentum ad ſancta Dei evangelia corporaliter præſtitum, quod dicti Religioſi hoc facient, & adimplebunt modo & forma prędictis cum effectu, prout eſt in aliis habitaculis, prioratibus & conventibus dicti ordinis fieri conſuetum: alioquin, quod prædicta donatio ſit nulla, irrita, atque caſſa, & pro tali habeatur ad eò quod dicti Burgenſes caſu in quo dicti Religioſi defecerint in præmiſſis vel aliquo præmiſſorum, non alias reverti valeant ad dicta bona, ut præmittitur, donata reaccipere, & rehabere eadem tanquam rem ſuam propriam liberè, pacificè, & quietè, ac ſi dicta donatio non eſſet, nec fuiſſet unquam facta. &c. Acta

fuerunt hæc anno, indictione, die, menſe, Pontificatu & loco prædictis, *id eſt ut initio chartæ notatur:* anno M. CCC. XXVIII. die XXIII. menſis Octob. Indictione XII. Pontificatus ſanctiſſimi in Chriſto Patris ac Domini noſtri, Domini *Joannis* Divina providentia Papæ XXII. anno XIII. in villa de Latigniaco ſupra Maternam, in vico dicto du Vivier.

XXXV.

CHARTÆ ANTIQUÆ DE OBLATIONE *FILIORUM A PARENTIBUS FACTA*

Monaſteriis: Ubi mentio fit de juramento, quod olim præſtabant Parentes, ut filii ſui in monaſteriis Deo conſecrati ſancta inſtituta ſervarent.

Ex Chartulario monaſteri Belli-Locenſis.

I. CHARTA.

CUm legaliter ſancitum antiquitus teneatur & cautum, cum oblationibus Domino Parentes ſuos tradere filios in templo Domini Domino fideliter ſervituros; proculdubio hoc de noſtris filiis faciendum nobis ſalubriter præbet exemplum. Idcirco in Dei nomine *Geraldus* & uxor nomine *Uterna* hunc preſentem filium noſtrū offerimus nomine *Geraldum* in monaſterio S. *Petri Belli-Locenſis* cœnobii, in præſenti congregatione cum conſilio parentum noſtrorum, cum oblatione atque petitione, palla altaris manu ſua involuta, ad nomina ſanctorum quorum hîc reliquiæ continentur, ſupradictæ congregationi tradimus coram teſtibus regulariter permanſurum, ita ut beati patris *Benedicti* cognoſcat ſe æternaliter inſtituta ſervare, & Domino Deo cum ceteris fratribus gratulanti animo militare. Et ut hæc traditio inconvulſa permaneat, promittimus ſub jurejurando coram Deo, & Angelis ejus, & beato *Petro* Principi Apoſtolorum, quia nunquam per nos, neque per ſuppoſitam perſonam aliquando de Monaſterio egrediendi tribuemus occaſionem. Et ut hæc petitio firma permaneat, manus noſtras proprias ſubterfirmari deſideravimus. Denique. Ego *Geraldus*, & uxor mea *Uterna*, qui offerimus filium noſtrum nomine *Geraldum* Domino & ſancto *Petro*, cedimus hodie pro eodem puero hunc locum qui dicitur *Bellus*

Reg. S. Bened. cap. 59. Si puer minori ætate eſt, parentes ejus faciant petitionem & manum pueri involvant in palla altaris: & ſic eum offerant.

Digitized by Google

ſitus de rebus proprietatis noſtræ, hoc eſt unum manſum qui vocatur *Folamama*, & juxta ipſum manſum meum unam bordariam cum uno molendino, & in alio loco qui vocatur *Adullapoiada* quatuor denarios de vinea cum terris quas ibi habeo, quas *Petrus* tenet de *Drocolem*, hoc totum & ad integrum Deo & ſancto Petro offerimus cum filio noſtro *Geraldo*, ut rectores iſtius loci poſſideant & teneant nullo contradicente. Et ſi ullus Abbas aut ullus Monachus de communia iſtius loci ejecerit, ſit anathema, & cum Datam & Abiron in infernum precipitentur in infernum, & in ſecula ſeculorum. Amen. Facta ceſſio iſta in menſe Martio regnante *Henrico* Rege.

Sign. GERALDI, qui ceſſionem iſtam fieri, firmarique rogavit.

Sign. PETRI, STEPHANI, SEBOLI, GAUSBERTI.

VI. CHARTA.

CUm legaliter ſancitum antiquitus teneatur & cautum, cum oblationibus Domino Parentes ſuos tradere filios in templo Domini Domino feliciter ſervituros, hoc de noſtris filiis faciendum nobis ſalubriter præbetur exemplum: æquum etenim eſt judicium creatori noſtro de nobis reddere fructum. Idcirco nos *Gauffredus* & *Benedictus* hunc fratrem noſtrum nomine *Potronem* cum oblatione, in manu altaris palla involuta, ad nomen ſanctorum quorum reliquiæ continentur, & *Frodoni* Abbati & omni congregationi tradimus coram teſtibus regulariter permanſurum, ita ut ab hac die non jam liceat collum de ſub jugo regulæ excutere. Et ut noſtra traditio inconvulſa permaneat, promittimus ſub jurejurando coram Deo & Angelis ejus, quia nunquam per nos vel quolibet modo, per rerum noſtrarum facultates, egrediendi ei aliquando de monaſterio tribuemus occaſionem. Et ut hæc noſtra traditio inconvulſa permaneat, manu noſtra eam ſubterfirmavimus, & teſtibus tradimus roborandum. Cedimus autem cum ipſo fratre noſtro manſum de *Rozayret* cum omnibus ad ſe pertinentibus, & duos ſolidos ad nativitatem Domini & duos panes & duas gallinas, in Auguſto duos denarios & novem ſextaria

Reg. S. Bened. c. 59. Si &c. aliquid offerre voluerint in eleemoſy.

nam monaſterio pro mercede ſui, faciant ex rebus quas dare volunt monaſterio.

de Sivada, in Martio duos mutones, & quartam de ipſa terra, & medietatem de vinea.

Sign. GERALDI Patris ſui qui in vita ſua hoc fieri pręcepit.
Sign. GAVFREDI fratris ſui.
Sign. BERNARDI fratris ſui.

III. CHARTA.

CUm ſancitum antiquitus teneatur & cautum, cum oblationibus Domino Parentes ſuos tradere filios in templo Domini Domino feliciter ſervituros, proculdubio hoc noſtris filiis faciendum nobis ſalubriter præbetur exemplum: æquum etenim eſt judicium Creatori noſtro de nobis reddere fructum. Idcirco *Ego* in Dei nomine *Petrus* & uxor mea nomine *Aldenois* hunc filium noſtrum nomine *Bernardum* unà cum conſilio Parentum ſuorum, cum oblatione, atque petitione, manu altaris pala involuta, ad nomen ſanctorum quorum reliquiæ continentur, & in præſentia Domini *Geraldi* Abbatis, & omnis congregationis, tradimus coram teſtibus regulariter permanſurum, ita ut ab hac die non jam liceat collum de ſub jugo regulæ excutere. Et ut noſtra traditio inconvulſa permaneat, promittimus ſub jurejurando coram Deo, & ſanctis ejus, quia nunquam per nos, vel quolibet modo, per rerum noſtrarum facultates, egrediendi ei aliquando de monaſterio tribuemus occaſionem. Et ut hæc noſtra traditio inconvulſa permaneat, manu noſtra eam firmavimus, & teſtibus tradidimus roborandam. Cedimus autem cum ipſo filio noſtro duas partes de Eccleſia Capellæ, & medietatem de eccleſia Caſtri novi, & unam denariadam de vinea Eccleſiæ.

Sign. PETRI patris ſui, qui hanc petitionem fieri pręcepit.
Sign. PETRI, S. GASCOVI, S. BERNARDI, S. GENEVI, S. PETRI.

ARTICULUS

Digitized by Google

ARTICVLVS TERTIVS.

QUOD NON LICET EPISCOPIS, NEQUE ALIIS CONSTITUTIONES RECTAS, ET PRIVILEGIA ECCLESIIS RITE CONCESSA, CONTEMNERE.

Quot mala oriantur, ex eo quòd ſtatuta non ſerventur, iuxta quæ tantùm obedientia exigi poteſt.

I.

EPISTOLA PASCHALIS II. AD L. VIVARIENSEM EPISCOPUM,

Vt conſtitutiones rectas de donatione Eccleſiæ beati ANDEOLI *fratribus S.* RVFFI *ab ipſo factas non infringat.*

Ex Chartulario Eccleſiæ S. Ruſſi.

P*Aſchalis* ſervus ſervorum Dei, venerabili fratri Vivarienſi Epiſcopo, ſalutem & Apoſtolicam benedictionem. Non eſt Epiſcopalis conſtantiæ juſta vota frangere, & conſtitutiones rectas in nihilum revocare. Eccleſiam beati *Andeoli* fratribus ſancti *Ruſſi* pro eleemoſyna & religione conceſſeras, & Clericorum tuorum conſenſu firmaveras, ſicut à fratribus ipſis accepimus, & literarum tuarum lectione cognovimus; nunc autem Clericis tuis conniventiam parare conſpiceris, cùm per eos prędictis fratribus Eccleſiam ipſam permittis auſferri. Nos quidem conceſſionem tuam factam canonice firmamus, te autem vehementer arguimus, quia te in hoc

prævaricatorem oſtendiſti. Tuæ igitur experientiæ per hæc ſcripta præcipimus, conſtitutionem tuam integram ratamque cuſtodias: ſi verò Clerici tui ut voti juſti tranſgreſſores pertinaciter contraire præſumpſerint, tu eos magiſtri jure corrigere, & auſteritate congruâ ſtudeas emendare: alioquin, ſuper vos Apoſtolicæ ſedis juſtitia dirigetur. Datum Lateran. xv. Kalend. Novemb.

II.

MANDATUM R. ALBANENSIS EPISCOPI, APOSTOLICÆ SEDIS LEGATI AD L. VIVARIENSEM EPISCOPUM DIRECTUM.

Ut ipſius conſtitutio de donatione inconvulſa permaneat.

Ex eodem Chartulario.

R. Albanenſis Epiſcopus, Apoſtolicæ Sedis licet indignus ſervus & Legatus, venerabili fratri L. Vivarienſi epiſcopo, ſalutem. Inſtitutionem & conceſſionem, quam feciſtis eccleſiæ ſancti *Ruffi*, & Domno L. loci ejuſdem Abbati, de eccleſia ſancti *Andeoli* tam ei quàm ſucceſſoribus ſuis in perpetuum tradita (ad quam etiam laudandam, ut in perpetuum intemerata permaneret, ſcripto noſtro firmandam nos inclinari feciſtis: & ſi quis eam temerare vel perturbare præſumpſerit, eum ubique locorum à liminibus eccleſiæ alienum exiſtere, ſancire nos coegiſtis) audivimus à quibuſdam eccleſiæ veſtræ Clericis contra decretum noſtrum contaminari & perturbari. Mandamus itaque vobis, & Apoſtolica auctoritate præcipimus, ut ipſam inſtitutionem & conceſſionem, quam vos feciſtis, & nos laudare & confirmare petiviſtis, ita ut facta & confirmata eſt, inconvulſam teneri faciatis: & qui eam temerare vel perturbare præſumpſerit, anathematis vinculo, quod ibi poſuimus, ſubjiciatis.

Digitized by Google

III.

EPISTOLA CÆLESTINI III.

AD DECANUM ET CAPITULUM CARNOTENSE.

In qua ſignificat nulli licere privilegia Eccleſiis rationabiliter conceſſa, id eſt, ritè, juxta Canones ſtatuta & libertates Eccleſiæ Gallicanæ, infringere.

Ex cod. Ms. de Privilegiis Eccleſiæ Carnotenſis.

CÆleſtinus Epiſcopus ſervus ſervorum Dei, dilectis filiis.... Decano & Capitulo Carnotenſi, ſalutem & Apoſtolicam benedictionem. Curam debemus ſollicitam & ſtudium modis omnibus adhibere, ut privilegia & libertates quæ à nobis & prædeceſſoribus noſtris rationabiliter Dei Eccleſiis conceduntur, in ſua ſemper conſiſtere valeant firmitate: & ne cujuſlibet temeritatis incurſu poſſint infringi, auctoritate nobis conceſſa ſtudioſius imminet præcavendum. Quocirca præſentium auctoritate diſtrictius inhibemus, ne aliquis Archiepiſcopus, Epiſcopus, vel alia quælibet perſona contra privilegia vobis ab Apoſtolica Sede indulta pręſumat aliquid attentare, per quod vobis vel Eccleſiæ veſtræ pręjudicium in aliquo generetur. Quòd ſi fortè pręſumpſerit, illud decernimus fore vacuum penitus & manere. &c. Nulli ergo omnino hominum liceat hanc noſtræ paginam inhibitionis & conſtitutionis infringere, vel ei auſu temerario contraïre. Si quis autem hoc attentare pręſumpſerit, indignationem omnipotentis Dei, & beatorum Petri & Pauli Apoſtolorum ejus ſe noverit incurſurum. Datum Lateran. IV. Non. Junii, Pontificatus noſtri anno quinto.

IV.

CHARTA DE ECCLESIA DE RIGNHAGO,

In qua declaratur mandato Petri Ruthenenſis *Epiſcopi, rectam conſtitutionem, de donatione Eccleſiæ de* Rignhago *Monachis* Conchenſibus *facta, infringi non poſſe.*

Ex Chartulario Monaſterii Conchacenſis.

COgnitum & auditum eſt à vicinis noſtris, quòd *Alcherius de Mellanca* venit *Conchas* cum *Stephano* Monacho, & fecit convenientiam, & inſuper donum dedit ad alodum Eccleſiam de *Rignhaguo* ſancto *Salvatori*, & ſanctæ *Fidei* & Monachis *Conchenſibus*. Quod cùm feciſſet: fecit eis etiam convenientiam, ut abſque calumnia de convenientia ſeniores de *Bello Caſtello* contra Monachos ipſos tacere faceret. Sed cùm hoc facere *Alcherius* non poſſet, venit ad Domnum *Petrum Ruthenenſem* Epiſcopum: & convenientiam quam ſancto *Salvatori*, & ſanctæ Fidei fecerat, propter contrarietatem ſeniorum *de bello caſtello*, accepta pecunia, ab ipſo Epiſcopo tranſtulit ad ſanctam *Mariam Ruthenenſem* in manum jam dicti Epiſcopi, calumniantibus eiſdem *Conchacenſibus* Monachis, qui donum prius ab ipſo *Alcherio* acceperant. Cujus rei teſtes *Atradus* Monachus, *Deuſdet* ſacerdos, *Rannulphus* Laicus, & alii quamplures qui hoc audierunt. Poſtea *Ego Petrus* Epiſcopus timens Domini judicium, cognovi quod rectum eſt, & Archidiaconi & Canonici noſtri: & donamus & abſolvimus ſancto *Salvatori de Conchas*, & ſanctæ *Fidei*, & Abbati *Odolrico*, & monachis ejuſdem loci, ipſam Eccleſiam jam dictam ad alodum, ſicut ſeniores *de bello caſtello* donant & firmant.

Sign. OCHOLONII Archidiaconi.
Sign. GERBERTI Archidoni, & DEVSDET Sacriſtæ.

Digitized by Google

V.

EPISTOLA .... DOMINI LEXOVIENSIS AD LUDOVICUM REGEM FRANCORUM.

In qua declarat quot mala oriantur, ex eo quòd Canones non ſerventur: formamque præſcribit, qua Rex uti poteſt juxta Statuta & jura Eccleſiæ Gallicanæ ad ſcribendum PAULO *Secundo.*

Ex Schedis Viri Cl. Antonii VION Domini D'HEROUVAL.

AU ROY

MON SOUVERAIN SEIGNEUR.

POur donner conſeil à mettre proviſion, pour obvier de cy en avant aux dommages & inconvenniens qui pourroient vrayſemblablement enſuir par les entrepriſes accouſtumées eſtre faites par Court de Rome, & que deſia on a veu experimentalement eſtre venus & enſuis à l'occaſion de la planiere obeiſſance faicte par vous, TRES-CHRESTIEN ROY mon ſouverain & naturel Seigneur, à noſtre ſaint Pere Pape puis nagueres treſpaſſé, que Dieu abſoule, ſoubs la benigne correction de voſtre tres-noble Majeſté ſemble, que premiement ſe doivent bien peſer les domages & inconveniens qui de long temps ſont enſuis & peuvent enſuir, & ne ſe doit faire doubte qu'ils ne enſuivent & aviennent de pis en pis, ſe par la providence de voſtre Royale Majeſté, à qui comme Pere du Pays & de toutes les Nations de voſtre Royaume, protecteur & defenſeur de la ſainte Religion de Dieu, & de toute l'Egliſe d'iceluy Royaume, & des droitures & libertez d'icelle, par dilection & ſolicitude paternele, n'y eſtoit miſe & donnée proviſion par le conſeil des notables Prelats & gens d'Egliſe d'iceluy Royaume, & Meſſieurs de voſtre noble conſeil.

Et combien que les inconveniens & dommages de la grande evacuation des pecunes du Royaume, & de l'involution des litiges, & procés infinis & quaſi interminables, l'evaga-

tion des notables Clers & ſubjets du Royaume, leurs vexations, travaulx, deſpens, deſertion de leurs eſtudes, ſoient grans & auſſi comme irreparables; leſquelles choſes l'en a veu touſiours avenir, toutesfois que les graces expectatives & reſervations de Court de Rome ont eu cours: toutesfois encore y ait moult d'autres dommages eſpirituels d'autant pires & plus prejudiciables, que les dommages & pertes temporeles, que l'eſprit eſt plus digne & meilleur que les corps, & que les biens de l'ame comme les graces & vertus ſont ſans comparaiſon meilleures, que les biens du corps & les biens temporels de ce monde.

Premierement acauſe des evagations, qui ſe font à l'occaſion deſdites graces expectatives, & reſervations tant generales que particulieres, & des procés qui en ſourdent, & auſſi de diverſes autres entrepriſes de Court de Rome contre les decrets & conſtitutions des ſains Peres & des ſains Conciles, s'enſuyent la diminution du ſervice divin, pour lequel les Egliſes & Benefices Eccleſiaſtiques ont eſté fondés. Car acauſe de telles evagations & litiges on voit ſouvent que le nombre des benefices es Egliſes eſt moult diminué, & en a touſjours ou tiers ou quart des abſens tant alans & retournans, que demourans en Court de Rome & autres lieux, où leurs cauſes & proces ſont pendans. Parquoy le ſervice divin eſt fort diminué, & fraudée l'intention des bons & devos Princes, & Seigneurs Catholiques qui ont fondé les Egliſes à certain nombre de Clers ou Religieux, pour eſtre occupez continuellement au ſervice de Dieu pour le ſalut de leurs ames.

Secondement acauſe deſdites expectatives & reſervations enſuit ung autre dommage eſpirituel, qu'on ne ſçauroit aſſés lamenter ne eſtimer. C'eſt la promotion de pluſieurs indignes Prelas, dont s'enſuit la ruine & totale diſſolution de bonnes mœurs & de vertus, habondance d'iniquité, d'ambition, d'avarice, de ſimonie, extinction de toute devotion & Religion, & la perdition de infinies ames, qui par bons & dignes Prelas & autres beneficiez en ſainte Egliſe inſtituez ſelon les Decrets des ſaints Peres faiſans deuement leurs offices ſelon leur eſtat & vocation euſſent peu tant par predication

Digitized by Google

de la doctrine & parole de Dieu, que par exemple de bonne vie & ſainte converſation eſtre amenées à la voye de ſalut, duquel ſouvent ſont empeſchées & retardées par l'indignité & ignorance de ceulx qui leur deuſſent monſtrer la voye de ſalut. Car comme les bons & dignes paſteurs du peuple ſont la lumiere du monde, de laquelle le monde eſt enluminé de ſainte doctrine & exemples de vertus & ſainte converſation, & par ce amené à ſon ſalut : auſſi par contraire les indignes & defectifs ſont cauſe exemplaire de tous vices, de diſſolution de bonnes mœurs, extinction de vertus, & enervation de toute Religion & devotion ; & par conſequent de la damnation & perdition de infinies ames : qui eſt un piteux dommage & bien à peſer, & auquel entant qu'il eſt poſſible l'en doit obvier.

Item s'enſuit à cauſe deſdites expectatives, reſervations, & autres entrepriſes de court de Rome, totale confuſion & deſtruction de l'ordre Hierarchique de ſainte Egliſe. Parquoy eſt reſoluë toute obedience, & reverence que ſelon les decrets des Sains Peres les ſubges doivent à leurs Prelas ; parce qu'on voit que court de Rome les deſtitue auſſi comme de toute leur auctorité & office, en uſurpant icelles : & par conſequent leuvre de ſaincte Egliſe fort diminué & decoloré, corrections & diſciplines enervées, les decres des ſains Peres & des ſains Conciles, qui ont eſté par l'inſpiration du Saint Eſperit fais & eſtablis, pour mettre bon ordre & regle à promover dignes perſonnes es prelatures, dignités, & autres benefices Eccleſiaſtiques, & pour gouverner & conduire les choſes Eccleſiaſtiques en bon ordre & bonne police, ſont ſans difference rompus, abolis, conculqués, & contemnés de la fauſſe & mauvaiſe racine d'embition & convetiſe, *quæ eſt radix omnium malorum*, comme dit l'Apoſtre.

Item pluſieurs autres grans & enormes maulx, & dommages temporels & eſpirituels ſont les temps paſſés enſuys à l'occaſion des entrepriſes deſſuſdites par toute Creſtienté, comme ſciſmes en Creſtienté, diviſions, erreurs, oppeſſions, injuſtices, & pluſieurs autres qui ſont longue choſe à raconter ; parce que celuy qui deuſt garder principalement, & deffendre les decres des ſains Peres, & les faire à chacun garder, & eſtre à tout le monde exemple de juſtice, equité, & raiſon,

par l'importunité de gens ambitieux & conveteux a voulu ſous couleur de plenitude de puiſſance à ſoy attraire, & exercer toutes les operations, & offices des Prelas, & membres de ſainte Egliſe, en faiſant loys & conſtitutions generales, & pluſieurs choſes particulieres ſans neceſſité, contraires aux bonnes & ſalutaires conſtitutions & decres des ſains Peres & ſains Conciles: ſous leſquieux decres l'Egliſe a eſté bien & honnourablement gouvernée & conduite leſpace de plus de douze cens ans, ſans que telles uſurpations & entrepriſes ſe feiſſent. Et toutesfois le ſaint Pere de Rome combien qu'il ait en ſaincte Egliſe ſur tous autres Prelas puiſſance & autorité, il ne l'a, comme l'Apoſtre teſmoigne, ſi non ſeulement *ad ædificationem Eccleſiæ & non ad deſtructionem.* Et ſaint *Vrbain* Pape contredit expreſſement en ſon decret à ceux, qui diſoient qu'il eſt liſible au Pape, quant il veut, faire toûjours nouveaulx decres, & nouvelles conſtitutions, & muer les anciens decres des ſains Peres; afermant le contraire eſtre vray, & que ainçoys doit le Pape pour deffendre les decres des ſains Peres expoſer ſon ame & ſon ſang. Semblablement teſmongne & afferme *Zoſimus* Papa, que le Pape, ne l'auctorité de ſon Siege Apoſtolique ne peuſt rien eſtablir, ou conſtituer, ou innover contre les decrés des ſains Peres. Et quelque plenitude de puiſſance qu'il ait, il n'en doit neant plus ſouvent uſer que le benoiſt Createur uſe de la ſienne: en faiſant miracles. Il ne luy ſeroit pas difficile s'il luy plaiſoit de gouverner bien par ſoy ce monde de cy bas, & de produire tout ce qui y naquiſt ſans le miniſtere & cooperation des Anges, & des corps celeſtiels, & autres cauſes moyennes: & toutesfois il leſſe de ſa bonté à chacune creature en ſon ordre & degré faire, & exercer ſon office, & operation ſelon les puiſſances natureles qu'il leur a données, ſi n'eſt quant aucunesfois ſelon le bon plaiſir de ſa voulenté il fait aucune œuvre miraculeuſe ſans la concurrence & operation des cauſes moyennes: mes telles œuvres ne ſont pas frequentes ne ordinaires.

Item eſt bien à peſer, que oncques, depuis que les ſains Peres de Rome ont commencé à faire telles uſurpations, les ſciſmes & murmurations n'ont ceſſé en la Creſtienté, qu'il n'y ait touſiours eu diſceſſions, ſubſtractions, ſeditions, murmurations,

murations, puis en l'une nation, puis en l'autre : & touſiours a l'en tendu à y mettre proviſion, & tant d'aſſemblées faites, tant de Conciles puis generaulx, puis particuliers par diverſes Nations de Creſtienté ; & james n'ont ceſſé les Princes Chreſtiens, & les Nations Creſtiennes, les Prelas, les Chapitres, les univerſités de Docteurs & eſtudians, d'envoyer ambaſſades, de ſoy plaindre, de procurer, pourchaſſer, & requerir en toutes manieres, pour avoir proviſion contre telles uſurpations & entrepriſes tendentes non à l'edification, mes ainçois à totale confuſion & deſtruction de ſainte Egliſe, & ſourdantes & procedentes de la maudite racine d'ambition & d'avarice ; juſques à ce que es ſains Conciles generaulx aſſemblés ſolemnellement à *Conſtance*, à *Sene*, & aprés à *Baſle* par l'autorité des ſains Peres Papes lors tenans le Saint Siege Apoſtolique, proviſion y a eſté miſe & donnée ſi juſte, ſi raiſonnable, ſi utile, & prouffitable à l'edification & eſpirituele, & temporele de toute la Creſtienté, qu'il n'eſt pas poſſible trouver meilleure ne plus ſainte proviſion.

Pour venir doncques, *Tres Creſtien Roy* mon ſouverain Seigneur, à dire ou écrire mon avis en la matiere de laquelle vous à pleu moy eſcrire ; me ſemble ſous voſtre tres noble correction, que demandez ſçavoir mon advis ſur deux choſes. La premiere eſt quelle proviſion pourrés & debvrrés donner, pour obvier de cy en avant aux dommages, & inconveniens advenus en voſtre Royaume, à l'occaſion de la planiere obeïſſance, que feiſtes au Pape *Pius* nagueres trepaſſe, tant par graces expectatives & reſervations de court de Rome, & la ſequele de cens mil inconveniens, qui touſiours de ce ſont enſuis, & voſtre Royaume moult par celle cauſe evacué de pecunes, & quels termes me ſemble que y aurés à tenir. La ſeconde eſt quelle obeïſſance debvez faire à noſtre ſaint Pere, qui de preſent eſt, en gardant les drois & libertés de l'Egliſe Gallicane, & l'œuvre du Saint Siege Apoſtolique.

Quant au premier, ſous la benigne correction de voſtre tres noble Majeſté, aprés ce que j'ay penſé à la matiere bien au long me ſemble que ne pouvez mieulx pourvoier aux inconveniens de l'evacuation des pecunes de voſtre Royaume, & autres deſſus touchés, & que l'en pourroit toucher plus

au long qui vouldroit, que par voſtre ordonnance, loy, conſtitution, edict, ſtatut, mandement, ainſi qu'il vous plaira le nommer, faire deffenſe generale, ainſi que deſia avez faite, que nul de voſtre Royaume voiſe ou envoye en court de Rome de Legat du Pape ne autre part impetrer, ou prendre graces expectatives à quelconques dignitez, ou benefices Eccleſiaſtiques de voſtre Royaume & Daulphiné: & que nul ne ſoit ſi hardi de pourſuivre l'effet d'aucune d'icelles graces expectatives, ſe aucunes en precedent avoient eſté ou eſtoient de cy en avant impetrées ou données.

Item auſſi que nulle reſervation generale ou eſpeciale de prelatures, dignités, ou autres benefices eccleſiaſtiques quelconques ait lieu en voſtre Royaume & Seigneurie; excepté ſeulement celle, qui eſt des beneficiez cedens ou decedens en court de Rome, qui eſt cloſe & contenuë en droit.

Item avec ce que vous declarez voſtre intention & voulenté eſtre, de garder & deffendre voſtre Egliſe Gallicane en ſes anciennes libertez & droitures: & que par tout voſtre Royaume & Seigneurie ſoient gardés les decres des ſains Peres, & des ſains Conciles qui en vivant de tres digne memoire voſtre feu Pere, que Dieu abſoule, furent receus, & acceptez, & depuis gardez, & obſervez par tout voſtre Royaume en vivant d'iceluy; je mets cecy ainſi en general par cauſe de briefveté. Car qui vouldroit mettre au long, il faudroit reciter mot à mot tous les decres, ainſi qu'ils ſont contenus & narrés en la pragmatique ſanction d'iceluy feu voſtre Pere, auxquieux pour l'auctorité ſouveraine de l'Egliſe, dont ils ſont fulcis & corroborés, & auſſi que en tant de ſolemnelles conventions ſur ce faites & aſſemblées en diverſes cités de voſtre Royaume par divers temps, ont eſté touſiours louez, acceptez & approuvez, je n'oſeroye preſumer ne y mettre ne oſter. Toutesfois quant à la tierce portion des benefices non electifs, que le decret du ſaint Concile ordonne eſtre emploiée à la proviſion des graduez, ſelon la qualification contenuë en iceluy; & d'icelle tierce portion voſtre Egliſe Gallicane en ordonnoit les deux parts pour les graduez nommez par les univerſitez de voſtre Royaume. Pour obvier aux proces & debas, qu'on a veu ſouvent mouvoir à l'occaſion des difficul-

tez, qui eſtoient à mettre & garder l'ordre, & le tour des benefices, qui devoient eſtre comptés és deux pars de celle tierce partie; me ſembleroit bien convenable & expedient, afin que la loy feuſt clere, & tolliſt occaſion de tous litiges, & proces, que les nommez des univerſités de voſtre Royaume fuſſent pourveus par les Prelas, à qui il appartient, des benefices qui vaqueroient en deux moys de l'an: & qu'en chacune moitié de l'an en euſſent ung tel avis, qu'il plairoit à voſtre noble Majeſté le nommer, & deputer. Ainſi obtendroient leur proviſion des benefices, qui eſcherroient vacans eſdits moys; excepté s'ils vaquoient par cauſe de permutation, & les deux autres moys auſſi tels que voſtre Majeſté vouldroit nommer & depputer ſeroient pour pourvoer les graduez nommez ou non nommez par les univerſités qualifiez, ainſi que le decret l'ordonne aux quieux graduez, & non à autres, ſeroient les Prelas à qui il compete & appartient, tenus de pourvoer des benefices, qui eſcherroient vacans eſdits moys: & en chacune moitié de l'an pouroit on depputer ung deſdits moys. Ainſi auroient les graduez leur tierce portion entiere ſelon la teneur du decret, & ſans involution de obſcuretés, & procés; & auroient les univerſités meilleure condition, & plus ſeure qu'ils n'avoient eu paravant. Et ſe c'eſtoit voſtre bon plaiſir de aſſembler l'Egliſe de voſtre Royaume apres cet Hiver, ou tel nombre, & telles perſonnes d'icelle Egliſe, & de voſtre conſeil, comme il vous plairoit, pour avoir plus amplement leur advis tant ſur la maniere de la proviſion deſdits graduez & nommez, que ſur aucuns autres poins qu'on a reputez obſcurs ou doubteux en la pragmatique deſdits decres; je croy que ce ſeroit tres-bien fait en faiſant garder leſdits decres, ne deroguer en rien à l'auctorité du S. Siege Apoſtolique. Car leſdits decres que ferez ainſi garder & obſerver, ſont les decres & loys des ſains Peres de Rome, & du S. Siege Apoſtolique, fais & eſtablis par eux, redigez es volumes de droit eu decret, & es decretales, leſquieux ils ont gardez & commandé eſtre gardez, & obſervez, leus, & publiez es univerſités & eſtudes generales par toute Creſtienté. Ainſi ne peult on dire que ce ſoient ordonnances ou eſtatuts fais par voſtre Egliſe Gallicane, ne par vous: mes ſont les loys & decres des ſains

Digitized by Google

Peres, comme dit eſt, & de l'Egliſe univerſelle, qui ont eſté obſervez en toute Creſtienté l'eſpace de plus de douze cent ans. Et combien qu'ils aient eſté innovez, & promulguez es Conciles generaulx: toutesfois ce n'eſt pas leur premier commencement; mes des le temps des Apoſtres, Noſtre Seigneur, & de ſes diſciples, & depuis par la ſucceſſion des ſains Peres ont eſté fais, & continuez touſiours, & par pluſieurs Conciles generaulx decretez, & approuvez, comme il appert par les volumes de droit canon, le decret, decretales, Clementines, qui ſont tous plains de la maniere & fourme, comme l'en doit pourvoer aux Egliſes Cathedrales, & autres prelatures vacantes par elections, ou poſtulations, & comme la confirmation des elections appartient aux Prelats ordinaires de degré en degré.

Item & n'eſt pas choſe nouvelle, que les Roys & Princes Catholiques aient donné remedes, & proviſions contre telles & ſemblables entrepriſes faites par court de Rome contre les decres des ſains Peres, & les libertez, & droitures tant de l'Egliſe Gallicane que d'autres. Car ainſi ont fait vos tres nobles & dignes progeniteurs & anteceſſeurs, comme ſaint *Loys* en ſon temps, duquel j'ay veu l'ordonnance eſcripte & ſellée en ſemblables matieres, qui fut monſtrée & exhibée aux conventions ſolemnelles faites de l'Egliſe Gallicane à Chartres, à Bourges par la convocation de voſtre feu Pere de bonne memoire. Auſſi *Charles VI.* voſtre ayeul environ l'an M. CCCC. VI. & voſtre dit feu Pere & pluſieurs autres, leſquieulx zelateurs de la ſainte Religion Creſtienne, & des libertés, & droitures anciennes de l'Egliſe Gallicane, ont par leurs loys & conſtitutions chacun en ſon temps donné proviſion & remede contre telles entrepriſes tres prejudiciables & dommageuſes à la choſe publique. Et croy que es regiſtres de voſtre Court de Parlement, & es Chambres de vos Comptes, & Treſor à Paris, s'en trouveroient pluſieurs avoir eſté enregiſtrées, s'il vous plaiſoit de les y faire cercher.

Item & ſemble, que de ce ne vous doit aucunement diſſuader, ne retraire la forme de l'obedience faite par vous à noſtre ſaint Pere Pape *Pius* defunt en termes generaulx. Premierement pour ce que ladite obeïſſance fuſt par vous faite audit

Digitized by Google

Pius perſonnellement. Ainſi puiſque Dieu l'a pris de ce monde à luy, ladite obeïſſance ne vous lie en rien vers ſon Succeſſeur. Secondement, car en generale promeſſe, ou conceſſion, ou renonciation jamais n'y eſt entendu, compris, ce dont vray ſemblablement ne fuſt onques penſé, ne entendu en la generalité; ainſi que dient tous les drois. Or n'eſt il point vray-ſemblable, que oncques entendiſſes à deroguer, & abolir les libertés, & droitures de l'Egliſe Gallicane, & de voſtre Royaume: ne auſſi que penſiſſes corrompre & abolir les decres, & conſtitutions des ſains Peres. Parquoy ne vous peult ladite obeïſſance planiere à ce lier. Tiercement que cautement & ſoutillement aves eſte induit à faire promeſſe de abolir la pragmatique ſanction de voſtre Royaume; vous eſtant lors en neceſſité en vivant de voſtre feu Pere, & auſſi comme aucunement en exil, où vous aviez eſté long temps, eu quel ne puies avoir ſi parfaite connoiſſance des droitures de voſtre couronne, & des libertés de Egliſe Gallicane, que vous avez maintenant: & ſi n'eſtiez pas lors en voſtre planiere liberté, comme la mercy noſtre Seigneur vous eſtes maintenant. Quarrement, que en ladite obeiſſance permetties, que noſtredit ſaint Pere *Pius* uſaſt de ſon auctorité en la fourme & maniere, que avoient uſé ſes predeceſſeurs *Martinus* & *Eugenius*. Mes non content de ce, ledit *Pius* en a uſé autrement, comme en faiſant à chaquun graces expectatives, *motu proprio*, à quelque importunité de requeſtes qu'il les donnaſt, en accroiſſant auſſi & augmentant les frays & deſpens qu'on avoit acouſtume faire, à expedier telles graces, & par eſpecialement ſur les poures ſubgets de voſtre Royaume, & auſſi en aucunes nouvelles reſervations & conſtitutions; quelle choſe voſtre dite obeiſſance ne luy accordoit pas.

Item auſſi voſtre intention n'eſtoit pas de abolir les Decres des ſains Peres, & des ſains Conciles, ne les libertés de voſtre Egliſe de France, que voſtre feu Pere n'avoit pas fais ne eſtablies, mes ſeulement oſter la ſanction qui ſe appelloit Pragmatique, que voſtre dit feu Pere avoit de ſon auctorité Royale faicte. Or eſt il cler, que la dite pragmatique ſanction oſtée ou revoquée, encore demeurent les Decres des ſains Peres & Conciles generaulx en leur force & vertu, qui ont com-

me dit eſtablis & decretés par les ſains Peres, & fulcis corro-borès, & innovés pluſieurs fois par les ſains Conciles de l'univerſelle Egliſe, & leus tous les jours en toutes les eſtudes generales de Creſtienté. Et en verité tous les ſages Docteurs liſans les drois Canon & Civil, & autres gens d'eſtude & lettres tant es eſtudes d'Italie, d'Alemaigne, que des autres Nations, diſoient la Nation de France ſur toutes autres benevre: & la reputoient la plus ſage Nation de la Creſtienté pour l'obſervance deſdits decres, qu'elle gardoit & obſervoit, & pource qu'elle n'eſtoit point ſerve à ces expectatives, & reſervations, & autres uſurpations de Court de Rome. Et eſt ce qu'il m'eſt advis eſtre convenable & neceſſaire à eſtre fait pour donner proviſion contre les dommages & inconveniens deſſus touchés, & les termes que y poves & debves raiſonnablement tenir, combienque aucuns ſe expediroient en bref; conſeillans que donneiſſiez mandement à voſtre Court de Parlement, & à tous les Juſticiers & Officiers de voſtre Royaume, de garder & faire garder la pragmatique ſanction de feu voſtre Pere que Dieu abſoule: & pourries juſtement & licitement cauſer voſtre dit mandement de la remettre, & reſtituer en ſa force & vertu pour les inconveniens de l'evacuation des pecunes & finances de voſtre Royaume, l'involution des procés & litiges, l'evagation & diſtraction de vos ſubgés, pour la promotion de pluſieurs perſonnes eſtranges & incongneues aux benefices & dignités de voſtre Royaume, & d'aucunnes cauſes devant dites, que l'en a veu enſuir à cauſe de non avoir obſervé icelle. Et n'eſt pas le nom & titre de pragmatique ſanction deshonourable; mes eſt de grand pois, gravité & importance. Car comme Iſidore met eu quatrieſme livre de ſes Ethimologies: *pragma*, eſt un mot Grec, qui ſignifie autant comme *cauſa*, en Latin. Et pourtant la loy du Legiſlateur eſt nommée pragmatique ſanction, quant elle eſt faite & eſtablie pour grande cauſe & évidente utilité, & par grande & meure deliberation, contenant griefve paine contre les tranſgreſſeurs. Mes qui vouldroit taire le dit nom, on pourroit tenir les termes deſſus touchez, & baptizer voſtre ordonnance de tel tiltre qu'il vous plairoit luy bailler, comme la liberté de l'Egliſe Gallicane, ou la loy Eccleſiaſtique, ou

Digitized by Google

Decret, ou Edict du Roy, ou autrement ſelon voſtre noble plaiſir.

Quant au ſecond point ſurquoy me mandés, que vous eſcripve mon avis, de la forme & maniere comme debves faire à noſtre S Pere obeïſſance, en gardant enſemble & l'autorité du S. Siege Apoſtolique, & les drois & libertés de l'egliſe Gallicane. Sous la benigne correction touſiours de voſtre tres noble Majeſté, il me ſemble que debveriés mander aux Conſeillers de voſtre venerable Court de Parlement, qu'ils vous envoiaſſent la forme de l'obeiſſance faite par feu voſtre Pere de tres digne memoire aux ſains Peres *Martin*, *Eugene*, *Nicolas*, *Calixte*, & *Pius*, par eſpecial aux trois derniers. Car je cuide qu'on en debveroit trouver aucunes fourmes & regiſtres de voſtre dit Court de Parlement, ou des Chambres de vos Comptes, ou du Treſor tant du temps de feu voſtre Pere, que du temps de vos tres-nobles Progeniteurs. Et me ſemble que *Monſieur de Paris* & *Guillaume Couſinot*, qui furent en Legation de par iceluy feu voſtre Pere devers le dit Pape *Pius*, devroient avoir memoire de la fourme de l'obeïſſance, qui luy fut faite. Et quant n'en trouveriés aucune du temps paſſé, où vos arreſtiſtes, me ſembleroit que la forme qui enſuit, debvroit bien ſuffire. C'eſt de faire & luy exhiber obeïſſance, & la faire garder par tous vos ſubgés en tout ce qui concerne la Foy & l'obſervance de la ſainte Religion Creſtienne, jouxte les Decres des ſains Peres, ſes predeceſſeurs Papes de Rome, & les ſainctes Conſtitutions de l'egliſe univerſelle. Et jouxte tout ce j'ay cy mis la forme d'une lettre pour faire la dite obeiſſance, de laquelle pourrés, ou la faire mettre en autre forme ſelon voſtre noble providence & diſcretion. S'enſuit la forme de la dite obeïſſance.

SANCTISSIMO AC BEATISSIMO PATRI Domino noſtro Paulo Secundo, Ludovicus Dei gratia Francorum Rex beatitudinis tuæ filius, Obedientiam filialem, & ſinceræ devotionis affectum.

AVdita atque ad nos perlata aſſumptione Beatitudinis tuæ ad ſummum culmen ſacerdotii totius Chriſtianæ Religionis, Bea-

tiſſime Pater, *admodùm gaviſi ſumus: & eo quippe amplius, quod ob ſingularem zelum, quem ad Chriſti fidem atque Religionem habes, aliaque gratiarum ac virtutum dona, quibus divina largiente bonitate te præditum & fecundiſſimè adornatum univerſi prædicant, votis unanimis ſacri Senatus reverendiſſimorum duorum Cardinalium Chriſti vicarium & beati Petri ſucceſſorem te electum cognovimus. Quapropter morem & veſtigia noſtrorum Anteceſſorum Chriſtianiſſimorum Regum inſequentes, qui ſanctiſſimæ Sedi tuæ ſemper obſequentiſſimos ac devotiſſimos ſe ſe exhibuerunt, mittimus ad beatitudinem tuam hos oratores N. & N. ex nobis pro tam concordi ac felici provectione ſanctitati tuæ, imò potius toti Dominico gregi, quem ad paſcendum cæleſtis alimoniæ pabulo Pontifex maximus à Deo electus es, congratulaturos: Tibique etiam, atque Sedi beatiſſimi Apoſtolorum Principis, cui Deo auctore inſides, exhibituros pro nobis obedientiam, reverentiam atque honorem; eandem obedientiam in omnibus quæ fidem Catholicam ac cultum Chriſtianæ Religionis concernunt, juxta ſanctorum Patrum prædeceſſorum tuorum decreta, & ſacratiſſima Eccleſiæ Catholicæ inſtituta, Tibi velut Pontifici maximo & totius Dominici Ovilis paſtori, cum omni obſequendi promptitudine offerentes, atque exhibentes: ab univerſis verò ditioni noſtræ ſubditis, conſimilem etiam beatitudini tuæ exhiberi, atque efficaciter facere præſtari, de divino præſumentes auxilio ſpondemus, atque pollicemur. Datum &c.*

Par ladite forme eſt bien gardée l'autorité du S. Siege Apoſtolique, auquel permettez obeïſſance, & faire garder par tous vos ſubgez ſelon les Decres des ſains Peres Papes de Rome, & des ſains Canons de l'Egliſe univerſelle. Auſſi par celle forme ſont gardez les drois & libertés de l'Egliſe Gallicane. Leſquieux drois & libertés comme j'ay touché euparavant ne ſont autre choſe, que l'obſervance & uſage des Decres des ſains Peres, & de l'univerſele Egliſe Creſtienne, eu Decret, es Decretales, & autres volumes de Droit Canon, que les ſains Peres ont mandé eſtre leus, & publiez, & gardez par toute Creſtienté, & qu'on lit chacun jour en toutes univerſités. Mes convetiſe de vouloir actraire tout à ſoy, & accumuler les pecunes de tout le monde, a eſte cauſe de les faire rompre & mal garder, avec ce concurrente l'ambition & avarice de pluſieurs eſperans trouver plus facilement leur moyen d'avoir

Digitized by Google

voir des dignités, honneurs, & benefices de ſainte Egliſe par les moyens de Court de Rome, qu'ils n'auroient par la voie ordinaire & droituriere, ſelon les Decrés des ſains Peres. Et toutesfois eſt bien à noter contre tels ambitieux ce que la Loy civile en dit: *indignus profectò eſt ſacerdotio, qui non invitus ordinatur*, Et ce que ſaint Gregoire en dit pareillement en ſon Paſtoral: *Virtutibus*, inquit, *pollens coactus ad regimen veniat: virtutibus vacuus, nec coactus accedat.* En gardant donc la dite forme parquoy les Decrés de ſainte Egliſe ſont gardez, & parconſequent le droit d'un chaqu'un, ne pourroit noſtre S. Pere le Pape pretendre eſtre en rien derogué à ſon honneur: mes y eſt tres-bien gardé. Car c'eſt le grand honneur du S. Siege Apoſtolique de garder les Droitures de ſes Freres, des autres Prelas de ſaincte Egliſe, & de vivre ſelon les Loys, que luy meſme a faites & eſtablies; comme Monſieur ſaint *Gregoire* le dit en une epiſtre *ad Eulogium* Patriarche d'Alexandrie: *Ego*, inquit, *non verbis proſperari volo, ſed moribus. Nec honorem mihi eſſe reputo, in quo fratres meos honorem ſuum perdere cognoſco. Meus namque honor eſt univerſalis Eccleſiæ: meus honor eſt fratrum meorum ſolidus vigor.* Auſſi l'Empereur dit en ſa loy: *Digna vox eſt majeſtate regnantis ſe legibus alligatum principem confiteri: & revera majus eſt imperio ſubmittere legibus principatum:* & en ung autre endroit: *Quamvis*, inquit, *legibus ſoluti ſimus, tamen legibus vivere volumus. &c.*

VI.

HENRICI II. DIPLOMATA.

In quibus oſtenditur, literas Apoſtolicas, Bullas, ſeu proviſiones non probari neque recipi, niſi quæ cum canonibus & Decretis ſanctæ Sedis conveniant, nec non cum Privilegiis, juribus, & libertatibus Eccleſiæ Gallicanæ.

Ex Apographo variorum diplomatum Henrici II. &c.

I. Commiſſion pour mettre un pourveu en poſſeſſion d'une Abbaie.

HEnry Au premier de nos Amez & Feaux Conſeillers, & Maiſtres des Requeſtes ordinaires de noſtre Hoſtel,

Conſellier de noſtre grand Conſeil & de noſtre Cour de Parlement, au Senechal *d'Anjou*, ou ſon Lieutenant, & au premier d'eux ſur ce requis, Salut. Noſtre amé & feal Abbé de l'Abbaye *de S. Pierre de Bourgueil* Ordre de *S. Benoiſt* Dioceze d'Angers, Nous a fait remontrer, que Vaccant l'Abbaye par le deceds de feu &c. il en a eſté pourveu à notre nomination par noſtre S. Pere le Pape, & obtenu ſes Bulles Lettres, & Proviſions Apoſtoliques en bonne & deuë forme cy attachées ſous le contre ſcel de noſtre Chancellerie, pour leſquelles faire & executter, il nous a tres humblement requis luy vouloir octroyer nos Lettres neceſſaires. NOVS A CES CAVSES, apres avoir fait veoir en noſtre Grand Conſeil les dittes Bulles, & proviſions Apoſtoliques, & qu'en icelles il ne s'eſt trouvé aucunes choſes contraires ny prejudiciables aux ſains Decrets, & indults, & Concordats du S. Siege Apoſtolique, ny aux Privileges, Franchiſes, & Libertez de l'Egliſe Gallicane : de l'avis de noſtre Conſeil avons permis, accordé, & octroyé, accordons & octroyons par ces preſentes audit &c. à ce qu'il puiſſe mettre à deuë & entiere execution ſeſdites Bulles, & proviſions Apoſtoliques : & en vertu d'icelles prendre & apprehender la poſſeſſion, & jouïſſance de laditte Abbaye, enſemble des fruits, emolumens, & revenus ; ſans qu'il luy puiſſe eſtre fait mis ou donné aucuns troubles, ou empeſchemens au contraire. Si voulons & vous mandons que par noſtre preſent congé, licence, & permiſſion, vous faſſiez ledit *Gillot* jouir, & uſer plainement & paiſiblement, faiſant ceſſer tous troubles & empeſchemens au contraire, contraignant & faiſant contraindre les denommez, & commiſſaires commis au regime & gouvernement des fruits, & revenus d'icelle, depuis le deceds dudit ſieur S. &c. à luy rendre compte, & luy preſter le reliquat par toutes voyes & manieres deuës & raiſonnables. CAR TEL EST &c. De ce faire vous avons donné plain pouvoir, & commiſſion par ces dittes preſentes. Donné à Angers le 24. jour de Janvier l'an de grace &c.

Digitized by Google

II. *Attache ſur les Bulles d'un Legat adreſſantes à la Cour de Parlement pour les verifier.*

HEnry. A nos amez feaulx les Gens de noſtre Cour de Parlement de Paris, Salut & dilection. Comme noſtre tres ſaint Pere le Pape *Paul IV.* apreſent ſeant ayt fait ſon Legat avec tiltre par devers nous en nos Pays, Terres, & Seigneuries; noſtre cher & bien amé... avec les facultez contenuës & declairées es Bulles Apoſtolicques cy attachées ſoubs le contreſeel de noſtre Chancellerie, leſquelles nous voulons avoir lieu, & ſortir plain & entier effet; pourveu qu'il n'y ait choſe contraire ny prejudiciable à nos droicts, induls, conventions, & concordats d'entre le ſaint Siege Apoſtollicque, & nous, & les privileges, franchiſes, & libertés de l'Egliſe Gallicane. EN CE CAS vous mandons & enjoingnons, qu'apres la preſentation qui vous ſera faicte des dites Bulles, contenant les dites facultez, & icelles par vous exactement veües & viſitées, vous ayez à les faire lire, omologuer, & enregiſtrer ſans aucune modification ny difficulté, ne autrement tenir voſtre expedition là deſſus en longueur. Car tel &c. non obſtant quelſconques autres ordonnances, reſtrainctions, mandemens, deffences, & lettres à ce contraires. Donné à Lion. &c.

III. *Attache aux Bulles touchant l'Abbaye de l'Ordre de ſaint* Benoiſt *au Dioceſe de Bauvais.*

HEnry Au premier de nos amez & feaulx Conſeillers des Maiſtres des Requeſtes ordinaires de noſtre Hoſtel, Conſeillers de noſtre Grand Conſeil & de noſtre Cour de Parlement à Paris, au Bailly de Lagni, ou ſon Lieutenant, & au premier d'eulx ſur ce premier requis. Noſtre amé & feal Conſeiller & Aulmonier ordinaire Maiſtre n'aguere Archeveſque de .... nous a fait dire & remonſtrer qu'il a cy devant pourveu à la nomination de noſtre tres. cher & tres-Amé frere le Roy dernier decedé, que Dieu abſolve, de l'Abbaye de l'Ordre de S. *Benoiſt* au Dioceze de Beauvais,

Digitized by Google

& obtenu ſes Bulles & proviſions ſur ce neceſſaires ; leſquelles il nous a tres-humblement ſupplié & requis luy permettre de faire mettre à execution, & ſur ce luy octroier nos Lettres à ce requiſes neceſſaires. POVR CE Nous inclinans à la requeſte de noſtre dit Conſeiller, & apres avoir faict voir & verifier en noſtre Conſeil les dites Bulles cy attachées ſoubs le contreſeel de noſtre Chancellerie par aucuns des gens de noſtre dict Conſeil Privé, qu'en icelles ne s'eſt trouvé aucune choſe contraire ne prejudiciable aux ſaincts Decrets, interdits & contredits d'entre le S. Siege Apoſtolique & nos Privileges, Franchiſes & Libertez de l'Egliſe Gallicane : à noſtre dict Conſeiller pour ces cauſes avons permis, accordé, & octroié, permettons, accordons & octroions par ces dites preſentes, que leſdites Bulles il puiſſe faire mettre à deuë & entiere execution, & en vertu d'icelles prendre, ou par ſon Procureur faire prendre la poſſeſſion & joüiſſance de la dite Abbaye & des fruits, revenus & eſmolluments qui en deppendent ſans aucun empeſchement. Sy voulons & vous mandons que de noſtre preſent congé, licence, & permiſſion vous faictes & ſouffrez les dits joüir & uſer plainement, ceſſans & faiſans ceſſer tous troubles & empeſchemens aucontraire. Car. &c. de ce faire mandons &c.

ARTICVLVS QVARTVS.

EPISTOLÆ SUMMORUM PONTIFICUM,

IN QUIBUS DECLARANT SUA STATUTA, SUAS auctoritatis Literas, privilegiaque ab ipſis conceſſa, contra Canonum decreta & jura Eccleſiarum nunquam opponi poſſe: Concilia in quibus hæ Conſtitutiones, hæcque Privilegia abrogantur.

I.

EPISTOLÆ URBANI II.

UNA CUM CONCILIIS,

IN QVIBVS IPSIVS PRIVILEGIA PER ſubreptionem contra jura Eccleſiaſtica extorta reſcinduntur, ipſo quidem jubente, hoc ordine diſpoſitæ ab Hugone Gratianopolitano Epiſcopo.

Ex Chartulario Eccleſiæ Gratianopolitanæ.

Hæc ſcriptura dicit.

DE INJURIIS QUAS FECIT GUIDO ARCHIEPISCOPUS VIENNENSIS, ECCLSIÆ GRATIANOPOLITANÆ, & ejuſdem Eccleſiæ Epiſcopo Hugoni, de pago Salmoriacenſi.

Hic titulus ſic legitur in Chartul.

EGo Hugo *Gratianopolitanus* Epiſcopus, poſterorum notitiæ trado, qualiter Viennenſis Archiepiſcopus *Guido*

calumniam movit, de *Salmoriacenſi* pago adverſus *Gratianopolitanam* Eccleſiam, præfatum pagum injuſtè poſſidere, quoniam juris erat Viennenſis Eccleſiæ. Ad quam querimoniam diffiniendam *Viennam* convenimus, ſed cauſa tunc indiſcuſſa diem aliam placito conſtituimus; in qua die apud *Rotmanos* iterum convenerunt cum eo *Gentardus Valentinenſis*, & *Guido Genevenſis* nobiſcum, *Pontius Belicenſis* & *Landricus Matiſconenſis* Epiſcopi, ubi & ſcriptis & aliis teſtimoniis oſtendimus, quòd pagum illum *Gratianopolitana* Eccleſia per centum annos & eo amplius poſſediſſet: ex quo verò primùm poſſederit penitus ignorare. Econtra Viennenſes objicerunt, quòd eo tempore, in quo *Gratianopolitana* Eccleſia à Paganis deſolata erat, ejuſdem Civitatis Epiſcopo ab Archiepiſcopo Viennenſi ad tempus conceſſus eſt: à quibus cùm requiſiſſent præfati Epiſcopi, ſi ſuper hac reſponſione aliqua chartarum monimenta haberent, reſponſum eſt nullum exinde ſcriptum habere, ſed ſolùm vulgi rumorem ſufficere. At *Gratianopolitani* Canonici poſtulaverunt, ut præſentes Epiſcopi ſuper hoc judicarent, utrum nuda & ſola Viennenſium verba *Gratianopolitanam* Eccleſiam à poſſeſſione tam antiqua excluderent. Sed *Viennenſis* Archiepiſcopus noluit audire judicium, quoniam eo tempore milites illius terræ ad pacem faciendam conjuratos in manu ſua tenebat. Quod judicio non potuit, opportunitate accepta violenter abſtulit; pro qua invaſione Domino Papæ Urbano II. proclamationem fecimus. Unde Lugdunenſi Archiepiſcopo *Hugoni*, qui tunc Legatus Romanæ Eccleſiæ erat litteras deſtinavit. *Lugdunenſis* itaque Archiepiſcopus fretus Apoſtolica auctoritate, utrumque noſtrum ad tantam injuriam definiendam apud *Baonem* ante præſentiam ſuam èx præcepto Domini Papæ venire fecit. Qui utrinque audita ratione plenam inveſtituram *Gratianopolitanæ* Eccleſiæ, quæ ſicut diximus violenter expoliata fuerat, judicavit: & primo Concilio in Galliis celebrando calumniam ſe determinaturum promiſit. Inveſtituram autem *Viennenſis* Archiepiſcopus ſpreto Apoſtolici Legati judicio reddere nobis noluit; quoniam eo tempore Romam ad Dominum Papam *Vrbanum*, Legatum cum litteris ſuis miſerat, poſtulans ab eo, ut quæ juris erant Viennenſis Eccleſiæ privilegio con-

Digitized by Google

firmaret: pro cujus impetratione, ſicut ipſe nobis poſtea confeſſus eſt, quingentos ſolidos in Romana curia diſpenſavit. In quo inter alia *Salmoriacenſem* pagum, quem noviter arripuerat fraudulenter & per ſurreptionem, ſcribi fecit, Domino Papa ipſius pagi querimoniam prorſus ignorante. Quam privilegii fraudem ubi perſenſimus cum ſumma feſtinatione Romam miſimus apud Dominum Papam, conquerentes & de contempto ſuper inveſtitura Legati ſui judicio, & de fraudulenta privilegii ſurreptione. Unde Domnus Papa *Vrbanus* Lugdunenſi Archiepiſcopo *Hugoni* Legato ſuo litteras mandavit, quarum exemplum infra ſcriptum eſt.

EPISTOLA URBANI II. AD HUGONEM EPISCOPUM LUGDUNENSEM.

QVOD SVÆ AVCTORITATIS LITERÆ contra jura Eccleſiarum objici non debent.

Ex Chartulario Eccleſiæ Gratianopolitanæ.

URbanus Epiſcopus ſervus ſervorum Dei, dilecto fratri & Coepiſcopo *Hugoni* Lugdunenſi, & ſanctæ Romanæ Eccleſiæ Legato, ſalutem & Apoſtolicam benedictionem. Sollicitudinis noſtræ vices, & agendorum Conciliorum providentiam ſtrenuitati tuæ purè ſimpliciterque commiſimus, ſed pro conſervanda pace, & negotio facilius peragendo utilius æſtimavimus confratris noſtri Remenſis Archiepiſcopi conſilium adhibere, quia in ejus manu familiarius cauſa Regis verſatur. Tua verò intererit ſive cum ejus, ſive ſine ejus conſilio, prout tibi à Domino copiam miniſtrari conſpexeris, injunctæ Legationis officium exercere, & pullulantes vitiorum palmites, divini verbi falce reſcindere. Inter Viennenſem Archiepiſcopum *Guidonem*, & Grannopolitanum Epiſcopum *Hugonem*, quid rerum ſit, ſagacitas tua longè melius intra provinciam inveſtigare prævalet, quàm nos qui tam longis terrarum ſpatiis abſumus. Quod igitur de eodem negotio tua fraternitas ſtatuit, nos de tuæ juſtitiæ integritate ſecuri noſtra aſſertione firmamus. Si quas verò noſtræ auctoritatis

literas Epiſcopus Viennenſis objecerit, noſſe nos volumus, quia nos nihil ipſi, aut Eccleſiæ Viennenſi conceſſimus, niſi quod hactenus poſſediſſe cognoſcitur; etiamſi per ſubreptionem, forte quod abſit, aliquid videatur extortum: ſua enim cuique volumus jura ſervari. Tu hanc eorum diſſenſionem, quanto citius poteris, adjuvante Domino ſopire procura: in his & in aliis quæ Dei ſunt in promptu habeas te Dei miniſtrum ſpiritu ferventiſſimo exhibere. Orantem pro nobis ſanctitatem tuam gratia divina cuſtodiat. Data Romæ XVII. Kalend. Jun.

Nobis verò per eundem Legatum literas in hunc modum miſit.

EPISTOLA URBANI II. AD HUGONEM GRATIANOPOLITANUM EPISCOPUM.

QVOD SVAS CONSTITVTIONES ET auctoritatis literas contra jura Eccleſiarum Viennenſis Archiepiſcopus non debet opponere.

URbanus Epiſcopus ſervus ſervorum Dei, dilecto fratri *Hugoni Grannopolitano* Epiſcopo, ſalutem & Apoſtolicam benedictionem. Pro negotio tuo confratri noſtro Lugdunenſi *Hugoni* Archiepiſcopo reſcripſimus. Quod enim ipſe noſtra vice ſtatuit, nos noſtra aſſertione corroboramus. Si quas verò noſtræ auctoritatis literas Viennenſis Archiepiſcopus oppoſuerit, nihil cauſæ tuæ officere arbitreris. Nos enim nihil ipſi aut Eccleſiæ Viennenſi conceſſimus, niſi quod juſtè hactenus poſſediſſe cognoſcitur: ſua enim cuique volumus jura ſervari. Orantem pro nobis fraternitatem tuam miſeratio divina cuſtodiat. Data Romæ XVII. Kalend. Jun.

DE

Digitized by Google

DE CONCILIIS EDUENSI SEU AUGUSTODUNENSI, ET PLACENTINO.

IN QVIBVS CONSTITVTIONES VRBANI, & privilegia per ſubreptionem contra jura Eccleſiaſtica extorta reſcinduntur, ipſo quidem jubente.

INterea Lugdunenſis Archiepiſcopus *Hugo* apud Eduenſem civitatem Concilium diſpoſuit celebrare, ubi nos intereſſe præcepit paratos ad dirimendam totius Concilii judicio querimoniam. Tandem in Concilio ad cauſam noſtram ventum eſt; ubi poſt multa verba, ut cauſam noſtram injuſtam eſſe Viennenſis Archiepiſcopus comprobaret: cum inſultatione ſcripturarum quaſi multa vetuſtate contritam Chartam protulit, quæ continebat quòd *Barnuinus* Viennenſis Archiepiſcopus *Iſarno* Grannopolitano Epiſcopo Eccleſiam S. *Donati* & Salmoriacenſem pagum conceſſiſſet, donec Grannopolitanæ Eccleſiæ pax à perſecutione Paganorum, qua tunc vaſtabatur, redderetur. Quâ perlectâ, à timore quem nobis incuſſerant reſpiravimus, rogantes Apoſtolicum Legatum, ut chartam illam ipſe ſervaret, quæ ſine dubio falſum teſtimonium dabat; quoniam *Barnuinus* Viennenſis Archiepiſcopus & *Iſarnus* Grannopolitanus Pontifex non contemporanei fuerunt, ſicut ex catalogo Lugdunenſi, & ex aliis multis ſcriptis collegimus. Præterea Chartam illam infirmavimus & caſſavimus, ex eo quòd *Alcherius* Grannopolitanus Epiſcopus Anteceſſor *Iſarni* Epiſcopi prædictum pagum *Salmoriacenſem* poſſediſſe multis chartarum teſtimoniis cognoſcitur: & Eccleſiam ſancti *Donati* Grannopolitana Eccleſia non per *Barnuinum* obtinuiſſet, ſed largitione Regum, videlicet *Boſonis* & *Lodovici* filii ſui; quod præceptis eorum Regalibus declaratum eſt. Cognita autem à nobis ipſis ſcripturæ falſitate, Viennenſis Archiepiſcopus judicium, quod primum quadam importunitate requirebat, ſuffugere cœpit: & charta illa à conſpectu Concilii & ipſius Legati repente ſublata, ad præfati Privilegii auctoritatem ſpreto judicio recucurrit. Quod

nihil ei ſuffragari potuit; quoniam Dominus Papa illud privilegium per ſubreptionem ſibi extortum literis ſuis intimaverat, & cauſam noſtram canonico judicio diffiniendam à Legato ſuo commiſerat: & ita hoc refugio, quo injuſtitiam ſuam defendere moliebatur, Viennenſis Archiepiſcopus deſtitutus eſt. Tentaverunt autem Archiepiſcopi præſentes & Epiſcopi rogatu Apoſtolici Legati, qui Concilii turbationem formidabat, pacem inter nos & concordiam reformare. Sed quoniam nōſtra quæ invaſerat ex integro nobis reſtituere noluit, ſatius intellexi ſynodale judicium, quàm inutilem concordiam recipere. Quod ille plurimum formidans, & quaſi imminentem judicii ſententiam evadere cupiens, jus Eccleſiæ nobis commiſſæ, Viennæ conſilio Canonicorum ſuorum nobis reſtituere promiſit. Igitur die conſtituta Viennam veni, ſed quod ipſe promiſerat, minime implevit. Interea Dominus Papa *Vrbanus* Placentiæ diſpoſuit celebrare Concilium, ubi Gallicanos Epiſcopos præcepit intereſſe. Qui ſuper tanta injuria querimoniam facturus cùm pergerem, Viennenſem Archiepiſcopum in Italiam apud ſanctum *Ambroſium* reperi. Quod ut me ab incepto itinere revocaret, hebdomada quâ Concilium Placentinum Papa celebrare diſpoſuerat, concilio Lugdunenſis Archiepiſcopi ſe obediturum de cauſa noſtra ſpopondit. Hac intentione ab itinere domum regreſſus, cùm Lugdunum venire determinata die prępararem, Viennenſis placitum renunciavit. Et ſic ab eo turpiter illuſus, dolos ipſius cognoſcens, iter quod intermiſeram ſtatim arripui, & ultima die Concilii ſumma cum feſtinatione Placentiam veni: ubi coram Papa & univerſo Concilio, violentiam quam nobis Viennenſis intulerat, & dolos ejus, & Apoſtolicæ ſedis contemptum expoſui; & qualiter Apoſtolici Legati judicio de inveſtitura noſtra obedire noluerat. Quo audito totius Concilii judicio plenam inveſtituram Salmoracenſis pagi Papa nobis reddidit: privilegium quod ſicut ſupra poſitum eſt per ſubreptionem Viennenſis extorſerat, caſſavit: & ſuper hoc ei litteras deſtinavit, quarum exemplum infra ſcriptum eſt.

Digitized by Google

EPISTOLA URBANI AD GUIDONEM VIENNENSIUM ARCHIEPISCOPUM.

Ipſi denunciat Privilegium contra jura Eccleſiarum conceſſum irritum eſſe.

URbanus Epiſcopus ſervus ſervorum Dei, *Guidoni* Viennenſium Archiepiſcopo, ſalutem & Apoſtolicam benedictionem. Neceſſitati & utilitati eccleſiæ providentes, in promotione tua quod ætati deerat, toleravimus. Contra eccleſiæ noſtræ morem abſenti tibi pallium contribuimus, privilegium quoque conceſſimus, in quo tamen legatus tuus id per ſubreptionem fecit adſcribi, quod uſque ad tua tempora Grannopolitanus epiſcopus poſſederat, quem in Romana eccleſia plurimum carum habemus. Qua de re cùm ſæpe apud nos, & apud Legatum noſtrum venerabilis confrater noſter ſupradictus Epiſcopus conqueſtus fuerit, tu tantorum beneficiorum immemor, neque noſtris neque Legati noſtri litteris vel præcepto obediſti. Nuper autem ad Concilium, quod annuente Deo Placentiæ celebravimus, idem epiſcopus veniens de eadem re de Salmoriacenſi pago videlicet in communi audientia conqueſtus eſt. Plurimorum etiam aſſertionibus patuit, pagum illum ſub nonnullis Epiſcopis Grannopolitanam Eccleſiam poſſediſſe. Illam igitur ſubreptionem, per quam res ſub querimonia poſitas quaſi per privilegium vendicas, nos irritam eſſe, & vires nullas obtinere decernimus. Unde ſynodali judicio eum de pago illo, ſalva tuæ Eccleſiæ juſtitia, reinveſtivimus: & præſentium litterarum auctoritate præcipimus, ut eandem inveſtituram adimpleas, & eum quiete poſſidere permittas; donec aut ante nos, aut ante Legatum noſtrum canonico judicio decidatur. Quod ſi contemſeris, profecto noveris beati Petri, ac noſtram te gratiam amiſſurum. Data Placentiæ IV. idus Mart.

ARCHIEPISCOPUS VIENNENSIS DAMNATUR, quod retractationem ſummi Pontificis nolit recipere.

QUibus litteris Archiepiſcopus Viennenſis noluit obedire, immò litterarum portitorem minis atque convitiis dehoneſtavit. Unde ad Papam ſub brevi tempore Mediolanum accedens, præſumptionem & contumaciam Archiepiſcopi Viennenſis contra ſedem Apoſtolicam oſtendi. Apoſtolicus itaque me ab ipſius ſubjectione ſubtraxit, & Clericis ac Laicis in pago Salmoriacenſi commorantibus, ne Viennenſi Archiepiſcopo obedirent, interdixit litteris quas hîc ſubjungere curavimus.

EPISTOLA URBANI II. AD CLERICOS ET LAICOS IN PAGO SALMORIACENSI COMMORANTES.

NE AMPLIUS ARCHIEPISCOPO VIENNENSI obediant, qui privilegii auctoritate fultus, retractationem juſtam pertinaciter rejiciebat.

V*Rbanus* Epiſcopus ſervus ſervorum Dei, dilectis filiis tam Clericis quàm Laicis in pago Salmoriacenſi commorantibus, ſalutem & Apoſtolicam benedictionem. Quoniam frater Viennenſis Archiepiſcopus, noſtro, & Concilii quod largiente Domino Placentiæ celebratum eſt judicio obedire contempſit, ut videlicet Grannopolitano Epiſcopo Salmoriacenſem Archidiaconiam reſtitueret, ſicut de ea fuerat inveſtitus, Nos vobis præſentium litterarum auctoritate præcipimus, ut ejuſdem Viennenſis Archiepiſcopi ſubjectione poſthabita, quam à vobis videtur violenter exigere, Grannopolitano deinceps tanquam proprio Epiſcopo obediatis: donec utriuſque præſentibus idem negotium in noſtra, vel Legati noſtri audientia canonico judicio diffiniatur. Si verò etiam nunc Viennenſis Archiepiſcopus uſque ad canonicum judicium ſuper inveſtitione hac inquietare præſumpſerit, nos ipſi

interim ab illius obedientia ſubtrahimus. Data Mediol. VII. Kalend. Jun.

ARCHIEPISCOPI VIENNENSIS PERTINACIA damnatur in Concilio Arvernenſi.

Contigit interea Domnum Apoſtolicum Gallicanam eccleſiam viſitare, qui Valentiam ad dedicandam majorem eccleſiam veniens, ibique Viennenſem Archiepiſcopum allocutus, ad dirimendam litem quæ inter nos erat utrumque ante præſentiam ſuam die conſtituta adeſſe præcepit. Cumque juxta præceptum ipſius antiquis cartarum teſtimoniis onuſtus epiſcoporum & Clericorum, Laicorum quoque conſilio ſufficienter munitus illuc adventaſſem, Archiepiſcopus Viennnenſis ſpiritu ſuperbiæ afflatus, arcem loci, & munitionem cum armatis occupavit militibus; ut ſi quid contra voluntatem ſuam Papa loqueretur, ipſe apud ſe in ſua poteſtate permaneret. Et ideo Papa ſuo etiam jure, abbatia videlicet Romanenſi taliter expoliatus eſt, & cauſam noſtram diffinire non potuit. Ego autem injuriæ propriæ non immemor, in Avernenſi Concilio quod Papa eodem anno celebravit, querimoniam noſtram adverſus Archiepiſcopum jamdiu agitatam, Papæ & univerſo conventui repræſentare curavi. Apoſtolicus verò injuriæ noſtræ & labori compatiens, Salmoriacenſem Pagum Grannopolitanæ eccleſiæ ex integro reſtituit: & me & Grannopolitanam eccleſiam ab ipſius obedientia ſubtraxit, quandiu ſuper hac reſtitutione Apoſtolico præcepto obedire contemneret: & exinde Comiti & Parrochianis noſtris litteras hujuſmodi delegavit.

EPISTOLA URBANI II. AD GUIGONEM COMITEM, CLERUM, ET POPULUM GRANNOPOLITANUM.

DE IIS, QUÆ AUCTORITATE CONCILII Aruernenſis deſinita ſunt contra Archiepiſcopum Viennenſem.

URbanus Epiſcopus ſervus ſervorum Dei, dilectis filiis *Guigoni*, Comiti, Clero, & populo Grannopolitano, ſalutem & Apoſtolicam benedictionem. Querelam venerabilis confratris noſtri *Hugonis* veſtri Epiſcopi de Salmoriacenſi pago jamdiu agitatam, Concilii quod apud Clerum Montem civitatem Arverniæ celebravimus, auctoritate noveritis deffinitam. Quia enim confrater noſter Viennenſis Archiepiſcopus *Guido*, ſæpe & noſtris litteris, & viva noſtri oris voce commonitus, de eadem cauſa obedire contempſit, & inveſtituram quam eidem veſtro Epiſcopo Placentiæ fecimus, exequi noluit: nos poſſeſſionem illam quam & idem frater *Hugo*, & nonnulli ſuorum Anteceſſorum poſſediſſe noſcuntur, ſupradicto fratri noſtro, & Grannopolitanæ Eccleſiæ reſtituimus; & quandiu Viennenſis Archiepiſcopus huic diffinitioni obedire contempſerit, tam ipſum, quàm Grannopolitanam Eccleſiam ab ejus obedientia ſubtraximus. Omnibus etiam in eodem pago commorantibus, tam Clericis quàm Laicis, ne Viennenſi Archiepiſcopo obediant, interdicimus; donec aut judicium quod factum eſt, exequatur: aut querela hæc ante nos canonico judicio inter utrumque comprobata certiorem finem accipiat. Data III. Kalend. Decembris. Apud Clarum Montem Arverniæ.

SUMMI PONTIFICIS RETRACATIONI Archiepiſcopus Viennenſis cogitur obtemperare: & paulò poſt arrogans & contumax efficitur.

GVigo quidem Comes Apoſtolicis litteris excitatus Archiepiſcopum adire, & apud eum minis ac precibus effe-

Digitized by Google

eit, quatenus Salmoriacenſem pagum ſecundum pręceptum Apoſtolici nobis, & Grannopolitanæ æccleſiæ reſtitueret. Cui reſtitutioni apud Capellam Arearum interfuerunt *Gualterius* Albanenſis, & *Leodegarius* Vivarienſis Epiſcopi, Viennenſis Eccleſiæ, & Grannopolitanæ Canonici, *Guigo* prędictus Comes, necnon & Principes ipſius terræ. Quam inveſtituram, quoniam corporis infirmitas ferè per biennium in Apulia me detinuit, Archiepiſcopus iterum præſumpſit invadere. Quod poſtquam per Legatum noſtrum Papæ nunciatum eſt, litteris ſuis Legatum ſuum Lugdunenſem Archiepiſcopum commonuit, ut ab injuria Grannopolitanæ æccleſiæ & noſtra Archiepiſcopum Viennenſem auctoritate Apoſtolica omnino coerceret. Quarum litterarum exemplum infra ſubpoſui.

EPISTOLA URBANI II. AD HUGONEM SEDIS APOSTOLICÆ LEGATUM.

VT COERCEAT ARROGANTIAM & contumaciam Archiepiſcopi Viennenſis.

URbanus Epiſcopus ſervus ſervorum Dei, reverendiſſimo fratri & Coëpiſcopo *Hugoni* Apoſtolicæ ſedis vicario, ſalutem & Apoſtolicam benedictionem. Quàm arroganter, quàm indigne adverſus nos & ſanctam Romanam Eccleſiam frater noſter Viennenſis Archiepiſcopus *Guido* ſe habuerit, ſcientiam veſtram nequaquam latet. Præter cetera verò cervicem ſuam adverſus humilitatem noſtram adeo ſuſtulit, ut & Romanenſem Abbatiam à nobis interdictam reinvaderet, & fratri noſtro Gratinopolitano Epiſcopo, Eccleſias quas nobiſcum ipſe reſtituerat, ſine judicio reauferret. Tuam ergo fraternitatem pro nobis omnino ad juſtitiam excitari pręcipimus. Sentiat ut adamantem & ſilicem, faciem tuam: remotaque præteritæ lenitatis reverentia, omnino ſecundum juſtitiam Grannopolitanæ Eccleſiæ ſua jura reſtituas, & Apoſtolicæ ſedis injurias ulciſcaris. In Epiſcoporum mutationibus hactenus nimis lenes pro Apoſtolicæ manſuetudinis gratia, Gallicanorum petitionibus condeſcendimus: deinceps au-

tem id penitus præcaveri præcipimus: neque enim Nicænæ ſynodi, quam æque ut ſanctum evangelium veneramur, auctoritatem hujuſmodi occaſionibus evacuari ulterius patiemur. Data Lateranis II. Nonas Jun.

Concilium Auguſtodunenſe, V. ſupra Eduenſe.

Innotuit eodem tempore divina nobis favente clementia chartam illam, quam in Auguſtodunenſi Concilio Archiepiſcopus Viennenſium adverſum nos de Salmoriacenſi *pago protulerat, certioribus indiciis, falſam eſſe. Ille enim, cui ſcriptor ejuſdem chartæ infirmitate detentus confeſſus fuerat, nobis patefecit. Quem ſcriptorem nomine* Sigibodum *ſancti* Ragnaberti *Monachum per amicos noſtros ejuſdem cœnobii Monachos evocatum, apud Monaſterium, quod* Granium *dicitur, ante Altare beatæ* Mariæ, *ſub invocatione divinæ præſentiæ excommunicationem intentando, adjuravi.*

II.

PASCHALIS II. MANDATUM,

QUO QUÆSTIO DE PAGO SALMORACENSI inter Guidonem Viennenſem, & Hugonem Grannopolitanum Epiſcopos per multos annos, & in multis Conciliis ventilata dirimitur, non obſtantibus ſupradictis privilegiis.

Ex Chartulario Eccleſiæ Viennenſis.

P*Aſchalis* Epiſcopus ſervus ſervorum Dei, inter venerabiles fratres *Guidonem* Viennenſium, & *Hugonem* Grannopolitanum Epiſcopos, de pago Salmoracenſi per multos annos, & multis in Conciliis quæſtio ventilata eſt. Noviſſimè ante præſentiam noſtram Lugduni in hanc concordiam ex noſtri proviſione judicii cōvenerunt, ut ejuſdem pagi æquam diviſionem facerent, & tam Viennenſi quàm Grannopolitanæ eccleſiæ pars ejuſdem diviſionis vicinior redderetur: quicquid autem in territorio infra bornam, & Iſaram verſus Grannopolim conſtituto Viennenſis archiepiſcopus calumniabatur, ab omni deinceps infeſtatione liberum Grannopolitanæ eccleſiæ cederet: Porro Eccleſiam beati *Donati*, quæ infra Viennenſem Parrochiam continetur cum omnibus mobilibus ſive immobilibus ad eam pertinentibus, Grannopolitanus Epiſcopus jure

jure proprietario poſſideret, & tam Canonicas ipſius Eccleſiæ, quàm univerſa ad eam pertinentia ipſe diſponeret; Viennenſis autem Parrochiali tantum jure in Clericorum & altarium conſecrationibus uteretur. Pari ergo communique conſenſu, Salmoriacenſis pagi talis eſt facta diviſio, ut undecim caſtella cum Eccleſiis, & parrochiis, & totis mandamentis ſuis, Viennenſi Eccleſiæ: & undecim caſtella cum Eccleſiis & parrochiis, & totis mandamentis ſuis, Grannopolitanæ Eccleſiæ dederentur. Hæc autem ſunt caſtella quæ in portionem Viennenſis Eccleſiæ ſegregata ſunt, caſtrum ſancti *Georgii*, *Braſſiacum*, caſtrum veteris villæ, caſtrum *Orniciacum*, caſtrum *Bonocellum*, caſtrum *Leemps*, caſtrum *Planilla*, caſtrum *Clari Montis*, caſtrum *ſancti Lorii*, caſtrum *Peladrudi*, caſtrum *Vireu*. Item hæc ſunt, quæ in portionem Grannopolitanæ Eccleſiæ obvenerunt, caſtrum *Vinniacum*, caſtrum *Nerpoicum*, caſtrum *Novum*, caſtrum *Tullinum*, caſtrum de *Ruus*, caſtrum *Moirencum*, caſtrum *Vorione*, caſtrum, *Tuluvnis*, caſtrum *Miribellum*, caſtrum *Minuetum*, *de ſcalis*, caſtrum *Vorapium*; & ſuper hæc Eccleſia de *Cancellatco*, cum tota parrochia ſua. Sic largiente Domino, ſupradictæ quæſtionis diuturnitas terminata eſt, & pacis atque concordiæ inter *Viennenſem* & *Grannopolitanam* Eccleſiam, earumque Præſules utroque in idipſum conſentiente ſtabilitas inſtituta eſt. Quam ſtabilitatem nos in perpetuum permanſuram largiente Domino confirmamus, præcipientes & omnimodis ſancientes, ut pars quæ *Viennenſi*, ſeu *Grannopolitanæ*, quemadmodum ſupra ſcriptum eſt, ceſſit Eccleſiæ, ſemper ejus parrochia ſit, nec ulli omnino perſonæ liceat, aut Viennenſi, ſuam, aut Grannopolitanæ, ſuam quæ ſuperius diſtincta eſt, ullo unquam tempore ſubtrahere portionem. Si verò alter adverſus alterum indeliberata parte quęſtionem aut violentiam fecerit, juxta conditionem quâ ſe in judicio uterque conſtrinxit, accepta portionis poſſeſſione careat, & omne deinceps agendi jus in eodem negotio prorſus amittat. Ad hæc præceptum eſt, & repetita pręceptione firmamus, ne Viennenſis Epiſcopus ulterius in illa parte *Grannopolitanæ* Eccleſiæ, aut pacem, aut communiam, aut aliquam exactionem requirat, aliter quàm in Rienſi, ſeu Vivarienſi Parrochia ad Viennenſem metropolim pertinente.

Aſſuerunt huic judicio ſive concordiæ, quæ apud Lugdunum IV. kald. Februarii facta eſt, venerabiles Epiſcopi *Ricardus*, *Albanus*, *Aldo Placentinus*, Potius *Anitienſis*, *Leodegarius Vivarienſis*, *Guido Gebennenſis*, *Euſtathius Valentinus*, *Cono Maurianenſis*, & *Guigo Comes Albianenſis.* Datum per manum *Johannis* ſanctæ Romanæ Eccleſiæ Diaconi Cardinalis, ac Bibliothecarii apud Eccleſiam ſancti *Petri de Alaverdo.* IV. Non. Aug. Indict. XV. Incarnationis Dominicæ anno M. CVII. Pontificatus autem Domni Paſchalis II. Papæ VIII.

III.

EPISTOLA CALLISTI PAPÆ III.

AD ARCHIEPISCOPUM TURONENSEM:

In qua ei ſignificat ſtatuta ſua de citatione Procuratoris Generalis Caroli Francorum Regis, ut potè juribus & Privilegiis Eccleſiæ Gallicanæ contraria, nullius roboris & momenti eſſe debere.

Ex Authentico V. Cl. Antonii VION Domini D'HEROUVAL.

CAlliſtus Epiſcopus ſervus ſervorum Dei, venerabili fratri Archiepiſcopo Turonenſi ſalutem & Apoſtolicam benedictionem. Romani Pontificis providentia circumſpecta nonnunquam illa, quæ ejus auctoritate emanarunt, ſi quando comperit meliori habita informatione ea in aliquorum præjudicium tendere, revocat, & annullat, ac de remedio oportuno providet; prout, rerum & perſonarum qualitate penſatâ, id conſpicit in Domino ſalubriter expedire. Dudum ſiquidem inter venerabilem fratrem noſtrum *Guillermum* Epiſcopum Nannetenſem, & ejus officiarios temporales ex unâ, ac dilectos filios Joannem *Delbieſts* militem dicti Epiſcopi vaſſallum, ac Procuratorem Generalem cariſſimi in Chriſto filii noſtri *Caroli* Francorum Regis illuſtris, & nonnullas alias perſonas partibus ex altera, ſuper certis differentiis tunc expreſſis ortâ materiâ quæſtionis, certa citatio à dilecto filio noſtro Dominico titulo ſanctæ crucis in Jeruſalem

Digitized by Google

preſbytero Cardinali noſtro Pœnitentiario majori, contra Joannem militem Procuratorem illos de Parlamento, ac alias perſonas prædictas, auctoritate noſtra emanaſſe dicitur juribus, prærogativis, & privilegiis ipſius Regis multùm præjudiciaria. Quare pro parte dicti Regis nobis fuit humiliter ſupplicatum, ut ejus indemnitatibus paterno intuitu conſulere, ſibique de oportuno remedio providere dignaremur. *Nos* igitur, qui intenſis deſideriis omnes Catholicos Principes, & præſertim ipſum Regem, qui unà cum Chriſtianiſſimis ſuis progenitoribus maxima Eccleſiæ Dei & ſedi Apoſtolicæ contulit beneficia, optamus in eorum juribus, privilegiis, & prærogativis hujuſmodi illæſos conſervari. Attendentes quòd, ſi de præjudicio Regis hujuſmodi certiores facti fuiſſemus, nullatenus talem permiſiſſemus fieri citationem: ac volentes indemnitatibus dicti Regis conſulere, necnon differentiarum, & citationis hujuſmodi ſtatum, formam, tenorem, & qualitatum cauſas, præſentibus ac ſi ipſis de verbo ad verbum inſerta forent pro ſufficienter expreſſis, habentes: & citationem ipſam, ac proceſſus per illam habitos, & quicquid ejuſdem citationis prætextu actum, geſtum, ſeu etiam innovatum fuit, atque omnia exinde ſecuta revocantes, caſſantes, & annullantes, ac nulla, invalida, & nullius roboris, vel momenti fore declarantes; & lites qualcunque etiam coram quibuſcunque judicibus tam eccleſiaſticis quàm Laicis prætextu citationis hujuſmodi ſubortas, ſeu indeciſas pendentes ad nos harum ſerie advocantes, & illas penitus extinguentes, necnon differentias, quæſtiones, & controverſias inter Epiſcopum, Officiarios, militem, procuratorem illos de Parlamento, ac alios prædictos ortas hujuſmodi in priſtinum & in eum ſtatum in quo erant antequam dicta citatio emanaſſet reponentes, & reponi mandantes; fraternitati tuæ per Apoſtolica ſcripta mandamus, quatenus eiſdem Epiſcopo, & Officiariis, ac aliis quibuſvis perſonis in hujuſmodi cauſa delegatis, ſeu ſubdelegatis, etiam ſub excommunicationis & aliis gravioribus ſententiis, ac pœnis, & cenſuris Eccleſiaſticis, de quibus tibi videbitur, inhibeas, ne dictæ citationis & proceſſuum ejuſdem prætextu contra militem, Procuratorem, & illos de Parlamento, & alias perſonas hujuſmodi quovis modo pro-

cedere, ſeu illius vigore ipſos moleſtare, perturbare, aut inquietare præſumant: ac militi, Procuratori, & aliis prædictis, efficacis defenſionis præſidio aſſiſtens non permittas illos ipſius citationis, ac proceſſuum, & aliorum ex illa ſecutorum hujuſmodi occaſione quovis modo moleſtari, contradictores auctoritate noſtra appellatione poſtpoſita compeſcendo. Et nihilominus omnes & ſingulos militem, Procuratorem, illos de Parlamento, ac alias perſonas præfatas contra quos, ſeu quas occaſione citationis, & proceſſuum hujuſmodi excommunicationis, aliæ ſententiæ, cenſuræ, ſeu pœnæ Eccleſiaſticæ, vel ſeculares quomodolibet latæ, inflictæ, & promulgatæ ſunt, ſeu quas ferri & promulgari contigerit, ab excommunicationis ſententiis, cenſuris, & pœnis hujuſmodi, quos nos etiam abſolvimus & abſolutos fore cenſemus, eadem auctoritate noſtra abſolvas & abſolutos fore declares: ac cum illis qui Eccleſiaſtici fuerint, ſi forſan ſic excommunicati miſſas & alia divina officia, non tamen in contemptum clavium, celebraverint, ſeu illis ſe immiſcuerint, ſuper irregularitate quam præmiſſorum occaſione quomodolibet incurriſſent dicta noſtra auctoritate diſpenſes, aboleaſque omnem inhabilitatis & infamiæ maculam, ſive notam per illos dicta occaſione quomodolibet contractam, prout nos etiam diſpenſamus & abolemus, non obſtantibus præmiſſis ac conſtitutionibus, & ordinationibus Apoſtolicis, ceteriſque contrariis quibuſcunque, ſeu ſi Epiſcopo, & Officiariis prædictis, vel quibuſvis aliis à dicta ſit ſede indultum, quòd ſibi inhibitio hujuſmodi fieri, ſeu interdici, ſuſpendi, vel excommunicari non poſſint per literas Apoſtolicas non facientes plenam, & expreſſam, ac de verbo ad verbum de indulto hujuſmodi mentionem. Datum Romæ apud ſanctum Petrum anno Incarnationis Dominicæ milleſimo quadringenteſimo quinquageſimo quinto, octavo Kalend. Februar. Pontificatus noſtri anno primo.

IV.

EPISTOLA JOANNIS ARCHIEPISCOPI TURONENSIS AD GUILLERMUM EPISCOPUM NANNETENSEM.

De executione ſupradictæ ſententiæ, quâ ſummus Pontifex ſuas conſtitutiones & ordinationes, ut pote Privilegiis Eccleſiæ Gallicanæ contrarias, revocavit.

Ex Schedis Viri Cl. Antonii Vion Domini d'Herouval.

J*Oannes* miſeratione divina Turonenſis Archiepiſcopus Iudex & executor unicus, ad infrà ſcripta auctoritate Apoſtolica ſpecialiter deputatus, reverendo in Chriſto Patri fratri noſtro *Guillermo* eadem miſeratione Epiſcopo Nannetenſi, & ejus Officiariis in temporalibus, nec non quibuſvis perſoni, in cauſa de qua dicitur infrà delegatis ſeu ſubdelegatis, omnibuſque aliis & ſingulis quorum intereſt, vel intererit, & quos tam conjunctim quàm diviſim præſens & infra ſcriptum tangit negotium, tangereve poteſt, aut poterit quomodolibet in futurum, cujuſcunque ſtatus, gradus, ordinis, conditionis, aut præeminentiæ exiſtant, & quocunque nomine cenſeantur, ſalutem in Domino, & noſtris imò veriùs Apoſtolicis firmiter mandatis obedire. Literas ſanctiſſimi in Chriſto Patris, & Domini noſtri Domini *Calliſti* divina providentia Papæ tertii ejus vera bulla plumbea cum cordula canapis more Romanæ curiæ in pendenti bullatas, ſanas, & integras, non viciatas, non cancellatas, nec in aliqua ſui parte ſuſpectas, ſed omni prorſus vitio & ſuſpicione carentes, ut in eis prima facie apparebat, pro parte ſereniſſimi & illuſtriſſimi Principis ac Domini noſtri *Caroli* Francorum Regis in eiſdem literis Apoſtolicis principaliter nominati nobis præſentatas, nos cum ea qua decuit reverentia recepiſſe noveritis formam quæ ſequitur continentes. *Calliſtus* Epiſcopus. &c. *ut ſuprà.* Poſt quarum quidem literarum Apoſtolicarum præſētationem & receptionem, pro parte dicti Domini noſtri Regis fuimus

cum debita inſtantia requiſiti, quatenus ad executionem ipſarum literarum Apoſtolicarum, & contentorum in eiſdem procedere curaremus juxta traditam ſeu directam per eas à ſede prædicta nobis formam. *Nos* igitur Archiepiſcopus Turonenſis judex & executor præfatus, proprio nomine non expreſſo, viſis literis Apoſtolicis ſupradictis, & nobis per earumdem tenorem conſtitutum per ſanctiſſimum Dominum Papam præfatum, differentiarum & citationis hujuſmodi ſtatum, formam, tenorem, & qualitatum cauſas in ſuis literis jam dictis Apoſtolicis ac ſi in ipſis de verbo ad verbum forent inſertæ pro ſufficienter expreſſis habentes: ac citationem ipſam, & proceſſus per illam habitos, & quicquid ejuſdem citationis prætextu actum, geſtum, ſeu etiam innovatum fuit, atque omnia exinde ſecuta revocaſſe caſſaſſe & adnullaſſe, ac nulla invalida, & nullius roboris vel momenti fore declaraſſe, & lites quaſcunque etiam coram quibuſcumque judicibus tam Eccleſiaſticis quàm Laicis prætextu citationis hujuſmodi ſubortas, ſeu indeciſas pendentes ad ſe ſuarum dictarum literarum ſerie advocaſſe, & illas penitus extinxiſſe, necnon differentias, quæſtiones, & controverſias inter vos reverendum Dominum Epiſcopum, & veſtros Officiarios Ioannem *Delbieſſi* militem, vaſſallum, ac Procuratorem Generalem dicti Domini noſtri Regis illuſtriſſimi, necnon perſonas de curia Regii Parlamenti Pariſius ejuſdem Domini Regis, & nonnullas alias perſonas, ortas hujuſmodi in priſtinum & in eum ſtatum in quo erant antequam dicta citatio emanaſſet repoſuiſſe, & reponi mandaſſe, prout revocavit, caſſavit, adnullavit, declaravit, advocavit, extinxit, repoſuit, & mandavit: volentes mandatum Apoſtolicum nobis in hac parte directum reverenter exequi, ut tenemur ſecundùm ejus formam; præfatas literas Apoſtolicas, & hunc noſtrum proceſſum, ac omnia & ſingula in eis contenta vobis reverendo Patri Fratri noſtro Epiſcopo Nannetenſi, Officiariis veſtris delegatis, ſubdelegatis, & perſonis aliis, quibus præſens noſter proceſſus dirigitur, tenore præſentium intimamus, inſinuamus & notificamus, ac ad veſtram & cujuſlibet veſtrûm communiter & diviſim notitiam deducimus, & deduci volumus. Per præſentes inhibemus quoque auctoritate Apoſtolica nobis in hac par-

te commiſſa ſub excommunicationis pœna, quam in his ſcriptis ex nunc, prout ex tunc, & ex tunc, prout ex nunc, in vos & veſtrûm quemlibet contradictores ferimus, ne dictæ citationis & proceſſuum ejuſdem prætextu contra *Joannem Delbieſſs* militem, Procuratorem Generalem dicti Domini Regis, & gentes de Parlamento præfatas, ac alias perſonas hujuſmodi quovis modo procedere, ſeu illius vigore ipſos, aut eorum alterum moleſtare, perturbare, aut inquietare præſumatis, ſeu veſtrûm alter præſumat quovis quæſito colore, nec ab aliis occaſione premiſſorum moleſtari permittatis. Et inſuper omnes, & ſingulos ex *Joanne Delbieſſs* milite, Procuratore Domini Regis, gentibus de Parlamento, ac aliis perſonis præfatis, contra quos, ſeu quas occaſione citationis & proceſſuum hujuſmodi excommunicationis aut aliæ ſententiæ, centuræ, ſeu pœnæ eccleſiaſticæ, vel ſeculares quomodolibet latæ inflictæ & promulgatæ ſunt, ab excommunicationis ſententiis, cenſuris & pœnis hujuſmodi, quos etiam ipſe ſanctiſſimus per jam dictas ſuas literas abſolvi & abſolutos fore cenſuit, eadem auctoritate Apoſtolica in his ſcriptis abſolvimus, & abſolutos eſſe, ac eorum quemlibet declaramus per præſentes: necnon cum illis qui eccleſiaſtici ſunt, ſi forſan citationis & proceſſuum prædictorum vigore fuerint vel ſint excommunicati, ac miſſas & alia divina officia non tamen in contemptum clavium celebraverint, ſeu illis ſe immiſcuerint, ſuper irregularitate quam premiſſorum occaſione quomodolibet incurrerint, ſimili auctoritate diſpenſamus, abolemuſque omnem inhabilitatis & infamiæ maculam ſive notam per eos aut eorum alterum dicta occaſione quomodolibet contractam, prout etiam præfatus ſanctiſſimus diſpenſavit & abolevit cum eiſdem; non obſtantibus omnibus illis quæ ſepedictus ſanctiſſimus in ſuis literis voluit non obſtare, ceteriſque contrariis quibuſcumque. Quod ſi fortè premiſſa omnia, & ſingula non adimpleveritis, mandatiſque noſtris hujuſmodi, imò veriùs Apoſtolicis non parueritis cum effectu, Nos in vos omnes & ſingulos ſupradictos, qui culpabiles fueritis in premiſſis, & generaliter in contradictores quoſlibet, & rebelles ex nunc, prout ex tunc, & ex tunc, prout ex nunc, ſingulariter in ſingulos, Cononica monitione

præmiſſa; in capitula verò & collegia quęcunque in hoc delinquunt, & in ipſorum delinquentium & rebellium hujuſmodi Eccleſias, & monaſteria, interdicti ſententias ferimus in his ſcriptis, & etiam promulgavimus: Vobis verò reverendo in Chriſto Patri Epiſcopo Nannetenſi præfato, cui ob reverentiam veſtræ Pontificalis dignitatis deferimus in hac parte, ſi contra pręmiſſa vel aliquid pręmiſſorum per vos vel ſubmiſſam perſonam feceritis, prędicta Canonica monitione pręmiſſa, ingreſſum Eccleſiæ interdicimus in his ſcriptis: Si verò hujuſmodi interdictum per ſex dies immediatè ſequentes ſuſtinueritis, vos in his ſcriptis eadem Canonica monitione præmiſſa ſuſpendimus à divinis; verùm ſi præfatas interdicti & ſuſpenſionis ſententias per ſex dies immediatè ſequentes animo, quod abſit, ſuſtinueritis indurato, vos in his ſcriptis ſimili Canonica monitione pręmiſſa ex nunc, prout ex tunc, & ex tunc, prout ex nunc excommunicationis ſententia innodamus. Cęterum cùm ad executionem pręmiſſorum ulterius faciendam nequeamus quoad pręſens, pluribus aliis arduis negotiis præpediti, perſonaliter intereſſe univerſis, & ſingulis; Dominis Abbatibus, Prioribus, Prępoſitis, Decanis, Archidiaconis, Scholaſticis, Cantoribus, Succentoribus, Theſaurariis, Cuſtodibus, Sacriſtis, tam Cathedralium quàm Collegiatarum Canonicis, Parrochialiumque Eccleſiarum rectoribus, ſeu, loca tenentibus, eorumdem Plebanis, vice plebanis, Capellanis Curatis & non Curatis, ceteriſque Preſbyteris, Clericis, Notariis, & Tabellionibus quibuſcunque ubilibet conſtitutis, & eorum cuilibet in ſolidum ſuper ulteriori executione dictorum mandatorum Apoſtolicorum atque noſtrorum faciendâ, dicta auctoritate, præſentium tenore committimus plenariè vices noſtras, donec eas ad nos duxerimus revocandas. Quos, & quemlibet eorum in ſolidum eiſdem auctoritate, & tenore requirimus, & monemus primò, ſecundò, tertiò, & peremptorie ipſis: & eorum cuilibet, pro omni dilatione, terminoque peremptorio, ac monitione Canonica aſſignamus, ita quòd in his exequendis unus eorum alterum non expectet, nec alter pro alio ſe excuſet: ad vos fratrem noſtrum Epiſcopum Nannetenſem, Officiarios veſtros, delegatos, ſubdelegatos, omneſque

que

Digitized by Google

que alios, & ſingulos ſupradictos, quibus noſter præſens proceſſus dirigitur, aliaſque perſonas, & loca de quibus expediens fuerit, perſonaliter accedant, ſeu accedat eorum alter: & dictas literas Apoſtolicas, noſtrumque proceſſum hujuſmodi, ac omnia & ſingula in eis contenta modo, & forma præmiſſis, vobis omnibus & ſingulis ſupradictis communiter, & diviſim legant, intiment, inſinuent, notificent, & fideliter publicari procurent. Et nihilominus poſtquam ipſis aut eorum alteri legitime conſtiterit, vos fratrem noſtrum Epiſcopum Nannetenſem, Officiarios delegatos, ſubdelegatos, ceteroſque omnes & ſingulos ſupradictos, quibus pręſens noſter proceſſus dirigitur, prout ad vos & veſtrûm quemlibet ſpectat communiter vel diviſim, prælibatis noſtris mandatis & inhibitionibus imo verius Apoſtolicis non paruiſſe cum effectu, aut in & ſuper pręmiſſis, in præjudicium, damnum, & gravamen militis, Procuratoris Generalis, gentium de Parlamento, & aliarum perſonarum ſupra ſcriptorum quicquam feciſſe, ſeu fieri feciſſe, vel procuraſſe per vos, alium ſeu alios directè, vel indirectè, palam, ſeu occultè, vel attentaſſe quominus litteræ Apoſtolicæ prędictæ, & noſter præſens proceſſus ſuum plenarium & votivum ſortiantur effectum: vos omnes & ſingulos ſupradictos in præmiſſis delinquentes, pro tempore aut in contrarium quicquam facientes, & generaliter quoſlibet contradictores in hac parte, & rebelles cujuſcunque ſtatus, gradus, ſexus, ordinis, conditionis aut pręeminentiæ exiſtant, ſeu poteſtatis in eorum Eccleſiis, Monaſteriis, & Capellis, ſingulis diebus Dominicis & feſtivis, infra miſſarum ſolennia, dum inibi populi multitudo convenerit ad divina audienda, excommunicatos auctoritate prædicta denuncient & faciant ab aliis, quantum in eis fuerit publice nunciari: & generaliter omnia alia, & ſingula nobis in hac parte commiſſa plenarie exequantur juxta traditam, ſeu directam à ſede Apoſtolica nobis formam; ita tamen quòd ipſi ſubdelegati, vel quicunque alter nihil in pręjudicium dicti Domini noſtri Regis principalis valeant attentare, nec in proceſſibus per nos habitis, & ſententiis per nos latis, abſolvendo vel ſuſpendendo, aliquid immutare. In ceteris autem, quæ eidem Domino noſtro Re-

gi ſuper præmiſſis in aliquo nocere poſſent, ſeu obeſſe, ipſis & quibuſcunque aliis poteſtatem omnimodam denegamus: & ſi contingat nos ſuper præmiſſis in aliquo procedere, de quo nobis poteſtatem omnimodam reſervamus, non intendimus propterea commiſſionem noſtram hujuſmodi in aliquo revocare, niſi de revocatione ipſa ſpecialem & expreſſam fecerimus mentionem. Prefatas quoque literas Apoſtolicas, & hunc noſtrum proceſſum volumus penes dictum Dominum noſtrum Regem, vel ejus Procuratorem remanere: & non penes vos aut aliquem veſtrûm, contra ipſius voluntatem quomodolibet detineri. Contrarium verò facientes prefatis noſtris ſententiis, prout in ſcriptis latæ ſunt, ipſo facto volumus ſubjacere; mandamus tamen coppiam fieri de præmiſſis eam petentibus, & habere debentibus petentium quidem ſumptibus & expenſis. Abſolutionem verò omnium & ſingulorum, qui præfatas noſtras ſententias, aut earum aliquam ſeu incurrerit quoquo modo, nobis vel ſuperiori noſtro tantummodo reſervamus. In quorum omnium & ſingulorum fidem, & teſtimonium præmiſſorum, præſentes literas, ſeu præſens publicum inſtrumentum hujuſmodi noſtrum proceſſum in ſe continentes, ſive continens, exinde fieri, & per Notarios publicos infraſcriptos ſubſcribi, & publicari mandavimus: ſigillique noſtri juſſimus, & fecimus appenſionis munimine roborari. Datum & actum Turon. in palatio noſtro Archiepiſcopali, ſub anno Domini milleſimo quadringenteſimo quinquageſimo ſexto, Indictione quarta, die verò viceſima ſexta menſis Maii, Pontificatus præfati ſanctiſſimi in Chriſto Patris, & Domini noſtri Domini *Caliſti* Papæ tertii anno ſecundo, preſentibus ad hæc venerabilibus ac circunſpectis viris magiſtris *Roberto Poiſtcum*, Theſaurario Eccleſiæ beati *Hilarii* Pictavienſis, *Ioanne Preſſelli* Archidiacono Tranſvigenenſi, *Nicolao* Officiali, & *Nicolao de Arzonges* ſigillifero, ac Canonicis Turonenſ. teſtibus ad præmiſſa vocatis ſpecialiter & rogatis.

Et quia Ego *Franciſcus Thouars* Preſbyter Eccleſiæ Turon. Canonicus publicus autoritate Apoſtolica Notarius, ac reverendiſſimi in Chriſto Patris, & Domini Domini *Ioannis* Archiepiſcopi Turon. prædicti Secretarius, dictarum litera-

Digitized by Google

rum Apoſtolicarum pręſentationi, & receptioni, inhibitionique, atque abſolutioni, monitioni, mandatis, & decretis, atque commiſſioni, & ſententiæ promulgationi, ceteriſque præmiſſis omnibus, & ſingulis, dum ſic ut pręmittitur per reverendum patrem Judicem & executorem memoratum, & coram eo dicerentur, agerentur, & fierent unà cum teſtibus ſupra nominatis, & Notario... infraſcripto pręſens fui: eaque ſic fieri vidi, & audivi, ac in notam ſumpſi. Idcirco pręſentes literas ſeu præſens publicum inſtrumentum proceſſum hujuſmodi in ſe continentes, manu aliena fideliter ſcriptum, exinde confectum ſigno meo ſolito, unà cum ſigno & ſubſcriptione dicti Notarii Collegæ mei, ac ſigilli præfati reverendiſſimi Patris appenſione ſignavi, me hîc manu propria ſubſcribente, in fidem & teſtimonium omnium & ſingulorum præmiſſorum requiſitus & rogatus.

Et quia Ego *Thomas de Mardeaux* Clericus Redonenſis diœceſis oriundus, in legibus Bachalarius, Apoſtolica & Imperiali auctoritatibus Notarius juratus, & Tabellio publicus prædictarum literarum Apoſtolicarum præſentationi, receptioni, inhibitioni & abſolutioni, necnon monitioni, mandatis, & decretis, atque commiſſionibus, & ſententiis promulgatis, ceteriſque præmiſſis &c. *ut ſupra*.

ARTICVLVS QVINTVS.

SENTENTIÆ A SUMMIS PONTIFICIBUS, EPISCOPIS, ET REGIBUS, ET A CURIA PARLAMENTI PARISIENSIS, LATÆ ADVERSUS QUOSLIBET

Statutorum Eccleſiaſticorum violatores.

I.

SENTENTIÆ AB EPISCOPIS, ET SUMMIS PONTIFICIBUS PROLATÆ.

I. SENTENTIA AB EPISCOPIS IN SYNODO PARISIENSI LATA.

DE ECCLESIA DE ORENGI, QVÆ Monachis de Longo ponte *adjudicatur, contra uſurpationem Monachorum de Gyviſi.*

Ex Chartulario Monaſterii S. Mariæ de Longo ponte Diœceſis Pariſienſis.

MOnachorum de *Longo ponte* & Monachorum de *Geviſi* talis eſt controverſia, & querela, & taliter in judicio poſita. Monachi enim de *Longo ponte* conqueſti ſunt apud Archidiaconum de prædictis Monachis, qui Eccleſiam de *Orengi* ſibi legitimè conceſſam eis injuſtè auferebant, & in illa injuria adhuc perſiſtebant. *Emelina* autem mater *Odonis* de *Ver* ad quam pertinebat illa Eccleſia hereditario jure pro remedio animæ ſuæ, & pro ſalute Anteceſſorum ſuorum, Monachis de *Longo ponte*, tranſactis jam decem annis, illam Eccleſiam poſt

obitum ſuum conceſſit habendam. Poſtea verò eleemoſinam ſuam volens amplificare etiam in vita ſua eis eandem Eccleſiam conceſſit habendam: poſuit etiam donum inde ſuper altare ſanctæ Mariæ. Receperunt autem donum monachi conceſſione Epiſcopi & Archidiaconi. Monachi verò de *Giviſi* eis eam violenter auferebant, & ab iſta violentia nondum deſiſtebant; talis eſt querela monachorum de *Longo ponte*. Monachi autem de *Giviſi* reſponderunt hoc modo: Eccleſiam de *Oringi* habemus ex dono *Odonis* de *Ver* filii *Emelinæ* qui Eccleſiam illam die donationis ſuæ tenebat, & ſeptem annis ante donationem illam tenuerat. Fecit autem prædictus *Odo* donum iſtud aſſenſu *Alberti* fratris ſui, aſſenſu etiam *Emelinæ* matris ſuæ: quæ ſcilicet *Emelina* in illo aſſenſu dixit ſe nullam conceſſionem inde feciſſe monachis de *Longo ponte*, & hoc per legitimos teſtes probare parati ſumus; talis eſt Reſponſio Monachorum de *Giviſi*: Ad hæc reſpondit *Emelina* hoc modo: donum illud quod filius meus fecit, nec Laudavi, nec Laudo. Conceſſionem autem quam feceram de prędicta Eccleſia Monachis de *Longo ponte*, & nunquam negavi, & adhuc non nego; ſed in illa conceſſione adhuc perſevero, nullique alii eam concedo. Quod autem dictum eſt, quòd filius meus die donationis ſuæ Eccleſiam tenebat, & per ſeptem annos prius tenuerat: dico, quia non tenuit ex dono meo, ex cujus hereditate deſcendebat, ſed tam in his quàm in aliis rebus meis neceſſitatibus filii mei condeſcendebam; talis eſt reſponſio utriuſque partis, & ſecundùm hæc verba proferenda eſt ſententia judicialis.

Has reſponſiones audiens Remenſis Archiepiſcopus, ceterique Epiſcopi Pariſiis congregati fecerunt judicium inter monachos de *Longo ponte* & Monachos de *Giviſi*, dicentes una voce: viſum eſt, ut monachi de *Longo ponte* ſecundùm verba ſupradicta, & ſecundum judicium noſtrum Eccleſiam habeant de *Oringi*: & ne oblivioni tradantur illi, qui ad hoc judicium fuerunt, quoſdam ex multis ſcripturæ teſtimonio rememorari curavimus; imprimis *Hugo* Remenſis Archiepiſcopus, qui judicium fecit aliis concedentibus.

Dambertus Senonenſis Archiepiſcopus.

Laudunenſis Epiſcopus.

Digitized by Google

Sueſſionum Epiſcopus.
Silvanectenſis Epiſcopus.
Trecacenſis Epiſcopus.
Aurelianenſis Epiſcopus.
Gaufredus Carnotenſis Epiſcopus, tunc verò propoſitus.

Stephanus Archidiaconus, *Gilbertus* Archidiaconus, *Fulco* Ambianenſis Archidiaconus, *Rainaldus* frater *Milonis* de *Braio*, *Galinus* de *Arenis*, *Theobaldus* Notarius, *Garnerius* decanus, *Petrus* dapifer Epiſcopi, *Arnulphus* Malinet, *Ioannes* de Maciaco, *Durannus* præpoſitus, *Gaufredus major*, *Oylardus* famulus, *Garnerius* famulus, *Rogerius* de *Savigny Rogerius Bretus*.

II.

PASCHALIS II. SENTENTIA

IN RERUM EPISCOPI DEFUNCTI, SEU juris Eccleſiaſtici ſacrilegos pervaſores.

Ex cod. Mſ. privileg. Eccleſiæ Carnotenſis.

P*Aſchalis* Epiſcopus ſervus ſervorum Dei, Carnotenſis Capituli Clericis, ſalutem & Apoſtolicam benedictionem. Quoniam pravas conſuetudines in domibus & rebus Carnotenſis Epiſcopi defuncti vel depoſiti Comites quondam Carnot. habuerint: veſtra memoria recognoſcit fratris aut noſtri *Ivonis* Carnotenſis Epiſcopi labore & induſtria ab egregio Comite *Stephano*, ſicut ſcitis, impetratum eſt, ut eaſdem conſuetudines abdicaret. *Nos* autem, ne quis ulterius eadem præſumat, decreti noſtri pagina interdiximus. Nunc veſtram ſollicitudinem præmonemus, & monentes præcipimus, ut ſi forte aliquis Carnotenſium Comitum vel miniſtrorum eorumdem aliquando, cupidâ temeritate & temeraria cupiditate, libertatem à Comite conceſſam, à nobis confirmatam infregerint, * tanquam Eccleſiaſtici juris ſacrilegos pervaſores à veſtris vel ſucceſſoribus veſtris excommunicentur, & eis Eccleſiæ tam civiles quàm ſuburbanæ uſque ad ſatisfactionem claudantur. Addimus etiam, ut ſi Epiſ-

V. Statutum Comitis ſupra relatum. Et Ivonis epiſto am. xiv.

copus amittendi Epiſcopatum timore, vel electus in Epiſcopum acquirendi ambitione, illius ſacrilegii patratores abſque ſatisfactione abſolverit, vel ſupportaverit, tanquam ſacrilegii particeps & Epiſcopatus emptor adjudicetur. Novis ſiquidem moribus novum convenit antidotum adhiberi, & Eccleſiæ ſalutem modis omnibus conſervari. Datum Lateran. VII. Kalend. Aprilis.

* Vide Concil. Chalcedon. can. XXII. Concil. Tarraconenſ. can. XII. Concil. Ilerdenſ. can. XVI. *Placuit cuſtodiri, ut defuncto Antiſtite, vel etiam adhuc in ſupremis agente, nullus Clericorum cujuſlibet ordinis, officii, gradusve ſit, quidquam de domo auferre præſumat, vel de utilitate quæ inſtrumenti domus eſſe noſcitur, id eſt, mobilis, & immobilis rei Eccleſiaſticæ conetur invadere, &c. Quòd ſi quiſquam poſt hæc cujuſlibet ordinis, ut ſupradictum eſt, Clericus, quacumque occaſione, de domo Eccleſiæ, vel de omni facultate quidpiam probatus fuerit abſtuliſſe, &c.* Reus ſacrilegii, prolixiori anathemate condemnetur; & vix quoque peregrina ei communio animæ concedatur. Concil. Valentin. can. II. *Labores non diripiant Epiſcopi decedentis, & in vacuam Eccleſiæ domum futurus Pontifex, non ſine dolore ſuccedat, ſed magis de prædeceſſoris ſui dimiſſo poſſit & ipſe gaudere, & aliis miniſtrare.*

III.

IVONIS CARNOTENSIS SENTENTIA,

IN PRÆPOSITOS EXACTORES.

Ex Codice.

Deeſt in epiſtolis editis, & in obſervationibus I. B. Souchetti.

IN nomine ſanctæ & individuæ Trinitatis. Ego *Ivo* Dei gratia Carnotenſis humilis Epiſcopus, notum fieri volo cunctis ſanctæ Eccleſiæ fidelibus tam præſentibus quàm futuris, quia Canonici Eccleſiæ mihi commiſſæ meam adeuntes præſentiam clamorem & querimoniam fecerunt de præpoſitis ſuis, videlicet *Milone*, *Hugone*, *Henrico*, aliis, qui privatis commodis inhiantes, communem fratrum utilitatem in quibuſcunque poterant minuebant, & quaſdam res eis jure debitas per injuriam ſibi retinebant; pauperes Eccleſiæ ſub eorum patrocinio conſtitutos diverſis calamitatibus afficiebant, & ſævæ rapacitati inſervientes exigebant ab eis num-

mos, annonam, oves, agnos, anſeres, gallinas, & habebant medietates cum ruſticis Eccleſiæ, quod non licet, & mittebant ſervientes ſuos cum equis per præpoſitos, qui quærebant annonam à ruſticis ſicut & Domini, & faciebant ſibi parari ſæpe ingentia prandia tam præpoſiti quàm ſervientes ſine licentia Capituli; læta capiebant, & de hominibus Eccleſiæ relevationem terrarum, de conjugandis feminis venditiones & plurima carricia faciebant, quod non licet, exceptis duobus: Preſbyteros in Eccleſiis ponebant ſine licentia Capituli, capiebant homines Eccleſiæ & verberabant eos, & in carceres mittebant ſine juſſione Capituli, de arietibus accipiebant pluſquam duodecim nummos, de porcis pluſquam duos ſolidos, quod non licet, mittebant etiam alios ſervientes ſine equis, qui exigebant à ruſticis annonam & alia plura; faciebant etiam plura quæ ſui juris eſſe diratiocinari non poterant: & ut tantis injuriis finem imponerem, multimodis ſupplicationibus poſtulabant. Quorum petitioni aſſenſum præbere, quia rationabilis erat, dignum judicans, cupienſque eorum providere quieti, volenſque ut eorum murmuratio ceſſaret, odium ſopiretur, peccatum expelleretur, pax & quies pauperibus reſtitueretur, conſilio optimatum noſtrorum decrevimus Canonicos juſtam habere cauſam, & præcepimus ne in ruſticis Eccleſiæ præpoſiti deinceps has exactiones haberent, nec ulterius communem in ſupradictis utilitatem minuerent. Si quis autem, quod nolumus, ad damnum Canonicorum hoc in pejus mutare præſumpſerit, & non reſipuerit, maledictus atque excommunicatus permaneat: & cum eis qui in fine mundi audituri ſunt, *ite maledicti in ignem æternum qui præparatus eſt diabolo & Angelis ejus*, portionem & ſocietatem habeat. Ut autem hæc conceſſio firmiorem per futura tempora obtineret vigorem, & à ſucceſſoribus noſtris verius certiuſque crederetur, & diligentius obſervaretur: has literas fieri juſſi, & manu propria firmavi, & fideles noſtros firmare feci.

Hoc decretum refertur à Paſchali II. & ab ipſo confirmatur in epiſtola ad Canonicos Eccleſ. Carnot. quam I. B. Souchetus edidit in ſuis obſervationibus ad epiſt. 263. Ivonis.

IV.

IV.

SENTENTIA YVONIS CARNOTENSIS EPISCOPI.

De Eccleſia HIENVILLA de Parochia Puteacenſi, & ejus Eccleſiæ Juribus,

Contra Monachos MAIORIS MONASTERII, *pro Monachis ſancti* MARTINI DE CAMPIS.

Ex Chartulatio S. Martini de Campis.

YVo Dei gratia Carnotenſis Epiſcopus. Notum ſit omnibus tam præſentibus quàm futuris, quòd ex mandatione Domini *Hugonis Lugdunenſis* Archiepiſcopi, clamaverunt in præſentia noſtra Monachi ſancti *Martini de Campis* adverſus Monachos *Majoris Monaſterii* de parochia *Puteacenſis Caſtri*, quod pertinet ad Eccleſiam ſanctæ *Mariæ de Hienvilla*, excepta concordia decimæ vinearum. Reſponſum eſt à Monachis *Majoris Monaſterii*, Eccleſiam de *Hienvilla* tempore trium preſbyterorum, & tempore Canonicorum, & tempore Monachorum, nullam Parrochialem inveſtituram habuiſſe, in ſepultura ſcilicet corporum, vel in decima lanæ, & agnorum & aliorum parochialium redituum: ſed potius Capellam *Puteacenſem* temporibus prædictorum preſbyterorum, ſcilicet Clericorum, Monachorum, his omnibus inveſtitam fuiſſe. Hujus autem inveſtituræ teſtes habuerunt, Rainaldum, Canardum, & tres alios. Rainaldus Canardus teſtis fuit hujuſmodi, capellam videlicet *Puteacenſem*, & Parrochiam Eccleſiæ de *Hienvilla* XL annis in nullo Parrochiali redditu ſubjectam fuiſſe. Quidam autem Preſbyter hujuſmodi teſtis fuit, ſe non vidiſſe Eccleſiam de *Hienvilla* de Parrochia *Puteacenſi* aliquem Parrochialem redditum habuiſſe. *Albertus* autem eodem modo teſtatus eſt ſe XX. annis id non vidiſſe: *Hugo* autem eodem modo teſtatus eſt XXX. quidem annis. Monachi autem *de Campis* quietem poſſeſſionis Monachorum *Majoris Monaſterii* hujuſmodi teſti-

bus interruperunt, & ſuam inveſtituram defenderunt. Domnus *Simon* Archidiaconus ſanctæ *Mariæ* teſtis fuit, ſe vidiſſe Preſbyterum de *Hienvilla* ſervos & liberos Parrochiales ex debito ad ſepulturam ſuſcepiſſe, ſeque interfuiſſe; preſbyterum verò *Puteacenſem* in præſentia Preſbyteri de *Hienvilla* tantummodo locum ſuſcepiſſe idiotæ. Quidam alius teſtis dixit, ſe vidiſſe tempore Preſbyterorum, qui fuerunt ante Canonicos, Preſbyterum de *Hienvilla* tempore Rogationum veniſſe *Puteacum*, & feciſſe aquam benedictam ad puteum, & ſuſcepiſſe à Parrochianis panes, ova & cæteros Parrochiales redditus: ipſum autem qui tunc temporis erat famulus Canonicorum ſuſcepiſſe à Parrochianis inter Palmas & Paſcha decimam agnorum, inter Paſcha & Pentecoſten decimam lanæ. Quidam autem alius teſtis dixit, ſe vidiſſe eundem Preſbyterum liberos Parrochiales ex debito ad ſepulturam ſuſcepiſſe, & precium ſepulturæ, ut à parrochianis, ſuſcepiſſe, quos & nominavit. Quidam autem Archipreſbiter teſtis fuit, tempore Canonicorum, poſt benedictionem capellæ & atrii, per clamorem *Ingelardi* perlatum Archidiacono juſſu ejuſdem Archidiaconi, ſe eoſdem Canonicos, & de eadem benedictione, & de quorumdam mortuorum in eodem atrio facta tumulatione, ad juſtitiam invitaſſe. Quidam autem eorumdem Canonicorum teſtis fuit, ſe cum aliis Canonicis ſecundùm verbum Archipreſbiteri inde ad juſtitiam vocatum fuiſſe. Ipſe autem idem teſtis fuit, ſe vidiſſe Preſbiterum de *Hienvilla*, de parrochia *Puteacenſi* parrochiales ex debito ad ſepeliendum ſuſcepiſſe, quos nominavit. Tempore autem Monachorum teſtati ſunt Prior & Monachi de *Domno Hugone*, per quem de eadem parrochia violentia illata fuerat, ſe in pluribus Eccleſiis clamorem feciſſe, videlicet *Exſoldunenſi*, *Meldenſi*, *Pariſienſi*. Utrarumque igitur partium hujuſmodi teſtimonio audito: quia videlicet teſtes Monachorum *Majoris Monaſterii*, eccleſiam de *Hienvilla* de Parrochia *Puteacenſi* inveſtituram habuiſſe, ſicut prędiximus, dicebant ſe nunquam vidiſſe, ſed Capellam potius *Puteacenſem* parrochiales redditus quiete poſſediſſe: teſtes verò Monachorum de *Campis*, quomodo prædiximus, illorum quietam, ſicut dicebant, poſſeſſionem interrupiſſe, &

Digitized by Google

ſuam inveſtituram defendiſſe. Ex hac etiam parte eccleſiaſticarum, & digniorum perſonarum teſtimonium conſiderantes, Archidiaconi videlicet noſtri, Canonici cujuſdam, & Archipreſbyteri, aliorum etiam laïcorum, communi aſſenſu fratrum noſtrorum, legitimè & ſine contradictione adjudicavimus, teſtibus Monachorum de *Campis* probationem debere attribui, & Monachis de Campis Parrochiam ſuam debere reſtitui. Quam probationem dum illi, ſicut propoſuerant in præſentia Capituli beatæ *Mariæ*, Priori & Monachis Majoris Monaſterii obtuliſſent, Monachi eam recipere noluerunt.

V.

EXCOMMUNICATIO IN QUA FUIT S. THEUDBALDUS VIENNENSIS ARCHIEPISCOPUS, ET ISARNUS GRATIANOPOLITANUS EPISCOPUS.

Hunc titulum habet Carthular.

Ob injuſtam poſſeſſionem bonorum Eccleſiæ.

Ex Chartulario Eccleſiæ Gratianopolitanæ.

QUicumque habitantes Arelati hanc ſcripturam legeritis, ammoneo, precor, & adjuro per Patrem, & Filium, & Spiritum ſanctum, per unum *Deum* & creatorem omnium, & per beatam *Mariam* Dei genitricem, & per omnes ſanctos dei præſentiæ aſſiſtentes, ne dimittatis, quin omnibus palàm annuncietis: Nec ſit aliquis, qui tollat eam deſuper altare beati *Stephani*, niſi dum lecta fuerit & audita: donec audiatis perſecutores Dei Eccleſiæ pro quibus res agitur, ad ſatisfactionem venire. Noverit itaque omnium fidelium prudentia, qualiter *Ego Aimo* Valentinenſis ſedis gratia Dei humillimus Præſul proclamaverim ante præſentiam *Gondradi* Regis ſenioris noſtri, quod *Aicardus* terram beati *Apollinaris* egregii confeſſoris Chriſti, atque beati *Cypriani* glorioſi martyris, injuſto ordine tenet, & contra Dominum & ſanctos ejus crudeli temeritate poſſidet. Et quoniam nulla ratione ipſum ad rectitudinem faciendam invitare potui,

dignum duxi, ut judicium æterni Regis Domini noſtri poſtularem, & ejus ineffabilem miſericordiam exorarem. Veraciter enim ſcimus, quia vindictam operatur. Hac igitur neceſſitate imminente, protegente Domino Salvatore noſtro, conſilium & juvamen à ſenioribus noſtris Epiſcopis circa nos morantibus deprecati ſumus, quorum mercedem & conſecuti ſumus ſecundùm animi voluntatem. Habemus enim excommunicationem Domni *Theudbaldi* Viennenſis Archiepiſcopi, Domni *Amblardi* Lugdunenſis Archimandritæ, Domni *Vvidonis* Anicienſis Præſulis, Domni *Iſarni* Gratianopolitanæ ſedis Antiſtitis, necnon Domni *Gerauldi* Genevenſis Epiſcopi, quorum in re hujuſcemodi una eſt ſententia, atque conſenſus. Et quoniam Arelas caput eſt, & eſſe debet iſtius Galliæ, proclamationem noſtram ante præſentiam Rectoris ejus deferre decrevimus; quatenus ne dedignetur merces ejus tantis patronibus prælibatis aſſenſum accommodare. Sint itaque excommunicati tam *Aicardus* crudelis Eccleſiæ Dei pervaſor, quàm omnes illi conſentientes in re tam injuſta, auctoritate Patris, & Filii, & Spiritus ſancti, omniumque ſanctorum Dei, & Angelorum, atque Archangelorum præſentiæ Dei adſtantium, & omnium epiſcoporum auctoritate, quoadusque ad ſatisfactionem veniant. Sint ſuper eos omnes maledictiones, quæ in veteri & in novo Teſtamento leguntur; ita ut pereant gladio Dei velociter, & deducantur ad infernalem locum, ubi extincta ſit lucerna eorum in perpetuum, niſi ad emendationem venerint. Amen.

VI.

EXCOMMUNICATIO A MAINARDO,

ARCHIEPISCOPO SENONENSI, ET IMBERTO Pariſiorum Epiſcopo propter contemtum auctoritatis Eccleſiaſticæ facta, quæ non minus terribilis videri debet, quàm abſolutio inſolita.

Ex Chartulario Eccleſiæ Pariſienſis.

EGo *Imbertus* Dei gratia Pariſiorum Epiſcopus, Notum fieri volo omnibus ſanctæ matris Eccleſiæ fidelibus tam

Digitized by Google

præſentibus quàm futuris, quòd *Hugo* miles de Dovione Muſterelli dicto bello videre, *Liſiardo* Decano & ceteris Canonicis ſanctæ *Mariæ Vernoilo* quemdam alodum prope atrium pro ſex libris compignoravit; eo videlicet conventu ut nunquam niſi de proprio cenſu redimeretur: quòd ſi quandoque tum vendere diſponeret, conventum cum nullo mortalium niſi cum Canonicis haberet. Quo facto, atque decem poſt annis ſine ulla inquietudine poſſeſſo, injuſtè vaſſallo cuidam dedit. *Leſiardo* hoc audito, Decanus ſanctæ Mariæ cum ceteris canonicis tam pro hoc, quàm pro ceteris malefactis quæ S. Mariæ faciebat, apud *Mainardum* Archiepiſcopum clamorem fecit. Quem Archiepiſcopus iterum & iterum ad juſtitiam vocavit; cumque nullatenus ejus auctoritati vellet obedire, eum excommunicavit, nobiſque licentiam excommunicandi dedit. Diabolico inſtinctu ejus corde obdurato, cùm minime reſipiſceret, morte præventus, exitu miſerabili anathematizatus vitam finivit. Cujus corpus inſepultum, atque in concavo trunco repoſtum, cùm per tres menſes animalibus & feris eſſet expoſitum, conjux ejuſque parentes miſeratione moti *Odonem* Decanum ceteroſque Canonicos adierunt, & ut terræ commendare liceret, per omnia ſatisfaciendo quicquid forisfecerat ſeſe emendaturos promiſerunt. Conſtituto autem loco & termino ad ultimum villæ quæ dicitur *Etman*, quo ſtabilitum fuerat, convenimus: atque ſub præſentia *Mainardi* Archiepiſcopi, & *Richerii* ſui Archidiaconi, militumque ſuorum, *Arelaii*, *Theobaldi*, *Herberti*, *Arnaldi*, *Arberti Galteri*, *Odoni* prædicto Decano, noſtriſque canonicis *Landrico*, & *Cancelino*, necnon *Ayulto* ſicut promiſerant emendaverunt, &c. Poſt hæc ad portum Taner convenientibus in unum, me videlicet *Imberto* Pariſiorum Epiſcopo, cum *Odone* Decano, & *Yvone Vernoili* præpoſito, Domino quoque *Mainardo*, Senonenſi Archiepiſcopo, cum *Goſſelino* præcentore, & Archidiacono, ceteriſque Archidiaconis *Richerio* & *Bernuino*: prædicti excommunicati uxor *Sancelina* cum parentibus & amicis inibi devenit: atque ſub præſentia omnium, pro abſolutione mariti ſui adhuc in trunco repoſiti, communique ſepultura carentis, prænotata forisfacta ad integrum vadavit. Accepta hac ſatisfactione ſub præſentia Archiepiſcopi, ſuorumque fidelium,

per noſtrum aſſenſum Decanus & Canonici ſummam prędictorum foriſfactorum tali conventu uxori & parentibus condonaverunt:ut prænotatum alodum perpetuo ſine ulla inquietudine ſanctæ *Mariæ* Canonici poſſiderent tam præſentes,quàm futuri &c. Huic audientiæ interfuerunt *Mainardus* Archiepiſcopus cum Archidiaconis ſuis *Iocelino*, *Richerio*, *Bernuino*, Vaſſallis autem ſuis *Goſtelino Hatonis* filio, *Stephano* & *Hatono* fratribus, *Rogero*, *Theobaldo*, *Hugone*: ex parte ſanctæ *Mariæ*, *Ego Ymbertus* Epiſcopus, *Odo* Decanus, *Yvo* præpoſitus, *Yvo* Archidiaconus, *Lancellinus* & *Iocelinus* Canonici, *Galterus* & *Gunterus* fratres, *Liſiardus* & *Iſimbertus*.

VII.

DE CAUSA INTER RESBACENSES,

ET SANCTÆ FIDIS CONCHENSIS Eccleſiæ Monachos, pro Eccleſia Columbarienſi, *in pluribus Conciliis & apud Lugdunenſem Archiepiſcopum Romanæ ſedis Legatum diu ventilata,tandemque in ſynodo definita adverſus Monachos* Reſbacenſes, *qui Eccleſiam* Columbarienſem *contra Canones & ſtatuta Eccleſiaſtica invaſerant.*

Ex Chartulario Eccleſiæ Conchenſis.

ANno ab Incarnatione Domini milleſimo centeſimo primo diſſenſio, quæ inter *Resbacenſes* & ſanctæ *Fidis Conchenſis* Eccleſiæ Monachos pro Eccleſia *Columbarienſi* diu fuerat ventilata, ad unguem divina gratia adjutrice producta eſt univerſis. Itaque Chriſti, ſanctæque matris Eccleſiæ filiis & diſſenſionem, & diſſenſionis originem tractatus ſubſequens intimabit.

Theobaldus Comes, *Odonis* Comitis filius, præfatam *Columbarienſem* Eccleſiam, Eccleſiæ ſanctæ *Fidis Conchenſis*, divina gratia inſpirante, conceſſit, ad cujus conceſſionis confirmationem, calicem argenteum, per quem donum quod *Conchenſi* Eccleſiæ fecerat confirmaret per proprios nuntios deſtinavit. Volens etiam memoratus Comes donum quod fecerat inconcuſſum & irrefragabile permanere, *Conchenſem*

Eccleſiam devotus viſitans, & propria ſuæ perſonæ præſentia, & ciſo aureo, per quem donum Columbarienſis Eccleſiæ quod abſens Conchenſi conceſſerat teſtaretur, ſuorum multis præſentibus, & hujus doni teſtimonium perhibentibus, & ipſius *Conchenſis* Cœnobii multis tam Monachis quam alterius profeſſionis aſtantibus, ſecundò ſe feciſſe teſtatus eſt. Mirandum valde, & à conſtantiæ ratione vehementer extraneum; prædictus Comes reverſus ad ipſa, mutato animo mutavit & donum; Eccleſiam *Columbarienſem*: quam præmiſſis indiciis *Conchenſi* Eccleſiæ dederat, ira rationem ſuffocante ſubſtraxit. Hanc ergo *Resbacenſis* Eccleſiæ Monachi, non ut dicitur abſque hæreſis Simoniacæ contagio, nec per oſtium, ſed aſcendendo per feneſtram, annuente prænominato Comite, ſubintrarunt. Quid plura? *Conchenſes* Monachi hoc pacto ſic ſuæ eccleſiæ, ſibique conceſſam argumentis prænotatis Eccleſiam perdiderunt, quam, quod dictu nefas eſt, *Resbacenſes* modis quos præſcripſimus acceperunt. Diu itaque *Conchenſibus* Monachis reclamantibus, & *Resbacenſibus* in hujuſcemodi uſurpatione manentibus, res eſt in pleriſque Conciliis & apud Lugdunenſem Archiepiſcopum Romanæ ſedis Legatum aliquandiu ventilata; ſed tamen vivente *Theobaldo* Comite nullatenus definita: pluribus quoque annorum decurſibus, poſt *Theobaldi* Comitis obitum, ſub Domino meo *Henrico* ejus ſucceſſore, & filio, & me, ejus uxore *Adela* Comitiſſa *Vvillelmi* Regis Anglorum, & *Matildis* Reginæ filia, res extitit indiſcuſſa. Eo itaque anno, quo prædictus Dominus meus Comes *Henricus* iturum ſe Jeroſolymam, adjunctis ſibi cum plurimis epiſcopis *Laudunenſi*, *Sueſſionenſi*, *Pariſienſi*, Comitibus quoque, & nonnullis Baronibus decreverat: mihi injunxit, ut inter *Conchenſes* & *Resbacenſes* Monachos cauſam tractari præciperem, & eorum diſſenſioni ſupremam manum imponerem. Statuto ergo die Abbas *Resbacenſis* cum ſuis Monachis, & ille frater *Arnaldus*, ſuo nomine quem *Conchenſis* Eccleſia miſerat, ante me in cauſam vocati conveniunt, Epiſcopis *Vvaltero* ſcilicet *Meldenſi*, & *Milone Trecenſi*, *Arnulfo* quoque *Latiniaci* Abbate præſentibus, *Gearnaldi* quoque reclamatione, & *Resbacenſium* narratione, à memoratis Epiſcopis, & Abbate, meiſque, & ipſorum temporum Clericis eſt.

extorta ſententia, quæ ante me prolata, & in medium conſtituta, Abbatem & ejus Monachos *Columbarienſem* Eccleſiam tenuiſſe, & reos invaſionis inconcuſſa veritate convincit, ſicque *Conchenſibus* Monachis Eccleſiam *Columbarienſem* judicii vigore, & Canonica auctoritate reſtituit. Quinto itaque Calend. Februarii ante me taliter data ſententia *Resbacenſes* expulit, & *Conchenſes* in jus proprium introduxit. Ut autem & hujus negotii modis quos prędiximus diffiniti memoria ſtabilis valeat permanere, tam eorum qui audiere, quàm eorum qui dedere ſententiam, nomina eſſe ſubnectenda decrevimus.

Galterius Meldenſis Epiſcopus.
Milo Trecenſis Epiſcopus.
Arnulfus Abbas *Latiniaci.*
Guicerius Prior *Coxiaci.*
Mannaſſes Archidiaconus.
Raginaldus Comitiſſæ Capellanus.
Raginaldus filius *Milonis de Braio.*
Oddo Pręceptor *Trecenſis* Eccleſiæ.
Anſellus & alii *Trecenſes.*

Meldenſes duo Clerici, *Vualterus*, & *Gilebertus*, *Durantus* quoque & *Rogerus* Adelæ Comitiſſæ Clerici, & *Bernardus* Preſbyter, & alii Clerici.

Barones, *Hugo Flavus*, *Gualcerus de feritate*, *Albertus de monte Mauri*, *Marnerius*, *Maingot*, *Hugo de Clangione*, *Rodbertus de Tuiri* filius *Agenonis*, *Oddo de Darneſtallo*, & *Bartholomæus*, *Albertus de Latiniaco*, *Gandelbertus de Trecis*, *Theolfus de Caſtello Theodorici*, *Adam de Cruce*, *Gervaſius de monte ſanctæ Mariæ.*

Milites, *Burndinus de Altuire*, & *Heldierus* frater ejus, *Hugo* Panetarius, & *Gibertus* frater ejus, vel *Eterus de Latiniaco.*

Lambertus Columbarienſis Præpoſitus, *Berneredus* frater Abbatis *Resbacenſis*, *Berneredus de monte Engbealdi*, *Roſeo* Decanus, *Galterius* Telonarius, *Radus* Cellararius, *Radus* filius *Albuini*, *Geraldus de Turri*, ſervientes Dominæ, *Vualterius de Caſtriduno*, *Serlo*, *Rollandus*, *Henricus* Oſtiarius, multi quoque alii tam militum quàm aliorum quos enumerare longum eſt. Sign. *Adelæ* Comitiſſæ, Sign. filii ejus *Thedbaldi.*

Rodgerius

Rodgerius Clericus Regis Anglorum ſcripſit Chartam iſtam.

VIII.

INDULGENTIA LUCII III.

CONTRA PRESBYTEROS CONCUBINAS habentes, qui remedio appellationis abutebantur contra Canonum decreta, & ſtatuta Eccleſiaſtica.

Ex Chartulis Eccleſiæ Pariſienſis.

L*Ucius Mauritio* Epiſcopo. Relatum eſt nobis ex parte tua quoſdam Preſbyteros in tua Dioceſi conſtitutos infamia laborare, quòd non erubeſcant detinere publice concubinas. Cùm autem illos quæris corrigere, obſtaculum appellationis opponunt, ut canonicam correctionem evitent; & tamen à vitio & prava conſuetudine non recedunt. Quia igitur appellationis remedium inventum non fuit, ad præſtandum incentivum alicui delinquendi; fraternitati tuæ autoritate Apoſtolica indulgemus, ut Preſbyteros qui publica ſuper hoc infamia propulſantur, ſi commoniti infrà XL. dies canonicam purgationem nequiverint, vel voluerint exhibere, contradictione & appellatione remota, ſuſpendas: & ſi nec ſic reſipuerint, ab officio reddas & beneficio Eccleſiaſtico alienos. Datum, &c.

IX.

LUCII III. SENTENTIA

IN SACRILEGOS IURIS ECCLESIASTICI pervaſores, quibus omne auffertur appellationis remedium.

Ex cod. Mſ. privileg. Eccleſiæ Carnotenſis.

LUcius Epiſcopus ſervus ſervorum Dei, dilectis filiis G. Decano & Capitulo Carnotenſi, ſalutem & Apoſtolicam benedictionem. Relatum eſt auribus noſtris, quod qui-

dam Parochianorum veſtrorum bona Eccleſiæ veſtræ violenter invadunt, & tam vobis quàm hominibus veſtris irrogare injurias pro ſuæ voluntatis arbitrio non formidant: commoniti autem à ſua non poſſunt malitia revocari. Quoniam igitur nobis imminet Eccleſiis & perſonis Eccleſiaſticis providere pacem debitam & quietem, & contra inſolentiam Laicorum Apoſtolicum præſidium impartiri, auctoritate vobis Apoſtolica indulgemus, ut quicumque Parrochianorum veſtrorum, ſive ſit R. Comes Perticenſis, R. Drocenſis, ſive Vindocinenſis, ſive Ebroicenſis, aut de monte forti, vel Barones, aut alii quilibet, qui Eccleſiam aut homines veſtros damnis vel injuriis affecerint, vel affecerunt, & commoniti ſatisfactionem contempſerint, congruam juſtitiam exhibere eos uſque ad dignam ſatisfactionem ſublato appellationis obſtaculo cenſura Eccleſiaſtica compellatis, & in terris ipſorum præter baptiſma & pœnitentias divina prohibeatis officia celebrari, nullis literis obſtantibus, ſi quæ ſunt à nobis vel à felicis memoriæ *Adriano* Apoſtolico impetratæ. Datum Anagn. VI. Idus Novemb.

X.

LUCII III. ET URBANI III. JUDICIA

IN RAPTORES, QUI REMEDIO APPELLATIONIS abutebantur contra ſtatuta Eccleſiaſtica.

Ex cod. Ms. Privileg. Eccleſiæ Carnotenſis.

L*Ucius* Epiſcopus ſervus ſervorum Dei, dilectis filiis G. Decano & Capitulo Carnotenſi, ſalutem & Apoſtolicam benedictionem. Cùm appellationis remedium in oppreſſorum auxilium non ad defenſionem malè agentium ſit inventum, providere volumus & debemus ne malefactores ad bona Eccleſiaſtia ſub appellationis prętextu violentas impunè manus extendant. Hac itaque ratione inducti auctoritate Apoſtolica conſtituimus, ut ſi quiſquam res Eccleſiæ veſtræ rapuerit, & exceſſus ejus fuerit manifeſtus, aut coram Epiſcopo vel Archidiacono, in cujus Archidiaconatu

Digitized by Google

malefactor extiterit, aſſertionem veſtram canonice probaveritis, raptori non liceat per appellationis diffugium diſciplinam Eccleſiaſticam declinare. Nulli ergo omnino hominum liceat hanc paginam noſtræ conſtitutionis infringere, vel ei auſu temerario contraïre. Si quis autem hoc attentare præſumpſerit, indignationem omnipotentis Dei, & beatorum Petri & Pauli Apoſtolorum ejus ſe noverit incurſurum. Datum Anagn. II. Idus Decembr.

URBANUS EPISCOPUS SERVUS SERVORUM DEI, dilectis filiis G. Decano & Capitulo Carnotenſi, ſalutem & Apoſtolicam benedictionem.

CUm appellationis. &c. Datum Veron. Idus Julii.

XI.

INDULGENTIA CLEMENTIS III. *CONTRA SENONENSEM ARCHIEPISCOPUM, qui ſtatuta Eccleſiaſtica violaverat.*

Hic eſt titulus in Chart.

Ex Chartulis Eccleſiæ Pariſienſis.

CLemens *Mauritio* Epiſcopo. Cùm ex auctoritate Canonum liqueat quid Archiepiſcopis jure Metropolitico debeatur, & ſcriptum ſit, ne quis terminos alienos uſurpet; mirabile gerimus, & ſatis reprehenſibile judicamus, quòd venerabilis frater noſter Archiepiſcopus Senonenſis Parrochianos tuæ juriſdictioni ſubjectos, te neſciente & inrequiſito, quoſdam ad alios judices mittit, interdum & propriæ ſententiæ definitionem condemnat. Sanè quia hoc inhibitum prohibitione canonica reperitur, ſalvo eo, quod de articulo appellationis excipitur, & ſententia à non ſuo judice lata nihil obtinet firmitatis; fraternitati tuæ præſentibus literis duximus concedendum, ut liceat tibi ſententiam taliter promulgatam ipſo jure proponere; & Parrochianis tuis, ne coram judicibus ſic datis reſpondeant, prohibere. Nulli ergo &c.

XII.

SENTENTIA EXCOMMUNICATIONIS A CÆLESTINO III. LATA.

ADVERSUS PRIVILEGIORUM ET LIBERTATUM Eccleſiæ Carnotenſis violatores: cujus executionem mandat Archiepiſcopo ... & Archidiacono Senonenſi.

Ex cod. Mſ. privileg. Eccleſiæ Carnotenſis.

CÆleſtinus Epiſcopus ſervus ſervorum Dei, venerabili fratri ... Archiepiſcopo & dilecto filio ... Archidiacono Senonenſi ſalutem & Apoſtolicam benedictionem. Cùm pro dilectis filiis ... Decano & Capitulo Carnotenſis Eccleſiæ ſententia ſuper conſuetudinibus & libertatibus ipſius Eccleſiæ de Burgenſibus Carnoti ad eorumdem Canonicorum ſervitium recipiendis & defēdendis à nobis legitimè lata fuerit, & antiquæ & rationabiles conſuetudines ejuſdem Eccleſiæ, ad quas obſervandas venerabilis frater noſter ... Carnotenſis Epiſcopus juramento tenetur approbata ipſius juramenti forma, à nobis fuerint plenius confirmatæ, & eiſdem ab Apoſtolica ſede benignè fuerit indultum, ut nulli liceat contra privilegia ipſius Eccleſiæ, niſi ſuper hoc ſpeciale habuerit Apoſtolicæ ſedis mandatum, aliqua temeritate venire, libera ipſis facultate conceſſa ſervos & ancillas ſuas, qui aut quæ contra eos occaſione communiæ vel cujuſcumque rebellionis venire præſumpſerint ad ſervitium proprium revocandi, ac compoſitione quæ inter ipſos Epiſcopum & Capitulum Eccleſiis Carnot. ſuper precariis de *Normannia*, de *Maſengeio*, de *Vngreio*, & de *Alverſio*, & ſuper præpoſituris de *Nongento*, de *Fontaneto*, de *Amilliaco*, & de *Belſia* amicabiliter intervenerat, & fuerat redacta in ſcriptis, auctoritatis Apoſtolicæ munimine confirmata & eiſdem indulta, ne ſub ſeculari judice niſi in cauſa poſſeſſionum quæ ſeculariter poſſidentur, vel cum reus exceptiones ſuas contra eos ſub eis coram quibus convenitur legitime voluerit comprobare, ipſi vel eorum aliquis reſpondere cogatur, ad inſtantiam dilecti filii noſtri

Digitized by Google

R. Carnotenſis Canonici, qui in promovendis negotiis Eccleſiæ ſuæ opportune & importune non deſtitit laborare, ne quæ à nobis ipſis indulta ſunt vel noſtrarum literarum munimine roborata temeritate cujuſlibet in irritum valeant revocari, per veſtræ diſcretionis ſtudium ipſi Eccleſiæ voluimus paterna ſollicitudine præcavere. Ideoque diſcretioni veſtræ per Apoſtolica ſcripta mandamus, quatenus quæ præmiſſa ſunt facientes auctoritate noſtra irrevocabiliter obſervari, contradictores, ſi qui forſitan apparuerint, niſi ad admonitionem veſtram à ſua nequitia duxerint deſiſtendum, Eccleſiaſtica diſtrictione appellatione poſtpoſita feriatis: & faciatis donec reſipuerint ab omnibus arctiùs evitari, nullis literis obſtantibus, harum tenore tacito, ſi quæ apparuerint à ſede Apoſtolica impetratæ. Datum Lateran. XIII. Kalend. Julii, Pontificatus noſtri anno quinto.

XIII.

SENTENTIA ARCHIEPISCOPI SENONENSIS CONTRA COMITISSAM BLESENSEM, A CÆLESTINO III. CONFIRMATA,

PRO TVENDIS IVRIBVS ET LIBERTATIBVS Eccleſiæ Carnotenſis.

Ex cod. Ms. Privileg. Eccleſiæ Carnotenſis.

C*Æleſtinus* Epiſcopus ſervus ſervorum Dei, dilectis filiis G. Decano & Capitulo Carnotenſi, ſalutem & Apoſtolicam benedictionem. Si litigantibus revocandi ea quæ judicio vel concordia ſtatuuntur audacia præberetur, fruſtrà imponeretur litibus finis, & judiciaria poteſtas eſſet pro nihilo reputanda. Verùm approbata priorum Patrum inſtitutio litigantium cupiens malitiam refrænare, conſtitutiones judicum auctoritate firmatas ad majorem cautelam & perpetuam firmitatem redigi recepit in ſcriptis, & Eccleſia Romana, quæ de mandato ipſius rectè fuerint definita, literis conſuevit Apoſtolicis confirmare. Sane cùm inter vos, & dilectam

filiam in Chriſto nobilem mulierem *Adeliciam* Comitiſſam Bleſenſem, ſuper libertatibus & conſuetudinibus Carnotenſis Eccleſiæ quæſtio verteretur; poſt arbitrium venerabilis fratris noſtri *Vvillelmi* Remenſis Archiepiſcopi, ſanctæ *Sabinæ* Cardinalis, Apoſtolicæ ſedis Legati, & *Adelæ* illuſtris Reginæ Francorum, inde perlata ea fuit venerabili fratri noſtro M. Archiepiſcopo, & dilecto filio M. Archidiacono Senonenſi ab Apoſtolica ſede commiſſa, qui cum partes legitimè citaviſſent, & intellexiſſent earum plenius rationes, pro vobis diffinitivam ſententiam promulgarunt. Ceterum cum eadem cauſa fuiſſet ad nos tranſmiſſis procuratoribus utriuſque partis cum literis de ratihabitione patentibus per appellationem delata, Nos ipſam cum emergenti ſuper quadam indulgentia quæſtione dilectis filiis noſtris *Hugoni* titulo ſancti *Martini* Preſbytero, & P. ſanctæ *Mariæ* in via lata Diaconis Cardinalibus, commiſimus audiendam. In quorum pręſentia utriuſque partis procuratoribus conſtitutis, Procurator Eccleſiæ veſtræ ſententiam prędictorum judicum inductis rationibus confirmari humiliter poſtulavit. Verùm cùm pars adverſa multipliciter allegaret dictam ſententiam non eſſe auctoritate Apoſtolica roborandam, poſtulans potius pro ipſa Comitiſſa quandam contra conſuetudines veſtras indulgentiam, quam veſter contendebat nuntius ſuis rationibus repellendam: memorati auditores factum cum allegationibus utriuſque partis ſuper utraque quæſtione quibuſdam fratribus noſtris de mandato noſtro ſcriptis mediantibus exhibentes, de ipſorum conſilio teſtes ex abundanti à parte veſtra ſuper quibuſdam articulis receperunt. Quæ cùm ad noſtram fratrumque noſtrorum communem diſcuſſionem omnia referrentur, diſcuſſis partium meritis, communi fratrum conſilio, indulgentiam ipſam quæ contra conſuetudines veſtras in gravamen Carnotenſis Eccleſiæ petebatur prorſus duximus irritandam. Attendentes etiam ipſius ſententiæ à præmiſſis judicibus auctoritate noſtra pro vobis latæ juſtitiam, eamdem ſententiam, ſicut in ipſorum judicum authentico continebatur, auctoritate pręſentium confirmamus, & præſentis ſcripti patrocinio communimus. Ad majorem autem cautelam, ipſum authenticum in noſtra lectum pręſentia, de verbo ad verbum duxi-

mus literis inſerendum, quod tale eſt.

Excellentiſſimo Patri & Domino ſuo *Cæleſtino* divina electione ſummo Pontifici, M. Senonenſis Eccleſiæ miniſter humillimus, & M. ejuſdem Eccleſiæ Archidiaconus, ſalutem & tam debitam quàm & devotam in omnibus obedientiam. Noverit ſanctitas veſtra, Reverendiſſime Pater, quòd cùm controverſia inter dilectos filios Capitulum Carnotenſe, & *Adelam* nobilem Comitiſſam Bleſenſem verteretur ſuper libertatibus & conſuetudinibus Carnotenſis Eccleſiæ de ſervientibus recipiendis & tuendis, & ſuper quibuſdam eorumdem Canonicorum ſervientibus ad eorum ſervitium domeſticum juxta eaſdem conſuetudines ſub Eccleſiæ tuitione receptis, necnon & ſuper compromiſſione à partibus facta in excellentem Dominam noſtram *Adelam* Francorum Reginam & venerabilem Patrem *Vvillermum* Remenſem Archiepiſcopum, ad nos emanavit mandatum noſtrum ſub hac forma:

Cæleſtinus Epiſcopus ſervus ſervorum Dei, venerabili fratri M. Archiepiſcopo & dilecto filio M. Archidiacono Senonenſi, ſalutem & Apoſtololicam benedictionem. Sicut *Henricus* Archidiaconus, *Raginaldus* de *Maſengeio* Præpoſitus, *Simon* de *Berou*, *Radulfus* de *Bellovidere*, & *Germundus* de *Leveſvilla*, & Capitulum Carnotenſe tranſmiſſa nobis inſinuatione monſtrarunt, cum juxta conſuetam Carnotenſis Eccleſiæ libertatem *Gilebertum*, *Laurentium*, *Vvillelmum*, *Robertum* & *Andream* Laicos Carnot. ſub cura ejuſdem Eccleſiæ pariterque protectione receptos ad ſervitium ſuum domeſticum evocaſſent, Comitiſſa Carnotenſis ſine defectu juſtitiæ, cum fautoribus ſuis qui ſunt de veſtra provincia unum de ſervientibus ſupradictis ſcilicet *Gilebertum* per violentiam cepit: & tam ipſum quàm alios de bonis & rebus omnibus ſine juris ordine ſpoliavit. Cùm autem poſt multa gravamina ſuper hoc Clericis memoratis illata fuiſſent, ex utraque parte in arbitros compromiſſum, nulla tamen ex parte Clericorum interpoſita cautione, iidem arbitri partibus in ſua præſentia conſtitutis plenum dare arbitrium noluerunt: aſſerentes ſe non debere ſuper earum conſuetudinibus vel libertatibus arbitrari, nec eſſe ad hoc ex forma compromiſſionis aſtrictos. Iſtud tamen pro ſua voluntate dixerunt, ut

præfati ſervientes uſque ad inſtans feſtum *Nativitatis* beati *Joannis* nec amplius ſine ipſorum licentia in eorumdem Clericorum ſervitio & protectione Eccleſiæ liberius permanerent, integra ſubſtratorum reſtitutione gaudentes. Quia igitur Clerici ſæpedicti ad conſuetudinum ac libertatum Eccleſiæ ſuæ obſervantias ſe faterentur juramento teneri, & idcirco earum non poſſe pati tuta conſcientia læſionem; petierunt ſibi in caſu iſto per commiſſionis noſtræ literas provideri. Ideoque diſcretioni veſtræ per Apoſtolica ſcripta mandamus, quatenus arbitros memoratos monere attentius, & inducere ſtudeatis, ut inter partes præmiſſas perfectæ concordiæ viam ſtudeant invenire. Quod & ſi arbitri memorati facere forte noluerint, vel eas ſuper quæſtione jam dicta, ſecundum quod rationi conſentaneum fuerit expedire, vos auctoritate noſtra partes ad veſtram præſentiam convocetis: & iis, quæ fuerint hinc inde propoſita, diligenter auditis & cognitis, cauſam ſuper his appellatione remota mediante juſtitia terminetis; non permiſſuri Clericos memoratos, dum coram arbitris vel ſub examine veſtro juſtitiæ parere voluerint, præmiſſorum ſervientium privari poſſeſſione, & indebite vel contra libertates ſeu conſuetudines approbatas Eccleſiæ ſuæ aliquid temere attentari, nullis literis veritatis juſtitiæ præjudicantibus, ſi quæ apparuerint à ſede Apoſtolica impetratæ. Datum Romæ apud ſanctum *Petrum* VIII. Idus Junii, Pontificatus noſtri anno quarto.

Nos igitur juxta tenorem reſcripti veſtri, Pater ſanctiſſime, partes ad noſtram præſentiam convocavimus, auditiſque allegationibus, & atteſtationibus hinc inde productis & diligenter diſcuſſis, tandem prudentum virorum & juriſperitorum freti conſilio, negotium ipſum ad ſententiam diffinitivam in hunc modum produximus: ſiquidem compromiſſum factum in Dominam Reginam & Dominum Remenſem, & arbitrium ab eiſdem prolatum, prorſus irritum duximus & caſſum; tum quia in arbirio nulla fuerat pœna conſtituta, tum quòd nobis liquido conſtitit arbitrium contra formam compromiſſi fuiſſe promulgatum. Libertates & conſuetudines de legitimorum virorum teſtimonio comprobatas, & infrà ſubnotatas adjudicavimus Eccleſiæ Carnotenſi: decernentes,

ut Canonicis ejuſdem Eccleſiæ libere liceat, Burgenſes Carnot. qui ad eorum domeſticum ſervitium tranſierint, præter ſervos principis Carnotenſis recipere, ac tueri, eadem libertate & immunitate cum ipſis Canonicis gaudentes unà cum rebus & familiis ſuis, relicta tamen omni negotiatione & uſura; hoc excepto, quòd in tempore meſſis annonas, & in tempore vindemiarum vinum pro voluntate ſua emere poſſunt & vendere, ſicut & Canonici, & de velleribus ovium ſuarum pannos facere, & eos ſine conſuetudine Laicali vendere; ad quorum perfectionem ſi quid defuerit, & aliunde fuerit comparatum, eis ſine ſolutione thelonei id facere licebit. De omnibus nutrituris ſuis & earum proventibus facere poſſunt ſub eadem libertate. Majeſtatis igitur veſtræ genibus provoluti devotius ſupplicamus, ut noſtræ definitioni auctoritate veſtra promulgata robur Apoſtolicæ confirmationis apponentes, eam obſervari inviolabiliter faciatis.

Nulli ergo omnino hominum liceat hanc noſtræ paginam confirmationis infringere, vel ei auſu temerario contraïre. Si quis autem hoc attentare præſumpſerit, indignationem omnipotentis Dei, & beatorum Petri & Pauli Apoſtolorum ejus, ſe noverit incurſurum. Datum Lateran. IIII. Non . . . . Pontificatus noſtri anno quinto.

II.

REGUM DIPLOMATA, PRÆCEPTA, SEU SENTENTIÆ PRO OPTIMA ECCLESIARUM DISCIPLINA, ADVERSUS QUOSLIBET STATUTORUM ECCLESIASTICORUM VIOLATORES.

I.

PRÆCEPTUM SEU SENTENTIA LUDOVICI PII.

DE REFORMATIONE MONACHORUM Eccleſiæ S. Dionyſii in ſynodo facta.

Deeſt libro, qui inſcribitur: Antiquitez & recherches de l'Abbaye de S. Denys.

Ex Chartulario S. Dionyſii.

IN nomine Domini Dei & ſalvatoris noſtri Jeſu Chriſti. *Hludovicus* divina ordinante providentia Imperator Au-

CCcc

guſtus, divinis præceptis & Apoſtolicis monitis incitamur; ſed & Imperatorii regiminis officio commonemur, ut pro Eccleſiæ ſtatu atque ſanctæ Religionis augmento impigro ſemper vigilemus affectu, ac pernecesſario ſeu fructuoſo ſtudioſoque laboremus effectu: & ſi quid uſquam reprehenſioni invenitur obnoxium, Regiæ auctoritatis ſollicitudine corrigeremus, quatinus avia revocantes, ſuperflua amputantes, collapſa quoque reparemus, atque reparata, & ab Eccleſiaſticis viris Apoſtolorumque Domini ſucceſſoribus ſpiritu ſancto regente bene ſtatuta, edictis Imperialibus confirmemus. Dignum profecto eſt, ut quod ſacerdotalis dignitas divino illuminata ſpiritu, corpori Chriſti quod eſt Eccleſia ejuſdem Dei ac Domini & Saluatoris noſtri redempta ſanguine, adinvenit in ſalute, vel reformata ſtatuit in religionis augmento, id Imperialis Majeſtas inviolabiliter permanſurum in perpetuum poteſtatis ſuæ ſtudeat roborare præcepto: quoniam quidquid in hujuſcemodi negotiis laboratum ſeu pio cultui à nobis fuerit dedicatum, hoc proculdubio noſtræ manſuetudinis regno & populo regendo credimus ſpecialius profuturum. Idcirco notum eſſe omnibus fidelibus volumus præſentibus ſcilicet & futuris; quia poſtquam Deo auſpice imperium paternum ſuſcepimus, ſtudium nobis maxime ſemper fuit, ut Domini eccleſiæ magnificentia humilitati noſtræ divinitus regenda tuendaque commiſſa felicibus polleret ſucceſſibus, eam quantum noſtræ attinet Auguſtæ devotioni, inceſſanter ad meliora provehere, & ab illa quidquid noxium erat eradicare, atque in ea incrementa virtutum plantare. Quapropter ſæpiſſime ſacerdotes Domini, quorum id officii eſſe noveramus, admonere curavimus, ac noſtram principalem auctoritatem adjutricem, ad eorum miniſterium juxta voluntatem Dei exequendum promptè exhibuimus: ut quidquid in ordinibus eccleſiaſticis, vel in quacunque perſona emendatione dignum invenirent, paſtorali auctoritate, poſtpoſita qualibet corporis negligentia vel perſonarum acceptione, incunctanter corrigerent, & ad ſtatum rectitudinis perducere decertarent. Verùm cùm ipſi noſtra ſedula exhortatione admoniti, ſuaque ſollerti vigilantia de ſtatu & profectu eccleſiæ, & ſacris ordinibus, & iis quæ emendatione digna videbantur, conventu apud Pariſius juſſione noſtra habito, ſtra-

Digitized by Google

nua & devota perſpicacitate tractarent : inter cætera viſum eſt illis, ut Monaſterium præclariſſimum & eximii Chriſti Martyris B. *Dionyſii* ſociorumque ejus, quod conſtat tantorum Martyrum nomine Deo dedicatum & à Regibus Francorum progenitoribuſque gloriæ noſtræ ampliſſimis rebus ditatum, quo in eo Monaſticus ordo religioſe Deo deſerviret, magna emendatione & correctione opus haberet ; quoniam ab eo idem ordo ad multorum diſcrimen, nulla neceſſitate prępediente, nullius rei inopia obſiſtente, penitus erat avulſus. Quam cauſam tam per ſe, quamque & per venerabilem prudentemque virum *Hilduinum* memorati Monaſterii Religioſum Abbatem, noſtræ ſerenitatis auribus intimaverunt, uti noſtra piiſſima imperiali poteſtate corrigeretur. Unde dignitas Imperii noſtri tantorum virorum ſaluberrima ammonitione, ejuſdem Abbatis *Hilduini* preces humillimas more tranquillitatis noſtræ ſolito, gratanter benigneque ſuſcepit, atque in omnibus emendabile judicavit : Et ne tanti ordinis collapſio ſalutis noſtræ quoquomodo fieret damnatio, ad eoſdem præſules Eccleſiarum idem cenſuimus referre negotium, ut noſtri principatus auctoritate, eorumque judicio, quibus tanta eſt collata poteſtas, à Domino, idem ordo in eodem loco abſque retractatione reſtitueretur. Cùm veniſſet ergo *Aldricus* Metropolita *Senonicus* cum ſuffraganeis ſuis, necnon & Ebo Metropolita Dorocortorum cum ſuis ſuffraganeis ad memoratum Monaſterium; habito Conventu, primum quod idem Monaſterium ordini Monaſtico conſtructum, dedicatum, & rebus ditatum fuit, & in eo ipſe ordo uſque ad tempus quo ſceptra Imperialia ſuperna largiente gratia clementia noſtra ſuſceperit, & ſupra memorati *Hilduini* Abbatis pręlationem ibidem utcumque viguerit, manifeſtis judiciis, Regumque antiquis & modernis præceptis, & Epiſcopòrum privilegiis, ac fidelium donationibus palam cunctis eſt factum. Deinde diligentem inquiſitionem fecerunt ſuper his, qui in eodem loco regularem promiſſionem fecerant. Ex quibus quidam, qui eandem profeſſionem fecerant, deſertores ejuſdem propoſiti effecti rebus humanis jam erant exempti, quorum perditio non ſine magno animi ferri poteſt mœrore. Quidam etiam non eandem profeſſionem ſe feciſſe mentiti ſunt, ſed teſtibus patenter convicti pro ſua contumacia Canonicæ pœnitentiæ ſunt ſubacti.

Quidam verò, imo maxima pars eorum qui hactenus in apoſtaſiam prolapſi fuerant, coram venientes ſoloque ſe proſternentes, confeſſi ſunt eandem profeſſionem in eodem loco regulariter promiſiſſe: ſuique miſereri, & à Domino veniam pro tanto admiſſo dari, humiliter flagitavere. Qua confeſſione facta, cucullis ſui propoſiti, coram cœtu Epiſcoporum & cæterorum ſacerdotum cunctique ſequentis ordinis Cleri, nobiliumque virorum non modica circum aſſiſtente turba, ſe induerunt; atque in commune, ne aliquando, ſicuti ſibi aliiſque jam in eodem loco contigerat, ab ſanctæ profeſſionis propoſito diabolico propulſarentur inſtinctu, regularem promiſſionem iteraverunt. Pars denique quædam eorum, illi ſcilicet qui divinæ inſpirationis munere acti, & amore devincti, in ſanctæ religionis propoſito & habitu adprime abſque ulla refragatione vel interpolatione elegerunt viriliter permanere, & in cella ejuſdem majoris Monaſterii, poſtquam cæteri monaſticam vitam & habitum deſeruerunt, uſque ad hanc noſtræ demandationis habitam ſynodum degere, ante jam memoratos venerabiles patres venerunt, locumque priſtinum, in quo promiſſionem fecerant, & regulariter licet minus perfecte vixerant, ſibi & ſe petierunt loco reſtitui. Quorum ſemotio ob id acciderat, quoniam, ut prædiximus, mox ut divina dignatio nos paterna ſede ſuſcepta Imperialibus ſceptris inniti voluit, piæ intentionis noſtræ ſollicitudo exequi procuravit, ut Religio, decor, & omnis honeſtas à Domino & genitore noſtro diurnæ memoriæ *Karolo* cæpta & inſtituta, liquido & veraciter, remota omni ſimilatione, in propriis quibuſque maneret & vigeret ordinibus. Unde ad monaſticæ inſtitutionis normam corrigendam, duos Religioſos & venerabilis vitæ viros *Benedictum* & *Arnulfum* Abbates conſtituimus, qui per noſtrum à Deo gubernandum & conſervandum Imperium ſeduli huic negotio ſtudioſe inſiſterent. Iidem verò boni & devoti, ſed ſimpliciſſimi patres ſupradictorum fratrum calliditate & duritia, ſuaque ſimplicitate abducti, non ſtudio, ſed minus ſubtili & neceſſaria inveſtigatione ſeu providentia, fallentes eos qui in ſoliditate ſuæ profeſſæ ſalvationis perduraverunt, à Monaſterio removerunt, atque in memorata Cella collocaverunt; & illos qui propriæ voluntatis

libitus non virtute, ſed verſutia quęſierunt, ac collo de ſubjugo regulæ excuſſo, loco diſligatioris vitæ ſoluti ampliori itinere celeſtem patriam petere ſunt conati, in domicilia reverendi habitus & vitæ Monaſticæ reliquerunt. Sed laudabilius hi Patres Eccleſiæ, auctoritate ſua dignæ petitioni fratrum, quos in ſuæ religionis virtute diximus permanſiſſe, quia ſic noſtri aſſenſus juſſio fuerat, annuentes, rationabiliter & Canonice ſatisfecerunt: & ob ſuggeſtionis notitiam, ut noſtræ panderetur celſitudini, qualiter vel quo ordine tam devotiſſimum factum ab eiſdem Religioſiſſimis viris ſit celebratum, duas ſuper hoc jure pari tenore conſcriptiones fecerunt, eaſque manibus firmaverunt propriis, ut altera earum in Archivo ipſius Monaſterii ob memoriam & ſtabilitatem inibi hujus ordinis per futura tempora ſervaretur: alteram noſtræ magnitudini direxerunt, ut illam palatinis ſcriniis juberemus recondi: ob monumentum videlicet & iſtius rite facti perpetuam firmitatem. Sed cum idem ordo Deo annuente, quantùm divinitus videri dabatur, in eodem loco feliciter incideret, antiquus ſalutis humanæ inimicus quoſdam ex ipſis fratribus ſua organa efficiens, adeo inſidiarum ſuarum furiis exagitavit, ut conſpiratione & conjuratione facta & propoſitum Monaſticum abnegarent, & ſine licentia ſui Abbatis eorum Legati dignitatis noſtræ dominationem adirent, & moleſtiam ſuper hac ratione contra canonicam & propoſiti ſui inſtitutionem ſerenitatis noſtræ auribus inferre pręſumerent; offerentes nobis tomum in accuſationem & blaſphemiam Epiſcoporum, qui eos de apoſtaſia in qua verſabantur paterna ſollicitudine noſtra auctoritate correxerant, & ad propoſitum quod abdicaverant redire ſuaſerant: addentes etiam in eadem ſchedula alia quæ digna non ſunt Imperialibus noſtris ſcriptis interſeri. Porro noſtra ſollertia, auditis eorum querimoniis, ſupra memorato venerabili viro *Hilduino* noſtra juſſit clementia, ut eoſdem Epiſcopos contra quos querebantur, nec non & alios ab accuſatione immunes juſſione noſtra ad ipſum venire mandaret Monaſterium. Et quia ad noſtram notitiam ipſi fratres ſuos miſêre clamores, unde nihil ambiguum, & ſine juſtæ diffinitionis decreto fas eſt abſcedere; complurium Epiſcoporum diligenti examine rem reventilari & Canonice diffiniri, & ſopiri

prçcepimus, non quaſi de prçfata memoratorum Patrum ſententia, quæ excellentiæ noſtræ bene per omnia manebat cognita, vel in aliquo hçſitanter: ſed ut major Domino Deo noſtro de percalcato hoſte, qui jam dictos excitaverat fratres, triumphus fieret, & in eodem loco firmiori, quia iterata ſtipulatione idem ordo confirmaretur. Et quoniam ſuper Paſtores Eccleſiæ dignitati noſtrç Imperiali quçcumque ingerebatur accuſatio, non ſine certo & rationabili obliteraretur judicio: qui ad condictum tempus & diem ad ſupradictum venere Monaſterium, & ipſis accuſatoribus, cum ſcripto, quod clementiæ noſtræ obtulerunt, coram exhibitis, cuncta quæ in eorum accuſatione dixerant vel ſcripſerant falſa eſſe, veris aſſertionibus, idoneiſque prolatis teſtibus probaverunt, ſicut ex ordine inſcripto manifeſtatur; quod ex hac cauſa à ſecunda conſtitutionis noſtræ Synodo Archivo noſtri Palatii cum chartulis quæ nomina teſtium continent, qui utriſque conventibus interfuerunt directi, ob geſtorum memoriam conſervatur. Unde aliud etiam ab ipſius Monaſterii ſcriniis retinetur. Ipſi de cetero fratres, reſpectu divino proceſſu temporis corda illorum tangente, propoſiti ſui ſtrenui, & prçteritarum negligentiarum pœnitentiæ devoti executores effecti, conſenſu ſalubri atque prudenti tres chartulas conſcripſerunt: ut una earum ad caput glorioſiſſimorum Chriſti Martyrum fieret, altera dominationis noſtræ cuſtodia ſervari demandaretur, tertiam verò ipſius Monaſterii Abbas haberet. In quibus ſe à beato Patre *Benedicto* Spiritu ſancto docente, deſcriptam regulam ſunt ſervare velle profeſſi: & unuſquiſque eorum nomen proprium cum gradu & Monachi appellatione eiſdem chartis ſubterfirmavit, quarum unam benignitatis noſtræ prçſentiæ exhibuerunt, humiliter poſtulantes, ſicut & ſçpe memorati venerabiles Patres, à quibus ſynodales diffinitiones celebratæ ſunt, auctoritatem noſtram ſedulo petierunt, quatenus hoc quod tam ſubtili & diligenti inveſtigatione inventum, & juſta ratione diffinitum, ſeu ſalubri reſtitutione reparatum atque Canonica auctoritate ſtatutum eſſe dinoſcitur, amplitudinis noſtræ privilegio ſcriptis Imperialibus confirmaremus; ut quod Canonica docet auctoritas, & vota Regum cunctorumque fidelium, qui ipſum locum

Digitized by Google

propter Monaſticum ordinem ibi ſervandum rebus ſuis ditaverunt, demonſtrant, cùm nequaquam ab eo ſine periculo & Regis, & Regni poſſit avelli, noſtra imperialis poteſtas confirmatione provideat; ne ex eodem loco modernis futuriſque temporibus idem ordo deſtituatur, ſed potius *Chriſto* Domino largiente, ad cumulum mercedis noſtræ, conjugis quoque & prolis, eorumque ſalutem, quorum poſt tantum lapſum reparatio facta eſt, necnon & eorum per quos Deo annuente noſtra auctoritate eadem reparatio celebrata eſt, ſimul & illorum informationem, qui poſt ad Monaſticum ordinem Domino inſpirante ad eundem confluxerunt locum, remota omni ſimulatione, ſemper in eodem Monaſterio regularis ordo permaneat; floreat, & felicibus ſucceſſibus Deo opem ferente polleat. Et ut hęc authoritas, quam ob Dei amorem, & animæ noſtræ, conjugis, & prolis, ut prędiximus, ſalutem, atque imperii noſtri ſtatum conſtituimus, firmiorem obtineat vigorem, & deinceps inconvulſa valeat perdurare: duas inde pari tenore conſcriptas firmationes fieri juſſimus, ut una Imperialis aulæ reconditorio, palatinis ſalvetur excubiis; altera ab ipſius Monaſterii cuſtodibus in perpetuum diligenti cura debeat provideri: eaſque manus noſtræ ſubſcriptione ſubterfirmavimus, & annulo noſtro ſigillari juſſimus.

Signum LUDOVICI Sereniſſimi Imperatoris.

Hyrminmarus Notarius ad vicem Theodonis recognovit.

Data VII. Kal. Septembris, anno, Chriſto propitio, XIX. Imperii Domini *Ludovici* Sereniſſimi Imperatoris, indictione X. Actum Monaſterio ſancti Dionyſii in Dei nomine feliciter. Amen.

Digitized by Google

II.

DE PRÆCEPTO SEU SENTENTIA LUDOVICI BOSONIS FILII.

PRO CONFIRMATIONE LEGITIMÆ & in ſynodo factæ S. Apollinari *reſtitutionis* Villæ Novæ, *quæ contemtis omnibus Eccleſiarum ſtatutis ac juribus ablata fuerat.*

Hic titulus ſic legitur in Chartul.

HÆC EST CHARTA IN QUA FUIT LAUDATOR ALEXANDER VIENNENSIS ARCHIEPISCOPUS ET ISAAC GRATIONOPOLITANUS EPISCOPUS.

Ex Chartulario Eccleſiæ Gratianopolitanæ.

DUm reſideret Dominus & glorioſiſſimus *Ludovicus* Imperator Auguſtus apud Viennam in palatio beati *Andreæ* Apoſtoli: veniens vir Venerabilis *Remegarius* ſanctæ Valentinenſis eccleſiæ præſul, ante eum in præſentia procerum ſuorum proclamans, ſe quòd villam novam, quam ſui prædeceſſores, Reges à tempore *Caroli Magni* Deo ſanctoque Apollinari egregio confeſſori atque Pontifici conceſſerunt, noviſſime autem genitor ejus glorioſiſſimus Rex *Boſo*, atque genitrix ejus glorioſiſſima *Hermengardis* unà cum jam dicto Domno noſtro glorioſiſſimo Imperatore ipſi ſancti Apollinari eximio confeſſori Chriſti per præceptum Regale obtulerunt, *Hugo* inclytus Dux & Marchio jam dictam villam novam malo ordine tenebat, atque injuſte eam Deo ſanctoque Apollinari abſtrahebat. Audiens autem prænominatus Dux & Marchio proclamationem ipſius Pontificis, tactus pietate, per juſſionem Domini noſtri Imperatoris, ac per concilium Epiſcoporum, & per judicium Comitum nobilium, ac cęterorum fidelium ſuorum, per vadium ſuum ipſam terram Deo ſanctoque *Apollinari* reddit: promittens nunquam ſe intermiſſurum de ea. Quod audiens Domnus Imperator, ipſam terram per fuſtem quem manu tenebat prædicto epiſco-

Digitized by Google

po reddidit: pręcipiens, uti ejus facta, atque prędeceſſorum ſuorum Regum & Imperatorum præcepta omni tempore in Dei nomine inconvulſa permanerent. Ut autem à cunctis credatur, & à nemine unquam prædicta villa infeſtetur: hanc ſcripturamglorioſiſſimus Imperator fieri juſſit, & manu propria firmavit, & fidelibus ſuis roborari juſſit, & de annulo ſuo inſigniri pręcepit.

Signum ISAAC humilis Gratianopolitanæ eccleſiæ epiſcopi, qui huic notitiæ interfuit.

Sign. THEODULPHI ſanctę Ebredunenſis eccleſiæ conſecrati, qui firmavit.

Sign. HUGONIS inclyti Ducis & Marchionis.

Sign. BOSONIS Comitis.

Sign. ADALELMI Comitis.

Sign. BOSONIS filii ejus.

Sign. GOSELMI.

Teudo Notarius hanc ſcripturam fecit jubente Alexandro Viennenſi Archiepiſcopo, anno Incarnationis Dominicæ VIII C. XII. Indictione XV. anno XI. Regnante Domno noſtro *Ludovico* Imperatore. Actum Viennæ feliciter in Dei nomine.

III.

PRÆCEPTUM LUDOVICI VI. COGNOMENTO CRASSI.

DE AUCTORITATE SENTENTIÆ excommunicationis proferendæ in eos, qui ſervorum Eccleſiaſticorum teſtimonium adverſus homines liberos auctoritate Regiâ conceſſum nolunt admittere.

Ex Paſtorali minore Eccleſiæ B. Mariæ Pariſienſis.

L*udovicus* Dei gratia Francorum Rex, omnibus Chriſti fidelibus. Cùm juſta ſacratiſſimarum legum inſtituta, Regia poteſtas ex injuncto ſibi officio, & eccleſiarum defenſioni, & honori plurimum vacare debeat: operæ pretium eſt eos, quibus tanta permiſſa eſt à Deo poteſtas, earum

tranquillitati & paci attentiori ſollicitudinis cura providere; & ad laudem Dei omnipotentis, per quem Reges regnant, & eccleſias & earum res quodam honoris privilegio decorare; ut in bonis actibus Regium morem exerceant, & ſupernæ retributionis præmium indubitanter recipiant. Noverint igitur omnes, quia ſanctæ Pariſienſis Eccleſiæ Conventus, noſtræ ſerenitatis præſentiam adierit, conquerendo oſtendens, & oſtendendo conquerens; quatinus ſervi præfatæ eccleſiæ ſecularibus perſonis tanto contemptui habebantur, quòd in forenſibus & civilibus cauſis, vel placitis, adverſus liberos homines in teſtimonium nullatenus recipiebantur: & eccleſiaſtica mancipia ſecularibus ſervis ferè in nullo præferebantur. Unde res eccleſiaſtica ob tanti ſcilicet dedecoris opprobrium non ſolummodo vileſcebat; ſed maximum diminutionis incommodum de die in diem incurrebat. Cognita verò Eccleſiæ querela, motus tam ratione quàm dilectione, neceſſarium duxi à Pariſienſi Eccleſia nobis quidem inter alias familiariſſima tantum ſcandalum omnino removere. *Ego* igitur *Ludovicus* Dei clementia Francorum Rex communi quidem epiſcoporum & procerum noſtrorum conſilio & aſſenſu, Regiæ auctoritatis decreto, inſtituo & decerno, ut ſervi ſanctæ Pariſienſis Eccleſiæ, illi ſcilicet qui ad Canonicos pertinent, adverſus omnes homines tam liberos quàm ſervos in omnibus cauſis, placitis, & negotiis liberam & perfectam habeant teſtificandi & bellandi licentiam: & nemo unquam ſervitutis occaſionem eis opponens, in eorum teſtimonio ullam dare præſumat calumniam. Hac autem ratione licentiam teſtificandi ea quæ viderint & audierint, eis concedimus. Quòd ſi aliquis liber homo in eadem cauſa de falſo teſtimonio illos contradicere & comprobare voluerit, aut ſuam comprobationem duello perficiat, aut eorum ſacramentum ſine ulla alia contradictione recipiens illorum teſtimonio acquieſcat. Quòd ſi aliquis temeraria præſumptione illorum teſtimonium in aliquo refutaverit, aut calumniaverit, non ſolùm Regiæ auctoritatis & publicæ inſtitutionis reus exiſtat; ſed querelam negotii ſui vel placiti irrecuperabiliter amittat: ita ſcilicet, ut præſumptuoſus calumniator de querela ſua, ſi queratur, ulterius non audiatur: ſi aliquis ab eo queratur,

Digitized by Google

alterius querelæ reus & convictus omnino habeatur. Aliud etiam ſtatuimus, ut prædictus calumniator, niſi de tanta calumniæ culpa Pariſienſi æccleſiæ ſatisfecerit, excommunicationis mucrone feriatur, & ad teſtimonium faciendum interea non admittatur. Ut autem hęc noſtra inſtitutio perpetuæ firmitatis privilegio muniatur, pręſentem chartam fieri pręcepimus, quæ noſtræ auctoritatis effectum poſterorum memoriæ tradat, & totius retractationis occaſionem in perpetuum excludat. Ad hęc etiam in teſtimonium veritatis, nomina Epiſcoporum, Comitum, & procerum noſtrorum, qui huic chartæ aſſenſum prębuerunt, inſcribi juſtum decrevimus: ad extremum, ſigillo noſtræ imaginis ipſam chartam ſignavimus, & charactere noſtri nominis corroboravimus, aſtantibus de palatio noſtro, qui nomina ſua ſubſcripſerunt.

Signum ANSELLI DE GARBODA tunc temporis Dapiferi.

Sign. HUGONIS cognomine SERABONIS tunc temporis Conſtabulari noſtri.

Sign. GUIDONIS filii GUIDONIS DE TURNE tunc temporis Buticulari noſtri.

Sign. GUIDONIS Camerarii noſtri.

Sign. GALONIS Pariſienſis Epiſcopi.

Sign. IVONIS Carnotenſis Epiſcopi.

Sign. JOANNIS Aurelianenſis Epiſcopi.

Sign. MANASSIS Meldenſis Epiſcopi.

Sign. ODONIS Comitis de Corboilo.

Sign. MATHÆI Comitis de Bellomet.

Sign. LUDOVICI Regis.

Actum publicè Pariſius Regio palatio, anno ab Incarnatione Domini M. C. VIII. Ind. I. anno Regni noſtri I.

STEPHANUS Cancellarius relegendo ſubſcripſit.

IV.

PRÆCEPTUM LUDOVICI VI. COGNOMENTO CRASSI,

VT TRANSGRESSOR REGALIS DECRETI DE teſtimonio ſervorum Eccleſiaſticorum recipiendo excommunicationi ſubjaceat.

Ex Chartulario ſancti Martini de Campis.

Sic incipit magna charta Eccleſiæ S. Martini.

QUia prœordinante Spiritu ſancto per Iſaiam de Eccleſia dicitur, quòd *mamilla Regum lactabitur, & Reges erunt nutritii ejus:* Regalis ſerenitatis pietatẽ decet pro tranquillitate & pace Eccleſiæ Regni jura temperare, plebis ſcita relaxare, temperare, & confracta ſolidare: ut Eccleſiæ filii à malignantium infeſtatione aliquatenus relevati, Dei ſervitio attentius vacare habeant: & Catholicum Regem, ad regni gubernationem, orationum aſſiduitate, propenſius adjuvare valeant. *Multum enim valet*, ut habet Jacobi epiſtola, *deprecatio juſti aſſidua*; orante nempe juſto Moyſe, Iſrahel ſuperabat Regem Amalec. Rex autem gladio accingitur ſecundùm Apoſtolum Petrum ad vindictam malefactorum, laudem verò bonorum: ut per collatam ſibi divinitus potentiam, obmuteſcere faciat imprudentium hominum ignorantiam, conſtitutus in regno, juxta Hieremiam, ut evellat & deſtruat, & diſperdat, & diſſipet, & ædificet, & plantet. Hac igitur ratione, ſpe, & devotione, *Ego* Dei gratia Francorum Rex *Ludovicus*, Eccleſiæ ſancti *Martini* quæ dicitur de *Campis*, de ſervorum ſuorum contumelioſa & damnoſa in teſtimoniis abjectione adverſus liberos ſupplicanti, lacrymanti, & inſtanter rogitanti, tandem miſericorditer auſcultavimus: Pontificum noſtrorum conſilio, Comitum quoque & procerum aſſenſu, hac prærogativa noſtræ majeſtatis indifferenter omnes hujus præfatæ Eccleſiæ ſervos benigniter honeſtavimus; quatinus in omnibus cauſis, placitis, & querelis contra univerſas ingenuæ poteſtatis perſonas, veritatis teſtimonium, Regali inſtituto, amodo uſque in ſempiternum, ut teſtes legitimi proferant & proferendo

Cetera deſunt privileg. Martinianis.

aſſerant, ſalvo & integro jure & timore, cujus ſunt Eccleſiæ: ac deinceps damnum vel repulſam ſe in hujuſmodi negotiis pertuliſſe nullatenus doleant & erubeſcant. Horum itaque probationes aut liberi ſuſcipiant, aut contradicendo falſificent. Regalis igitur decreti tranſgreſſor cauſam de qua agit in perpetuum amittat, excommunicationi ſubjaceat, & ejus calumnia irrita fiat. Interim etiam neque in teſtimonium recipiatur, nec pacis oſculo à fidelibus oſculetur. Dignum eſt enim ſupra cæteros ſervos exaltare, qui illi ſerviunt, cui ſervire regnare eſt. Ut autem hujus inſtituti traditio per ſuccedentia tempora inconvulſum vigorem obtineat, litterarum memoriæ commendari, immo noſtri nominis charactere & ſigillo ſignari & corroborari præcepimus, præſentibus de palatio noſtro, quorum nomina ſubtitulata ſunt & ſigna.

Signum ANSELLI Dapiferi.
Sig. VVILLELMI Guallandenſis.
Sig. VVIDONIS de Turre.
Sig. FLOGERII de Cantaraune.
Sig. HERLVINI Magiſtri Regis.
Sig. BARTHOLOMÆI de Fulcois.
Sig. RAINALDI Rufi.
Sig. BERNARDI nepotis ejus.
Sig. STEPHANI Cancellarii.
Sig. ERCHENBALDI.

Actum Pariſius anno Incarnationis verbi M. C. X. Indictione 3ª. pridie Nonas Februarii, anno unctionis noſtræ XI.

Stephanus Cancellarius relegendo ſubſcripſit.

V.

PRÆCEPTUM LUDOVICI VII. COGNOMINE JUNIORIS.

QVO CONFIRMATVR SENTENTIA ab Epiſcopo Pariſienſi prolata, contra eos qui libertatem domus Epiſcopi defuncti infringunt.

Ex Paſtorali Minore B. Mariæ Pariſienſis.

IN nomine Dei, & Trinitatis. *Ludovicus* Dei gratia Rex Francorum, & Dux Aquitanorum. Scimus, quia ex auctoritate veteris Teſtamenti noſtris temporibus, & Eccleſiaſtica inſtitutione, ſoli Reges & ſacerdotes ſacri chriſmatis unctione conſecrantur. Decet autem, ut qui ſoli præ cæteris omnibus ſacroſancta chriſmatis unctione conſociati ad regendum Dei Populum præficiuntur, ſibi ipſis & ſubditis ſuis tam temporalia quàm ſpiritualia ſubminiſtrando provideant, & providendo invicem ſubminiſtrent. Notum ergo facimus, quia nos, quibus ex antiquo prædeceſſorum noſtrorum tenore, quaſi jure fiſci, omnia quæ mortuo Pariſienſi Epiſcopo in domibus ejus inveniebantur, aſportare licebat, volentes Eccleſiæ Dei & Epiſcopis Dei ſervitio mancipatis debitam reverentiam exhibere, & eos donis majoribus ampliare, honeſtas conſuetudines reformare; moti precibus & ſupplicatione cariſſimi noſtri *Theobaldi* Pariſienſis Epiſcopi viri Religioſi, quidquid ſupellectilis de materia lignea, vel ferrea, deinceps inventum fuerit in domibus epiſcoporum Pariſienſium poſt mortem ipſorum, in quibuſcunque locis & villis domus illæ ſitæ ſunt, intactum & integrum ſuccedentibus Epiſcopis in perpetuum poſſidendum libere & quiete manu mittimus, & confirmamus aſſenſu & conſilio domnæ *Alienordis* Reginæ collateralis noſtræ. Omnia autem quæ manumiſimus, ſub cuſtodia Capituli B. *Mariæ* ad uſum Epiſcopi ſubſtituendi conſervabuntur. Hoc ſiquidem donum ſuper altare B. *Mariæ*, pro delictis noſtris & patris noſtri ſupplices offerentes, ne aliquis

ſuccedentium Regum, quod abſit, infringat, ſigilli & characteris noſtri auctoritatem apponimus. Et quia publicè & celebriter actum eſt in Eccleſia Pariſienſi, & in ipſis domibus Epiſcopalibus, literis annotari: excommunicationis ſententiam ab ipſo Epiſcopo & univerſis ejuſdem eccleſiæ ſacerdotibus juſſu noſtro promulgatam, ne quis contra Regiam Majeſtatem & Chriſtos Domini ſacerdotes præſumere audeat, ſubſcribi præcepimus. Actum publicè Pariſius anno Domini M. C. XLIII. Regni noſtri VII.

VI.

CONSTITUTIONES KAROLI VI.

EX IVSSV KAROLI VII. PVBLICATÆ adverſus quoſdam Clericos, qui literis Apoſtolicis abutentes jura Eccleſiæ Gallicanæ violabant.

Ex authentico Viri Cl. Antonii VION Domini d'HEROUVAL.

CHarles fils du Roy de France, Dauphin de Viennois, Duc de Berry, de Touraine, Comte de Poictou, & Lieutenant general de Monſeigneur par tout ſon Royaume, au Bailli & Gouverneur de Touraine, & des reſſors, & exemptions d'Anjou, du Maine, & de Poictou, ou à ſon Lieutenant, Salut. Comme nous avons eſté informés, que pluſieurs gens d'Egliſe ſont venus en noſtredit pays de Touraine garnis de lettres Apoſtoliques, ou bulles, leſquelles ils font intimer aux Ordinaires & Chapitres de noſtredit pays: & s'efforcent d'en uſer & jouyr contre l'ordonnance, & conſtitution nagueres faite à Paris par mondit *Seig.* par grant & meure deliberation de pluſieurs des Prelas de ceſt Royaume, gens d'Egliſe de Clergé, nobles du grant Conſeil de mondit *Seig.* de ſon Parlement, & de pluſieurs autres pour le bien, & utilité dudit Royaume, & conſervation des libertés de l'Egliſe d'icelluy; leſquelles choſes ſont en contempt deſdites conſtitutions, & ordonnances de mondit Seigneur, & prejudice des libertez: & s'en pourroient enſuyr pluſieurs maux, inconveniens, &

dommages à mondit *Seig.* & à ſa Seigneurie, ſe pourveu n'y eſtoit. *Pourquoy nous* ces choſes conſiderées, deſirans leſdites ordonnances & conſtitutions demourer en leur force & vigueur, vous mandons & expreſſement enjoignons, que incontinant & ſans nul delay ces lettres veuës vous faſſiez publier ſolempnement, & à ſon de trompe par tous les lieux de noſtredit pays accouſtumé à faire trois publications notables des lettres de mondit Seigneur ſur leſdites ordonnances & conſtitutions, deſquelles la teneur enſuit, ſi comme l'en dit. *Karolus Dei gratia Francorum Rex, ad perpetuam rei memoriam. Inter regii laudabiles operas culminis*, & cetera, *prout leguntur in libro ita inſcripto: Preuves des libertés de l'Egliſe Gallicane, uſque ad hæc verba:* gardez & faites garder de point en point le contenu eſdites lettres, ſans aucunement ſouffrir eſtre fait ne venir au contraire: & ſe aucuns ſe vouloient efforcer par vertu d'actempter contre leſdites ordonnances, conſtitutions, & deffenſes, iceulx avecques leurſdites bulles & proces faites prendre & arreſter comme contempteurs & tranſgreſſeurs deſdites conſtitutions, ordonnances, & deffenſes pour en faire ainſi qu'il appartendra de raiſon; & en ce faites ou faites faire telle diligence que par voſtre deffault inconvenient ne ſe enſuive, ains en doyez eſtre recommandez de bonne diligence. Mandons & commandons à tous les juſticiers, Officiers, & ſubgiés de mondit Seigneur, & de nous, que à vous, & à vos commis, & depputez, en faiſant les choſes deſſuſdites obeïſſent, & entendent diligemment, & vous preſtent conſeil, confort, aide, & priſons, ſe requis en ſont. Donné l'an de grace M. CCCC, & XVIII. &c.

III.

VII.

PLURA JUDICIA INSIGNIA CURIÆ PARLAMENTI,

IN EPISCOPUM CONSTANTIENSEM CARDINALEM,

Qui temere quoſdam excommunicando, lataque judicia contemnendo, ſtatuta, jura & libertates Eccleſiæ Gallicanæ violaverat.

A LUDOVICO XI. CONFIRMATA

CONTRA QUASLIBET APPELLATIONES.

Ex Autographo, quod pertinet ad virum Clariſſ. Antonium Vion Dominum d'Herouval.

L*Udovicus* Dei gratia Francorum Rex, univerſis præſentes literas inſpecturis, Salutem. Notum facimus quòd, dilecti noſtri Religioſi, Prior, & conventus Abbatiæ ſanctiſſimæ Trinitatis de *Vindocino*, & *Aimericus* de *Coſdum* dictæ Abbatiæ Abbatem electum ſe dicens, certam requeſtam noſtræ Parlamenti curiæ porrexerunt continentem; quòd ratione dictæ Abbatiæ inter eos ſupplicantes actores & conquerentes, & cariſſimum avunculum & conſanguineum noſtrum Regem Jeruſalem & Siciliæ, Ducem Andegaviæ cum ipſis adjunctum ex una, & dilectum & fidelem Conſiliarium noſtrum Cardinalem Epiſcopum Conſtantienſem defenſorem ex altera parte, proceſſus in dicta curia noſtra pendebant. Verùm eo quòd, eiſdem proceſſibus in eadem curia ſic pendentibus indeciſis, ſupradictus Cardinalis dictos ſupplicantes, aut aliquos ex ipſis excommunicaverat & excommunicari fecerat: iidem ſupplicantes ex menſe Auguſti lapſo dictæ Curiæ noſtræ requiſierunt, dictum Cardinalem & alios de quibus expediret, ad dictis ſupplicantibus abſolutionem tradendam ſaltem ad cautelam pendentibus dictis proceſſibus cōpelli. Super quo partibus ad producendum penes eandem curiā quicquid producere vellent & ad conſilium appunctatis, per

dictæ Curiæ noſtræ arreſtum viceſima prima die dicti menſis Auguſti prolatum, dictum, & ordinatum extiterat, quòd dictus Cardinalis abſolveret & abſolvi faceret ad cautelam ſuis expenſis dictos ſupplicantes, & alios excommunicatos infra tres menſes tunc ſequentes: & quòd ad hoc faciendum idem Cardinalis Epiſcopus Conſtancienſis per captionem ejus temporalitatis, ac omnibus aliis viis rationabilibus & debitis compelleretur.

Infra quem quidem terminum cùm dictus Cardinalis dictos ſupplicantes minime abſolverit nec abſolvi fecerit; quinimò interinando certam requeſtam pro parte ejuſdem Cardinalis dictæ Curiæ noſtræ porrectam, ut dicta dilatio ſibi prorogaretur adfurniendo dicto appunctamento: per aliud arreſtum dictæ Curiæ noſtræ nona die menſis Decembris tunc ſequentis pronunciatum extiterat, dictum, & ordinatum, quòd infra quindecimam diem menſis Martii tunc ſequentis & noviſſime præteriti, dictus Cardinalis dictos ſupplicantes abſolveret & abſolvi faceret ſecundùm formam & tenorem dicti primi arreſti ſeu appunctamenti, ſub pœna decem milium librarum Pariſienſium, & aliis pœnis in dicto arreſto declaratis. Quod ſimiliter dictus Cardinalis minime fecerat neque adimpleverat, dicta arreſta, dictæque curiæ noſtræ auctoritatem contemnendo in dictorum ſupplicantium excommunicatorum grande ſcandalum & vituperium. Et ob hoc præmiſſis attentis petierunt & requiſierunt dicti ſupplicantes dictas pœnas contra & adverſus dictum Cardinalem, eumque in eaſdem pœnas incurriſſe & cecidiſſe declarari: & ejuſdem Cardinalis temporalitatem in manu noſtra, donec & quouſque dictis arreſtis furniiſſet & obediviſſet, realiter & de facto teneri: & ulteriusipſum Cardinalem ad parendum dictis arreſtis compelli: aut alias de remedio juris & juſtitiæ, prout diſcretioni dictæ Curiæ noſtræ bonum videretur, dictis ſupplicantibus provideri. Super quibus dicta curia noſtra, quòd dicti ſupplicantes ſuam requeſtam in judicio in craſtinum parte adverſa præſente, aut ejus procuratore, cui notificaretur, facerent, ſexdecima die dicti menſis Martii appuntaſſet: unde dicta craſtina die, quæ fuit ſeptima decima dicti menſis Martii, dilectus & fidelis conſiliarius noſter in dicta curia noſtra Magiſter *Helias de Conſdum* dicti *Aimerici de Coſdum* frater in

defectu Advocati contenta in dicta requeſta judicialiter requiſiſſet, dictum Cardinalem compelli ad obediendum dictis per declarationem dictarum pœnarum & Bannimenti ab hoc Regno noſtro, tanquam ejuſdem ſubjectum, ac informationem fieri ſuper eo, quòd idem Cardinalis nonnullis bullis in hac parte ſe jactabat, necnon portitores & eaſdem bullas habentes capi & priſionarios conſtitui: dictoque Cardinali dictis bullis tanquam iniquis minimè ſe juvare, ſub pœna decem milium librarum inhiberi, ad finem damnorum & expenſarum contra eundem Cardinalem tendendo & concludendo. Magiſtro verò *Philippo Luillier* dicti Cardinalis Advocato dicente, quòd ipſe ſententiam in dicto petitorio de dicta Abbatia obtinuerat, ac pro obediendo dictis arreſtis ſuam ſupplicationem ſummo Pontifici tradiderat, qui nullam Cardinalis abſolutionem ſimiliter in hac parte præbere voluerat; propter quod dictus Cardinalis Conſtancienſis, agendo quod in ſe ipſo erat, ſuam abſolutionem pro dictis excommunicatis tradiderat; prætereà quòd dictus Cardinalis Epiſcopus Conſtancienſis ſententiam in petitorio ante literas querimoniæ dictorum conquerentium obtinuerat: ſicque quæſtio de petitorio ſopita exiſtebat, ad finem igitur abſolutionis reſpectu dictarum concluſionum contra eum captarum tendendo & concludendo. Quibus per dictam Curiam noſtram ſic auditis, dicta Curia noſtra, quòd Procurator noſter Generalis, & dicti actores, & conquerentes, dictam abſolutionem viderent, & die Lunæ ſequenti reverterentur, inter cetera appunctavit.

Conſtitutis igitur in dicta Curia noſtra die viceſima ſecunda dicti menſis Martii ſupradictis partibus, aut earundem procuratoribus, ſupradicti Prior & conventus dictæ Abbatiæ de *Vindocinio*, *Aimericus de Coſdon* actores & conquerentes, ac dictus avunculus & conſanguineus noſter Rex Jeruſalem & Siciliæ cum eis adjunctus contra & adverſus dictum Cardinalem Epiſcopum Conſtancienſem proponi fecerunt, quòd ex anno Domini milleſimo quadrageſimo dicta Abbatia per tunc Comitem Andegavenſem & Comitiſſam Pictavenſem ejus uxorem extiterat fundata: quo tunc fuerat ordinatum, quòd dicta Abbatia vacante pro procedendo ad electionem novi

Digitized by Google

Abbatis, dicti Religioſi tres Abbates vicinos & propinquiores de eadem Abbatia convocarent; qua electione facta talis ſic electus benedictionem à tali Prælato, prout ſibi bonum videretur, obtinere poſſet. Quo præſupppoſito dicebant dicti actores & conquerentes, quòd inſequendo privilegia & libertates dictæ Abbatiæ, eadem Abbatia per deceſſum defuncti *Ioannis* ejuſdem Abbatiæ ultimi Abbatis vacante, dicti Religioſi dictum *Aimericum de Conſdon* in eorum Abbatem elegerant: qua electione non obſtante, dictus Cardinalis Epiſcopus Conſtancienſis Abbatem dictæ Abbatiæ ſe gerere, dicere, & nominare voluerat, ac dictos Religioſos, eo quòd ſibi parere neque intendere nolebant, excommunicaverat, & per dictum Cardinalem Atrebatenſem excommunicatos declarari fecerat. Qua de re ſupradicti Religioſi dictas literas querimoniæ in caſu novitatis & ſaiſinæ impetraverant, ab executione quarum dictus Cardinalis Epiſcopus Conſtancienſis appellare fecerat. Dicebant autem dicti actores & conquerentes, quòd viſa dicta eorum requeſta, ac in dicta Curia noſtra partibus auditis dicta duo arreſta ſeu appunctamenta eadem curia noſtra ſucceſſive protulerat, quibus, ut dictum eſt, dictus Cardinalis Conſtancienſis minimè paruerat; ſed tantumdem quandam abſolutionem de ſeipſo, & non de dicto Cardinali Atrebatenſi tranſmiſerat, in qua continebatur, quod metu pœnæ indictæ, & ne ſua temporalitas ſequeſtraretur, dictam abſolutionem tradiderat, & tamen eadem abſolutio ſummo Pontifici reſervata fuerat: ſicque dictis arreſtis dictus Cardinalis Conſtancienſis non bene furnierat. Igitur contra dictum Cardinalem Conſtancienſem concludendo, iterum requirebant dicti actores & conquerentes, quatenus per arreſtum dictæ Curiæ noſtræ ſupradictus Cardinalis Conſtancienſis ad abſolvendum & abſolvi faciendum pure & ſimpliciter dictos conquerentes & alios excommunicatos per declarationem dictarum pœnarum, & aliarum majorum compelleretur: & quòd dicta arreſta ſuum plenum ſortirentur effectum, quodque omnes ſupradicti proceſſus & bullæ penes dictam Curiam noſtram ponerentur, portitoreſque & eaſdem bullas habentes ad corpus caperentur, dicto procuratore noſtro requirente, quod quilibet de conſilio dicti Cardinalis Conſtan-

clenſis in vim juramenti de bullis de novo allatis interrogaretur : Et econtrario dicto Advocato dicti Cardinalis Conſtancienſis dicente & proponente, quòd attento petitorio, partibus auditis ante dictam querimoniam obtentam extabat deciſum, à quo appellare licitum non erat : dicta querimonia inadmiſſibilis, & per conſequens ſub colore ejuſdem dicti conquerentes ad aliquam proviſionem petendam & obtinendam non admiſſibiles extabant : quodque etiam ſi aliqua querimonia fuerat obtenta, ipſe Cardinalis eidem & per conſequens poſſeſſorio renunciaverat, expenſas propter hoc ſolvere offerendo ; & ex quo dicti conquerentes ſanctæ ſedi Apoſtolicæ immediate erant ſubjecti, dictæ Abbatiæ de Abbate providere ſummo Pontifici incumbebat, idemque ſummus Pontifex de eadem Abbatia eidem Cardinali Conſtancienſi valide providerat : dicta etiam ſententia petitoria, attentis cenſuris Eccleſiaſticis, ſuum effectum ſortiri debebat ; quodque dicti Cardinalis defenſoris bullæ in forma conſueta extabant, & ſunt confectæ, & Cardinalibus & aliis à ſancta ſede Apoſtolica delegatis tales poteſtates exiſtendi executores bullarum ſuarum bene & ſæpiſſime præbebantur : præterea quòd dictus Cardinalis Atrebatenſis tanquam Legatus à ſancta S. Apoſtolica, qui dictas cenſuras Eccleſiaſticas fulminaverat, ſuam poteſtatem dictam abſolutionem tradendi dicto Cardinali defenſori præbuerat ; & quoniam dicta arreſta dictam compulſionem continebant, idem defenſor eandem compulſionem recitandi cauſam habuerat : viſaque dicta ejus renunciatione, nihil in dicta Curia noſtra de hujuſmodi negotio pendebat, etiamque ſuo procuratori onus comparendi in dicta Curia noſtra pro eo idem Cardinalis defenſor nunquam tradiderat ; ad finem igitur abſolutionis, ut prius, & expenſarum, concludendo. Exindeque dicti Cardinalis defenſoris Advocato ex officio dictæ Curiæ noſtræ de & ſuper dictis bullis & cenſuris Eccleſiaſticis judicialiter cum juramento ſolenni interrogato, idem Advocatus dixit & affirmavit ſe ipſum habuiſſe & vidiſſe quoddam inſtrumentum, per quod conſtabat dictum Cardinalem Epiſcopum Conſtancienſem beneficium abſolutionis dictis actoribus conquerentibus impartiri à dicto ſummo Pontifice requiſiiſſe, & eun-

dem ſummum Pontificem id facere diſtuliſſe : verùm eo quòd in dicto inſtrumento extabant nonnulla vocabula, quæ ſibi eſſe bona minime videbantur, ipſe idem inſtrumentum dicto Procuratori noſtro Generali non oſtenderat, nec de eodem inſtrumento dictus Cardinalis Conſtancienſis ſe juvare intendebat, nec ſimiliter illud, ſed Magiſter *Ioannes Ives* habebat. Advocato verò dictorum actorum & conquerentium dicente, dicta duo arreſta executioni abſque dilatione demandari debere : quodque tempore dictæ querimoniæ obtentæ dictus Cardinalis defenſor in hoc regno noſtro degebat; & ſic, ut dicebat procurator petitorum, decidi non valuerat, & ex quo dicta abſolutio ſummo Pontifici extabat reſervata, quòd dicti excommunicati ab eodem ſummo Pontifice abſolverentur oportebat : inſuper quòd ex abundanti dictus Cardinalis defenſor nonnullas ſcedulas in valvis Eccleſiæ Aurelianenſis & alibi affigi fecerat, per quas conſtabat dictos actores & conquerentes excommunicatos, & ab eorum beneficiis privatos fore, propter quæ dictus Advocatus pro dicto Avunculo & conſanguineo noſtro Rege Ieruſalem & Siciliæ fundatore dictæ eccleſiæ proviſionem, quemadmodum dicti Religioſi, in hac parte requirebat, ac per eos ſuperius allegata, propoſita & concluſa ampliabat. Super quibus omnibus præmiſſis dicta Curia noſtra dicta viceſimâ ſecundâ die dicti menſis Martii, quòd dictum inſtrumentum dicto Procuratori noſtro Generali oſtenderetur, ac quòd ſupradictus Magiſter *Ioannes Ives*, & Magiſter *Simon Hennequin* de & ſuper præmiſſis excommunicationibus per certos ex Conſiliariis dictæ Curiæ noſtræ interrogarentur, necnon & quod totum eidem Procuratori noſtro Generali ſuper præmiſſis una alia die ſequenti quicquid vellet dicturo oſtenderetur, appunctaverat.

Poſtremo verò videlicet die viceſima quarta dicti menſis Martii ſupradicti, Conſiliarius noſter in dicta Curia noſtra Magiſter *Helias de Coſdon*, dictique actores & conquerentes, ac dictus avunculus ac conſanguineus cum eis adjunctus iterum proponi fecerunt contra dictum Cardinalem Epiſcopum Conſtancienſem, quòd dictus Cardinalis dictis arreſtis dictæ Curiæ noſtræ non paruerat neque furnierat : quin imò

in odium eorundem ſupradictos actores & conquerentes ac dictum Conſiliarum noſtrum Magiſtrum *Heliam*, nec non ulterius omnes auxilium & favorem in hac parte præbentes, nobis & chariſſima compote noſtra tantundem exceptis, excommunicari & excommunicatos denunciari & publicari fecerat in noſtri & dictæ Curiæ noſtræ, ac totius juſtitiæ & auctoritatis hujus Regni noſtri maximum ſcandalum & vituperium. Et idcirco, ut prius, requirebant, quòd per dictæ Curiæ noſtræ arreſtum dictus Cardinalis Epiſcopus Conſtancienſis ad obediendum arreſtis dictæ Curiæ noſtræ, & dictos excommunicatos purè & ſimpliciter abſolvi faciendum, de quorum numero extabant dictus Magiſter *Helias de Coſdun* & Magiſter *Iacobus de Rubeo Monte*, per captionem ejus temporalitatis ſub pœna decem milium librarum compelleretur: ac erga eoſdem excommunicatos in ſimili forma in ſumma decem milium librarum emendæ condemnaretur: proque eadem ſumma ejuſdem Cardinalis temporalitas in & ſub manu noſtra, donec prędictis arreſtis paruiſſet, regeretur & expletaretur; necnon & quod, de hoc quod in hac parte adjudicaretur, dicti actores & requirentes primitus ſolverentur. Procurator verò noſter Generalis recitando dicta arreſta dictę Curiæ noſtræ ſuperius ſpecificata, & pœnas in vim eorumdem dicto Cardinali Conſtancienſi inflictas, quibus arreſtis, ut dicebat idem Procurator, idem Cardinalis Epiſcopus Conſtancienſis minime obedire curaverat, quin imò eadem & auctoritatem noſtram & dictæ Curiæ noſtræ contemnendo, dictas excommunicationes, privationes beneficiorum, & declarationes contra dictos actores & conquerentes & cum eis adhęrentes fulminaverat, addicendo etiam per Procuratorem noſtrum contenta in dictis bullis Apoſtolicis, fulminationibus, excommunicationibus, inſtrumentis, cenſuris Eccleſiaſticis ac aliis inobedientiis & actis in hac parte per dictum Cardinalem Epiſcopum Conſtancienſem ad ejus proſecutionem contra tenorem dictorum arreſtorum dictæ Curiæ noſtræ in eorumdem contemptum, & noſtri ac dictæ Curiæ noſtræ irreverentiam & maximum ſcandalum: ex debito ſui officii ejuſdem Procuratoris noſtri Generalis contra & adverſus dictum Cardinalem Epiſcopum Conſtancienſem concluden-

do requirebat & petebat, quatenus per arreſtum dictæ Curiæ noſtræ omnes ſupradictæ pœnæ dicto Cardinali Conſtancienſi indictę, contra eundem Cardinalem Conſtancienſem declararentur; & nobis adjudicarentur: ejuſque temporalitas Eccleſiaſtica & propria ad manum noſtram poneretur; & ſub eadem, donec ad ſolutionem dictarum pœnarum gubernaretur; necnon & ad dictos excommunicatos tam in generali quàm in particulari ſuis propriis ſumptibus & expenſis abſolvi faciendum, & earumdem excommunicationum revocationes & abſolutiones tranſmittendum, ipſaſque in villis Pariſienſi, Aurelianenſi, Carnotenſi & alibi ubi dictæ excommunicationes affixæ fuerant atachiandum & affigendum dictus Cardinalis Epiſcopus Conſtancienſis condemnaretur & compelleretur: ac à dicta ſua temporalitate, quam in Regno ſuo habebat, & habere poterat ejus vita comite privaretur & eadem temporalitas nobis adjudicaretur, ac ex nunc ſaiſiretur & ad manum noſtram poneretur: ulteriuſque idem Cardinalis Epiſcopus Conſtancienſis in viginti milium ſcutorum emendæ erga nos condemnaretur; necnon & quod Magiſter Michaël *Mahault* dicti Cardinalis ſervitor, & alii dictarum bullarum & excommunicationum portitores ad corpus caperentur, & priſionarii in Conciergeriam Palatii noſtri Pariſius adducerentur, ampliores concluſiones, in quantum opus eſſet capere, per eundem Procuratorem noſtrum Generalem proteſtando: Advocato verò ſupradicti Cardinalis ſuper præmiſſis dilationem ſibi dari petente.

Tandem ſupradictis partibus, ut prędictum eſt, auditis, & ad tradendum & ponendum ſupradictas bullas, producendumque penes dictam Curiam noſtram quicquid ponere & producere vellent, & ad conſilium ſeu in arreſto ſuper toto & dictis proviſionibus requiſitis, appunctatis, viſiſque per dictam Curiam noſtram ſupradictis arreſtis, bullis, inſtrumentis, fulminationibus & excommunicationibus cum aliis literis & munimentis, conſideratiſque & attentis circa hæc conſiderandis & attendendis cum magna & matura deliberatione, & quæ dictam Curiam in hac parte movere poterant & debebant, per arreſtum dictæ Curiæ noſtræ dictum fuit, quod pro exceſſibus, abuſibus, & inobedientiis per

dictum

dictum Cardinalem Epiſcopum Conſtancienſem contra tenorem dictorum dictę Curiæ noſtræ arreſtorum, ac etiam pro interpriſiis per eundem Cardinalem contra jura, pręeminentias, pręrogativas, auctoritates & ſuperioritatem noſtram & dictæ Curiæ noſtræ factis & commiſſis dicta Curia noſtra dictum Cardinalem in decem milium librarum Pariſienſium erga nos, erga verò dictum Avunculum & conſanguineum noſtrum Regem Jeruſalem & Siciliæ Ducem Andegavenſem fundatorem dictæ Abbatiæ in duorum milium librarum Pariſienſium, & erga dictos alios actores & conquerentes in trium milium librarum Pariſienſium ſummis condemnavit & condemnat, ac ordinavit & ordinat dicta Curia noſtra, quod dictus Cardinalis Epiſcopus Conſtancienſis ſuis cuſtibus & expenſis ſupra dictos Religioſos Priorem & Conventum, Magiſtrum *Heliam*, *Aimericum de Coſdon*, *Iacobum de Rubeo monte*, & omnes alios particulares qui ad cauſam hujus per dictum Cardinalem epiſcopum Conſtancienſem, necnon Cardinalem Atrebatenſem & alios excommunicati extiterant, abſolvi faciet ſaltem ad cautelam, niſi abſoluti exiſtant: necnon etiam quòd idem Cardinalis epiſcopus Conſtancienſis omnes caſſationes privilegiorum dictæ Abbatiæ, privationes beneficiorum, inhabilitationes, declarationes, & cenſuras Eccleſiaſticas contra dictos actores & alios ad cauſam rerum prædictorum factas & fulminatas revocare faciet: ac dictis ſuis cuſtibus & expenſis ſupradictas revocationes dictarum caſſationum, abſolutionum & rehabilitationum in forma debita & convenienti omnibus indigentibus, & de quibus expedierit infra primum diem inſtantis menſis Decembris tranſmittet: & eaſdem in valvis eccleſiarum villarum Pariſienſis, Turonenſis, Carnotenſis, Aurelianenſis & Vindocinii, & alibi ubique dictæ excommunicationes & cenſuræ atachiatæ & publicatæ extiterunt, affigi & publicari faciet: & omne illud quod dictum eſt ſub pœna viginti milium librarum Pariſienſium nobis & dictis actoribus mediatim applicandarum ipſe Cardinalis rebellis & inobediens nobis ſeu erga nos perficiet; necnon & quod ad faciendum & adimplendum omnes res ſupra declaratas, dictus Cardinalis Epiſcopus

Conſtancienſis per captionem & expletationem ejus temporalitatis oppoſitionibus & appellationibus quibuſcumque non obſtantibus compelletur; quæ quidem temporalitas propter hoc in manu noſtra remanebit, & ſub eadem per bonos &. ſufficientes commiſſarios ad hoc committendos & deputandos donec ad plenariam dictarum ſummarum contra eum adjudicatarum ſolutionem & ſatisfactionem, ac præmiſſorum complementum regetur & gubernabitur. Dicta Curia noſtra etiam ordinavit & ordinat ſupra nominatum Cardinalem Conſtancienſem in expenſis hujuſmodi inſtantiæ, earumdem expenſarum taxatione dictæ Curiæ noſtræ reſervata, condemnando.

In cujus rei teſtimonium præſentibus literis noſtrum juſſimus apponi ſigillum. Datum Pariſius in Parlamento noſtro viceſima tertia die Iulii anno Domini milleſimo quadringenteſimo ſexageſimo tertio, & Regni noſtri tertio.

Digitized by Google

CAPUT III.

DE AUCTORITATE EPISCOPORUM, ET DE OBEDIENTIA SIVE CLERICORUM SIVE MONACHORUM.

ARTICULUS PRIMUS.

PUBLICA MONUMENTA DE OBEDIENTIA ET REVERENTIA, QUAM SIVE CLERICI ET REGULARES, SIVE MONACHI ET ABBATES DEBENT REDDERE EPISCOPIS.

& quam ſolemnem in ſynodis ipſi promiſerunt.

I.

CHARTA S. MARTINI DE OBEDIENTIA, quam Canonici Regulares ſuo Epiſcopo in ſynodo promiſerunt.

Ex Chartulario Eccleſiæ Gratianopolitanæ.

EGo *Hugo* Gratianopolitanæ Eccleſiæ vocatus Epiſcopus, notum facio ſucceſſoribus meis, & Eccleſiæ Gratianopolitanæ filiis, quomodo ædificaverim Eccleſiam beati *Martini*, quæ in parochia ſancti *Himerii*. Tres quippe Clerici *Petrus* videlicet, *Guilelmus*, & *Joannes Longobardus*, & *Conſtantinus*, ſeculo abrenuntiare volentes, venerunt ad me poſtulantes, ut eis regularem habitum traderem, & locum, ubi ſub canonica profeſſione & obedientia noſtra

Deo ſervirent. Quibus conceſſi Eccleſiam ſancti *Martini* eo pacto, & partem cimeterii quæ eſt ad auſtralem plagam, ubi clauſtrum, domos, & officinas facerent. Illam verò partem cimeterii, quæ reſpicit ad aquilonem, mihi meiſque ſucceſſoribus retinui, ubi domos & quæ nobis forent neceſſaria conſtruerem. Qui in ſynodo noſtra habitum regularem à nobis ſuſceperunt, & ſuſcepta benedictione * obedientiam nobis promiſerunt. Quibus poſtea donavi Eccleſiam ſancti *Himerii*, & beatæ *Mariæ* de *Biveu*, retento annuo cenſu ſcilicet x. ſolidorum; & donavi eis medietatem decimæ ejuſdem Parochiæ, quam Laici poſſidebant; aliam verò medietatem mihi, meiſque ſucceſſoribus retinui. Sequenti verò tempore prędictis fratribus creſcentibus numero & religione, donavi eis tanquam propriis filiis xv. Eccleſias, retentis annuis cenſibus in ipſis Eccleſiis excepta parata, videlicet in Eccleſiis ſancti *Pancratii*, & ſancti *Hilarii* VIII. ſextaria frumenti ad menſuram Grannapolitanam: in Eccleſia ſancti Bernardi, in Eccleſia ſanctæ Mariæ, quæ dicitur Epiſcopalis III. ſolidos, & duas libras ceræ: in Eccleſia de *Petra*, & de *Campo*, & de *Adrets*, & de *Tencims*, & de *Ortigeriis* XIV. ſolidos, & duas ceras de ſex libris; in Eccleſia de *Aquis* decem ſolidos, & unam ceram de tribus libris, in Eccleſia de *Crosis* IV. ſolidos; in Eccleſia S. *Stephani* de *Arviſio*, quinque ſolidos; in Eccleſiis beatæ *Mariæ* de *Arviſio*, & S. *Joannis* & de *Deſerto* retinui ſtationem meam cum ſociis ſex à feſtivitate Apoſtolorum *Petri* & *Pauli*, uſque ad aſſumptionem beatæ *Mariæ*. Hæc omnia conceſſi prænominatis Canonicis & ſucceſſoribus eorum, ſalva in omnibus tam in ipſis quàm in Eccleſiis eorum obedientia, poteſtate, ſubjectione, quam proprii Canonici ſuo debent exhibere Epiſcopo, non tamen ad deſtructionem, ſed ad cuſtodiam & defenſionem. Succeſſores verò mei eos tanquam boni Patres tueantur & foveant: ipſi autem tanquam boni filii eis obediant, & in omnibus ſecundum Dominum

* *Conc. Calched. Can.* IV. Viſum eſt, nullum uſquam ædificare nec conſtruere poſſe monaſterium, vel oratoriam domum præter ſententiam ipſius civitatis Epiſcopi: Monachos autem, qui ſunt in unaquaque regione & civitate, Epiſcopo ſubjectos eſſe, & quietem amplecti, & ſoli jejunio & orationi vacare. &c.

ſubjecti ſint. Et ſi fortè, quod abſit, prænominatus locus Canonicorum regularium ſolatio deſtitutus fuerit, tunc tam pręfatæ Eccleſiæ, quàm Eccleſiaſtica bona ad nos vel ad ſucceſſores noſtros, tanquam ad Dominum ſuum proprium redibunt.

II.

CHARTA DE OBEDIENT. ET SUBJECTIONE, QUAM IVONI EPISCOPO CARNOTENSI, ET EJUS SUCCESSORIBUS DEBENT REDDERE MONACHI DE BELLO LOCO:

Quibus ſub hac tantùm conditione Ivo *permiſit monaſterium conſtruere & conſecrare.*

Ex cod. Mſ. privileg. Eccleſiæ Carnotenſis.

IN nomine ſanctæ & individuæ Trinitatis, Patris, & Filiij, & Spiritus ſancti. Ego *Ivo* licet indignus Eccleſiæ Carnotenſis Epiſcopus, notum fieri volo omnibus tam pręſentibus quàm futuris, quòd Dominus *Hugo* venerabilis Abbas Cluniacenſis Monaſterii cum grege ſibi commiſſo, & maxime *Fratres de Charitate* parvitatem noſtram humiliter adierunt: petentes, ut eis concederem fieri, & conſecrari Monaſterium extra urbem Carnotanam in loco, quem *Vvillelmus* ad ædificandum Monaſterium elegerat. Quorum petitio, quia digna impetratione & multis profutura viſa eſt, aſſenſu confratrum noſtrorum beatæ *Mariæ* in ſuprà dicto loco Monaſterium fieri & conſecrari conceſſimus; ea conditionis lege, ut omnem obedientiam & ſubjectionem mihi & Eccleſiæ mihi commiſſæ & ſucceſſoribus meis, quam Monachi circumquaque poſiti exhibent, exhibeant: & jura Eccleſiæ noſtræ & Eccleſiarum ei commiſſarum, abſque meo conſenſu & Capituli beatæ *Mariæ* & ſucceſſorum noſtrorum, invadere non pręſumant.

III.

CHARTA, QUA RADBODUS NOVIOMENSIS EPISCOPUS ALTARE DE CAPI ECCLESIÆ S. PETRI CLUNIACENSIS CONCEDIT.

IN QUA DECLARATUR EPISCOPI auctoritas in Monachos Eccleſiarum Præpoſitos, & in Abbates.

Ex Chartulario S. Martini de Campis.

EGo *Radbodus* indignus Noviomorum epiſcopus, notum volo fieri quibuſcumque fidelibus, altare de *Capi* tum Dei timore tum Manachorum interventu me de manu *Rodberti* Peronenſis, & heredum ejus quibus ex beneficio contingebat, recepiſſe; & eccleſiæ ſancti *Petri* Cluniacenſis ad remiſſionem peccatorum meorum, aſſentiente, imo precante Clero ſanctæ *Mariæ*, perpetim habendum conceſſiſſe: ea videlicet ratione, ut ſacerdos mihi ſerviens ſuſceptæ curæ animarum reddat rationem, & mihi meiſque miniſtris debitam ſolvat conſuetudinem. Quòd ſi congregatio ibidem Deo diſponente pervenerit, culpas emendare in poteſtate ſit Abbatis. Si autem Abbas aut Prior negligenter egerit, tunc ad Epiſcopum Noviomorum correctio Monachorum redundabit. Ut autem chirographum iſtud futuris temporibus firmius exiſtat, circumſtantium ſubnotavimus nomina.

Signum RADBODI Epiſcopi.
Sig. GERILINI Decani.
Sig. BALDRICI Archidiaconi.
Sig. WALCHERI Theſaurarii.
Sig. ODMUNDI Præpoſiti.
Sig. WIDONIS Cancellarii.
Sign. IVONIS Caſtellani.
Sig. WINEMARI, RODBERTI.
Sig. BOSBERTI.

Actum Noviomi, anno Incarnationis dominicæ 1086. Indictione IX. Regnante Rege PHILIPPO anno 25. Domino RADBODO Epiſcopo, anno 19.

Digitized by Google

IV.

CHARTA SANCTI DONATI DE OBEDIENTIA,

QUAM CANONICI REGULARES S. DONATI tenentur promittere Nantelmo Utcenſis *Eccleſiæ præpoſito, ſalvo privilegio Apoſtolicæ ſedis, & ſalva ſemper obedientia, & reverentia, ſubjectione & poteſtate Gratianopolitani Epiſcopi tam in ſpiritualibus, quàm in temporalibus.*

Ex Chartulario Eccleſiæ Gratianopolitanæ.

IN nomine Domini. *Ego Hugo* Gratianopolitanus Epiſcopus, & Præpoſitus Eccleſiæ S. *Donati*, notum facio filiis Gratianopolitanæ Eccleſiæ præſentibus & futuris, quòd Canonici S. *Donati* abrenunciaverunt ſeculo, & ſub canonica profeſſione decreverunt Deo ſervire. Et quoniam ipſorum numerus non ſufficiebat ad ſervitium ejuſdem Eccleſiæ, eorumdem Canonicorum rogatu, cum conſilio Canonicorum noſtrorum, ſcilicet Gratianopolitanæ Eccleſiæ committo Canones regulares Eccleſiæ *Nantelmo Utcenſis* Eccleſiæ præpoſito, & omnibus ſucceſſoribus ejus, ut eis obedientiam promittant, & promiſſam ſecundum Deum in omnibus & per omnia teneant, & profeſſionem illis faciant, & totam communiam ipſius Eccleſiæ, quam modo habent, vel in futuro juſte adquiſituri ſunt, eis perpetuo jure dono, ſalva obedientia, & reverentia, ſubjectione, & poteſtate Grannopolitani Epiſcopi, & ſalvo privilegio Apoſtolicæ ſedis. Nomen verò & honorem Præpoſiti, videlicet omnes poſſeſſiones ad Præpoſitum pertinentes, & jus Epiſcopi Grannopolitani, tam in temporalibus, quàm in ſpiritualibus rebus, mihi retineo, & ſucceſſoribus meis, ſalva in omnibus diſciplina Canonicorum regularium ibidem commorantium. Theſaurum autem, & ornamenta, ſive libros Eccleſiæ non liceat eis vendere, ſive aliquo modo alienare * ſine conſilio Gratianopolitani Epiſco-

* *Conc. Epaonenſe c. viii.* Similis quoque de venditionibus, quas Abbates facere præſumpſerint, forma ſervabitur, ut quidquid ſine Epiſcoporum notitia venditum fuerit, ad poteſtatem Epiſcopi revocetur.

pi, & conſenſu Gratianopolitanæ Eccleſiæ Canonicorum. Domos verò meas, terras, & vineas, & omnia quæ ex his mihi proveniunt, cùm terminus vitæ meæ vel ſucceſſorum meorum contigerit, prędictis fratribus Regularibus committo cuſtodienda & ſervanda ſucceſſoribus meis, videlicet Gratianopolitanæ Eccleſiæ Epiſcopis. Si quis hujus noſtræ conſtitutionis paginam violare præſumpſerit, niſi bis tertiove commonitus emendare ſtuduerit, iram Dei omnipotentis incurrat, & donec reſipuerit, excommunicationi ſubjaceat. Prior autem Eccleſiæ S. *Donati*, ad ſynodum in qua cantatur, *Iubilate*, niſi neceſſitas canonica prohibuerit, veniat. Data in Capitulo Gratianopolitano XI. Kalend. Februarii anno Incarnationis Dominicæ M. C. V. Indictione XIII. Hanc donationem laudaverunt Canonici Eccleſiæ Gratianopolitanæ, ſcilicet;

GVIGO Decanus.
GVIGO DELANS.
ROSTAGNVS.
ODALRICVS.
FOLCHERIVS.
PETRVS GARCINE.
FVLCO.
GALDINVS.
HVMBERTVS.
ARBERTVS.
PETRVS DE VISILIA.
PETRVS FREMVNDI.
BETO.
GERALDVS.
AMARDVS.
AMEDÆVS.
PETRVS Canonicus.
GALTERIVS.
BENEDICTVS.
FOLCHERIVS DELÀNS.

Signum GVIGONIS Comitis.
Signum filii ejus GVIGONIS Comitis.

RICHARDVS Clericus Domni HVGONIS Gratianopolitani Epiſcopi ſcripſit hanc chartam.

V.

V.

CHARTA DE CHIGNINO, DE OBEDIENTIA

QUAM QUI SECULO ABRENUNCIARUNT debent reddere Epiſcopis, tanquam Canonici proprio Epiſcopo.

Ex Chartulario Eccleſiæ Gratianopolitanæ.

EGo *Hugo* Gratianopolitanæ Eccleſiæ vocatus epiſcopus, dono fratribus *Geraldo*, *Gulelmo*, & *Barnardo*, qui in manu noſtra ſeculo abrenunciaverunt, & ſub canonica profeſſione decreverunt & Deo ſervire & ſucceſſoribus eorum ſub eadem profeſſione viventibus, Eccleſiam ſancti *Georgii* cum parochia ſua, & capellam de *Chignigno* cum parochia ſua uſque ad *Bondologiam*, & eccleſiam de *Triverio*, & eccleſiam de *Corruana*, & capellam de *Balberio* cum decimis & oblationibus, & cimeteriis & aliis ad jus eccleſiaſticum pertinentibus. Et conſtituo, ut omnes hæ Eccleſiæ ſint ſubjectæ, & reſpondeant eccleſiæ S. *Georgii*, ubi prænominati fratres commorantur. Et retineo mihi & ſucceſſoribus meis annuum cenſum in his eccleſiis, videlicet in eccleſia S. *Georgii* cenſum XII. denariorum; & in eccleſia de *Triverio* cenſum duorum ſolidorum, & paratam, XII. denarios; & in eccleſia de *Corruana* cenſum duorum ſolidorum, & paratam, denarios XII. & in capella de *Balberio* cenſum XII. denariorum, & paratam, VI. denarios: Et hi omnes denarii ſunt Valentinenſis vel Viennenſis monetæ. Hujus capellæ cenſum reddent *Adoni* filio *Geraldi*, cui ego cenſum ipſius capellæ donaveram; poſt diſceſſum verò ejus, reddent mihi, & ſucceſſoribus meis. Per parochias harum Eccleſiarum retineo mihi & ſucceſſoribus meis quartam partem totius decimæ: ea conditione, ut ſi prædicti fratres decimas emerint, quartam partem pretii reddam: Si gratis acquiſierint, & ego ſine pretio quartam partem poſſideam; hac ſervata inter nos conditione, ut non liceat prædictis fratribus vel ſucceſſoribus eorum, ſeipſos, vel

Eccleſias, ſeu ad Eccleſias pertinentia alicui perſonæ vel congregationi tradere. Similiter non liceat nobis, nec ſucceſſoribus noſtris prædictos fratres, ſeu Eccleſias, vel ad ecclesias pertinentia alicui loco vel perſonæ, ſine conſilio & voluntate eorum tradere. Prædicti verò fratres obedientes ſubjecti exiſtant nobis & ſucceſſoribus noſtris, * tanquam Canonici proprio epiſcopo. Noſtri verò ſucceſſores prædictos fratres & locum eorum non deſtruant, ſed tueantur, & defendant ſicut proprios filios. Si verò, quod abſit, prædictorum fratrum & ſucceſſorum eorum ſub canonica profeſſione viventium cohabitatione locus deſtitutus fuerit, eccleſiæ vel bona eccleſiaſtica ad epiſcopum Gratianopolitanum redeant. Facta hæc charta apud Arviſium III. Non. Julii anno Incarnationis Dominicæ M. C. X. anno Pontificatus Domni *Hugonis* epiſcopi Gratianopolitani. XXX. Richardus ſcripſit.

* *Conc. Calced. c. viii.* Clerici Ptochotrophiorum, Monaſteriorum, & templorum martyrum ſub poteſtate Epiſcoporum, qui ſunt in unaquaque civitate ex ſanctorum patrum traditione, permaneant &c. Qui hanc autem conſtitutionem evertere auſi fuerint: ſi ſint quidem clerici, canonum pœnis ſubjiciantur: Si autem Monachi, vel Laici, ſint excommunicati.

VI.

CHARTA DE OBEDIENTIA ET FIDELITATE.

QUAM THEOBALDUS CANONICUS S. Genovefæ *præſentibus ſacroſanctis Evangeliis, & in verbo Sacerdotis promiſit Epiſcopo Pariſienſi, cui præſentatus eſt ad curam animarum Parochiæ de Monte ſuſcipiendam.*

Ex Chartulis Eccleſiæ Pariſienſis.

ODo Dei gratia Pariſienſis epiſcopus, omnibus præſentes literas inſpecturis, in Domino ſalutem. Notum facimus, quòd per *Amaricum* Canonicum ſanctæ *Genovefæ* de *Monte*, qui nobis tradidit literas *Ioannis* Abbatis ſanctæ *Genovefæ* apertas, ex parte ejuſdem nobis fuit præſentatus *Theo-*

baldus Canonicus ſanctæ *Genovefæ* ad curam animarum Parochiæ de *Monte* : & idem *Theobaldus* curam animarum Parochiæ ejuſdem ſuſcepit à nobis, & præſentibus ſacroſanctis Evangeliis, & deoſculatus ab eodem promiſit nobis ſicut Epiſcopo Pariſienſi in verbo Sacerdotis, & ſuper ordinem ſuum, juſtitiam, obedientiam, & fidelitatem, quamdiu regeret Parochiam memoratam. Hoc autem totum factum eſt Pariſius in capella ſuperiori præſentibus *Archemboldo* Decano Bituricenſi, & magiſtro *Iordano* ſocio ejus, *Gaufrido* de *Lenda*, Magiſtro *Lothario*, Magiſtro *Bernardo*, *Gaufrido* de *Piſſiaco*, Magiſtro *Nicolao Gregorio* R. de *Lineriis*, *Guidone* Archipreſbytero, & *Leodegario* Clerico ejus, *Odone* Preſbytero de *Viceor*, *Petro* nepote Engoliſmenſis Epiſcopi, *Roberto* Buturicenſi, *Petro* de *Linerii* Clerico, *Nivelone*, *Ioanne* Clerico Magiſtri *Lotherii*, *Odone* de ſancto *Mederico*, *Vuillelmo Eſcuacol*, *Ioanne Maurino* tunc etiam præſentato ab eodem, *Vuillelmo* fratre *Otrinio*, & fratre *Petro* de ſancto *Lazaro*. In cujus rei memoriam præſentem chartam ſigilli noſtri fecimus impreſſione muniri. Actum anno M. CC. II. menſe Jun. Pontificatus noſtri anno V.

VII.

DE OBEDIENTIA CANONICA ET DEBITA,

QVAM ABBATISSA FARENSIS MONASTERII promitit Epiſcopo Meldenſi, à quo benedicitur juxta ſtatutum conventus Sueſſionenſis.

Ex Chartulario Farenſis Monaſterii.

M. Dei gratia Floriacenſis Abbas, omnibus ad quoſcumque Litteræ iſtæ pervenerint, Salutem in Domino. Defuncta bonæ memoriæ Abbatiſſa Farenſis monaſterii cùm aliam regulariter electam Meldenſi Epiſcopo ad Benedicendum Sanctimoniales & Clerici præſentarent, benedictionem ejus diutiſſimè diſtulit, quia obedientiam non niſi ſalvo jure & dignitate Monaſterii ſui promittere voluit. Accidit autem, ut conventus Pontificum pro quibuſdam negotiis Regni Sueſſionis fieret, ad quem prædicta Abbatella porrexit, pro Can-

ſa ſua congregatos rogatura Pontifices; effecitque, ut Archiepiſcopi Remenſis, Senonenſis, Bituricenſis, Turonenſis pro ſe Dominum Meldenſem .... Cumque diutius eſſet inter eos cauſæ hujus ventilata tractatio, ſtatutum eſt ambarum partium conniventia & conſenſu, ut Epiſcopus Abbatiſſam benediceret, eaque obedientiam canonicam ac debitam promitteret. Die ergo & loco benedicendæ Abbatiſſæ conſtituto Meldis venimus; & cùm jam ex parte benedicta eſſet Abbatiſſa, & Miſſa ex parte celebrata: Meldenſes Clerici obedientiæ chartulam non juxta condictum, ſed ad libitum conſcribentes, percunctati ſunt, ut obedientiam illam & ſubjectionem, ſicut ſcribebatur, Abbatiſſa promitteret. Cumque illa nihil plus condicto promiſſuram ſe diceret, & illi in Sueſſionenſi illo Conventu ſtatutam fuiſſe obedientiæ plenitudinem aſſererent: Abbatiſſa & ſuis contra renitentibus & deducentibus, uſque poſt medium diem & Abbatiſſæ benedictio & Miſſæ conſummatio dilata eſt. Caſu erat Meldis ea die Archipræſul Turonenſis, placiti Sueſſionenſis memor & actor, ad quem ab utriſque partibus miſſa legatio nil aliud reperit quàm obedientiam canonicam & debitam profitendam. Epiſcopus itaque habita cum ſuis deliberatione, atque conſilio, Abbatiſſam benedixit, Miſſam complevit, & obedientiam quæ ſibi debebatur expetiit. Moniales autem & Clerici adverſus Abbatiſſam & Epiſcopum audientiam Domini Papæ appellaverunt, ſi vel illa indebitum quidpiam promitteret, vel ille indebitum extorqueret, quodque libertati vel Privilegiis Farenſis Monaſterii contrairet. Abbatiſſa autem habito conſilio juxta Condictum Sueſſionenſem, obedientiam canonicam & debitam promiſit, ſalvo jure & Privilegiis Farenſis Monaſterii. Porro benedictione completa Abbatiſſæ, cum domum redire vellet, Domnus *Radulphus* Archidiaconus aliam ei ſtruxit, novavitque calumniam dicens juris ſui eſſe inthronizare Abbatiſſam. Quod cum illa conſtantiſſime negaret, appellavit ad Dominum Papam. Tandem tamen laudantibus Abbatibus, qui tunc fortè aderant promiſſum eſt ei intereſſe inthronizationi: ita dumtaxat, ut nihil ibi exactionis ageret, nil procurationis acciperet, nec quod modo fiebat in poſterum Farenſi Eccleſiæ prejudicaret. Valete.

Digitized by Google

VIII.

DE OBEDIENTIA CANONICA, ET SUBJECTIONE, QUAM FRATRES SANCTÆ TRINITATIS, QUI SUNT IN DOMO DEI MELD. EPISCOPO ET SUCCESSORIBUS TENENTUR REPROMITTERE.

Ex Chartulario Eccleſiæ Meldenſis.

OMnibus præſentes literas inſpecturis, frater *Nicolaus major* miniſter totius ordinis ſanctæ Trinitatis & captivorum, totumque generale capitulum ejuſdem ordinis, ſalutem in Domino. Notum facimus, quòd illuſtris vir *Th.* Dei gratia Rex Navarræ, Campaniæ, & Briæ, Comes Palatinus, & venerabilis pater P. eadem gratia Meld. Epiſcopus de communi voluntate, aſſenſu ſuo domum Dei Meld. ſitam prope Eccleſiam beati *Stephani* cum omnibus pertinentiis & appendiciis ſuis donaverunt, & conceſſerunt ordini noſtro in perpetuum poſſidendam: Statuentes etiam & volentes, ut bona dictæ domus, quæ ad præſens poſſidet, aut fructus ſive proventus qui percipientur ex eiſdem in uſus pauperum, & hoſpitalis, & fratrum ibidem Deo ſervientium, ſine aliqua diminutione, & ſeparatione tertiæ partis, integraliter erogentur. *Nos* autem hæc volentes & concedentes volumus & concedimus, quòd miniſter qui præerit eidem domui, dicto Epiſcopo & ſucceſſoribus ſuis canonicam obedientiam repromittat; & ipſe miniſter vel alius frater idoneus, quem idem miniſter præſentabit Epiſcopo Meldenſi recipiet ab eo curam Eccleſiæ S. *Remigii*, & ſerviet eccleſiæ beati *Stephani*, ſicut antea per curatum ejuſdem eccleſiæ fieri conſuevit. Actum in Capitulo generali anno Domini M. CC. XLIV.

IX.

CHARTA MAXIME NOTANDA

DE AVCTORITATE ET DILIGENTIA Archiepiſcopi Viennenſis Eccleſiæ ad reſtaurandam Eccleſiam & monaſteriorum diſciplinam: De privilegio à patribus Concilii Viennenſis dato: De electione canonica præpoſiti: De quibuſdam monitis adverſus ſimoniam: & De ſtatutis Patrum ſervandis.

Ex Chartulario de honoribus S. Juliano collatis in Comitatu Brivatenſi.

IN nomine ſanctæ & individuæ Trinitatis. Notum eſſe volumus, Viennenſis Eccleſiæ filiis præſentibus & futuris, qualiter ego *Leodegarius* hujus matris Eccleſiæ Archiepiſcopus de reſtauratione Eccleſiarum ſancti *Ferreoli* martyris Chriſti & patroni noſtri ſollicitus fui. Præſentes quidem urbis hujus habitatores penè omnes noverunt, quantum laborem atque anguſtiam paſſus ſum, ut officia divina requieſcerent in eis & citra Rodanum. Cùm autem legiſſem vitam ſancti *Clari* Abbatis noſtri, in qua continentur antiquæ & venerabiles congregationes denotatæ, monachorum ſcilicet, ac Canonicorum, ſeu ſanctimonialium virginum, & viduarum degentium per ſancta loca in civitate noſtra intus & extra; & reperiſſem cœnobium S. Juliani quadringentorum monachorum inſigne, nec omnibus bonis abraſum: inſtiti, ut potui, ut qualicumque modo divinis obſequiis non careret. Audiens ergo monaſterii ſancti *Victoris*, quod eſt ſitum apud Maſſilium urbem maritimam, laudabilem famam, aſcivi congregationis illius fratres, inſtante domno *Iſarno* eorum Abbate, qui & ſua & noſtra bene rexit. Delegavi eis prædicta loca ſancti *Iuliani*, inſuper & Eccleſiam ſancti *Iuliani*, quæ eſt ſita juxta mœnia urbis, cum quibuſdam campis, & vineis, ſylvis, & ſaliceris tam cis quàm citra Rhodanum, non de communi ſtipendio Canonicorum, ſed de Epiſcopali peculio, & quamdam villam nomine Cirinum; & in villa *Iaino* quædam in tribus locis. Quæ omnia, ſicut inquirendo cognovimus,

cum multis aliis, quæ ſancti *Ferreoli* fuerunt, data ſunt. Sed defuncto prædicto Abbate *Iſarna*, elegerunt alium nomine *Petrum*, qui locum noſtrum redegit deſolatum & peſſumdatum. Quem commovi per epiſtolas ſæpe, & per legatos viva voce, quouſque, ut legitur, remanſit domus noſtra deſerta. Quam injuriam Clerus & populus urbis noſtræ non ferens, ab eis vi coactus ſum, ut propter veterem amicitiam *Ferreoli* & *Iuliani* Martyrum Brivatenſes Clericos advocarem, & eis prædicta concederem, ne eorum bona voluntas periret. Quod & ſic factum eſt. Privilegium tamen eis nunquam ſcripſi, neque aliquis à me extorquere potuit, quia Maſſilienſibus ſcripſeram, & ſicut præfatus ſum, conceſſeram. Interea Papa Romanus *Nicolaus* ſecundus quemdam *Stephanum* domus . . . . . Cardinalem Preſbyterum ad nos miſit ad celebrandum Viennæ concilium, in quo conventu multorum Epiſcoporum, atque Abbatum, diverſique ordinis procerum reſidentium, hæc res venit ad medium. Aderat *Durandus* tunc Abbas Maſſilienſium quondam Præpoſitus iſtorum locorum. Quid multa? Duobus diebus hæc res retracta & audita, clamor videlicet Canonicorum noſtrorum, & injuria facta, ut conquerebantur, Monachorum. Tandem die tertia judicio omnium reſidentium, & præcipuè *Hugonis* Abbatis Cluniacenſium decretum eſt, ut Martyris *Ferreoli* bona præſentia & futura cum bonis amici ſui *Iuliani* jungerentur: Quod & factum eſt. Privilegium ſanè, quod prædictus Abbas *Durandus* manu tenebat, à Cardinali ſuſceptum, & particulatim diſruptum eſt, omnibus videntibus atque laudantibus. Hæc modo prælibavimus, ut deinceps omnis contentio, à quocumque excitetur, omnimodo ſopiatur: & privilegium, quod tantorum virorum auctoritate conficitur, inconvulſum permaneat. Nomina verò præſentium pontificum ſubter annotari placuit, ut legentibus fidem faciant hujuſmodi verbis atque perſonis. . . . . . .

Ego *Leodegarius* prędictæ eccleſiæ Viennenſis ſervus, communi laude Canonicorum noſtrorum concedo beato *Iuliano*, & Canonicis ejus pręſentibus & futuris, utraſque eccleſias ſancti *Ferreoli*, unà cum eis ſancti *Symphoriani*, ſimulque prędia jam dicta cum campis, vineis, ſylvis, & ſalice-

tis, cum arboribus pomiferis & impomiferis, cum aquis, aquarumque decurſibus conceſſis & concedendis ad laudem Dei ac ſervientium ſanctæ eccleſiæ, non ut deſtruant, ſed ædificent, & pro poſſe cum aggregatis Clericis canonice vivant; ita dumtaxat, ut bona quæ cognoverint libenter adimpleant, & quod non plene cognoverint, obedienter diſcant, & non ſuperbè deſpiciant. Ergo ut deinceps quæ prędicamus, inconvulſa permaneant, Eccleſiæ & domus ſępedictæ deſertæ & deſolatæ Deo annuente & ſanctis Martyribus intercedentibus reſtaurentur: ordinamus ibi Prępoſitum ſancti *Iuliani* Brivatenſis alumnum nomine *Petrum* Decanum, & delegamus ſocium noſtræ congregationis Canonicum, & Archidiaconum nomine *Richardum*, ut eorum labore & induſtria cum aliis ſervis Dei reviviſcant ibi divina & humana obſequia. De cetero qui ibi prępoſitus electus fuerit à fratribus, qui ibidem Deo ſervituri ſunt, aut de noſtris, aut de Brivatenſibus eorum, & noſtro capitulo, confirmata laude obteſtamur per Trinitatem Dei & electos Angelos, & per merita ſanctorum Martyrum *Mauritii* & ſociorum ejus, necnon *Ferreoli* & *Iuliani*, ut ſine pretio electio fiat, neque turpis lucri gratia aliqua cupiditate captus de tali negotio lucrum det vel recipiat. Quòd ſi fecerit, & non reſipuerit, veniat ſuper eum quod ſcriptum eſt: * *Qui dat & qui accipit, anathema ſit.* Omnes prævideant & habitatores in eodem loco, & congregatio noſtra, ſimulque Brivâtenſis; & quemcumque idoneum invenerint, aut de noſtris, aut de Brivatenſibus, vel de his qui ibidem aggregati fuerint in Dei ſervitio, communi eligant conſilio: & hoc abſque pretio. Ad nos verò, fratres chariſſimi ſucceſſores mei, nunc ſermonem meum converto. Obſecro charitatem veſtram, ut cùm audieritis in quantam gloriam Eccleſiarum, ſimulque Principum, & Populi, civitas noſtra quondam floruerit, & in quantam miſeriam ut videtis venerit, inconvulſa cuſtodiatis ea quæ de paupertate, non ſecundùm velle, ſed ſecundùm poſſe reſtaurare cœpimus, ſicut vultis veſtra ſervari ſtatuta à ſucceſſoribus veſtris. Si autem in bono amplificaritis, mercedem accipietis: ſi autem bene cępta male tractaveritis, Rex martyrum *Fereoli* & *Iuliani* vindictam

Vide Conc. Chalced. c. 11.

Digitized by

dictam faciet de vobis. Data per manus Stephani Preſbyteri III. Kalend. Mart. luna III. feria VII. anno ab incarnatione Domini noſtri Jeſu Chriſti M. LXVI. & XXXVI. Domni *Leodegarii* Archiepiſcopi, qui hoc privilegium fecit, laudantibus his ſubter notatis.

STEPHANVS Romanæ ſedis Preſbyter Cardinalis.
LEODEGARIVS Viennenſis Archiepiſcopus ceterorum primus.
VINBERTVS Laudunenſis Archiepiſcopus.
AGAMO Æduenſis Epiſcopus.
HVGO Dinienſis Epiſcopus.
AICARDVS Cabilonenſis Epiſcopus.
GAVTERANDVS. Belicenſis Epiſcopus.

Signum Canonicorum ſancti MAVRITII Viennenſis Eccleſiæ.

ACMARI Decani,
ROSTONNI Archidiaconi,
BERNARDI Archidiaconi,
RICHARDI Archidiaconi,
ADALARDI Philoſophi,
BERNARDI Canonici,
RICHARDI Præcantoris, & aliorum Canonicorum.

Præterea vobis Brivatenſibus Clericis Eccleſiæ ſancti *Iuliani* hîc annotari placuit, quòd hęc bona, quæ à Patribus & à fratribus Viennenſis Eccleſiæ Canonicis nobis conceduntur, quibuſdam fratribus, videlicet *Petro* eccleſiæ Brivatenſis Canonico, & *Richardo* Viennenſis eccleſiæ Canonico, & Archidiacono prębemus, qui etiam profeſſionem & obedientiam promittunt. Quod illis, qui hoc bonum poſt finem iſtorum habituri ſunt, faciendum cenſemus, & ab iſtis & ab illis hunc cenſum retinemus.

Signum STEPHANI Epiſcopi & Prępoſiti.
PONTII Abbatis.
PETRI Epiſcopi, & Decani Brivatenſis eccleſiæ.

Bertramni magiſtri Scholarum, & Gvillelmi; & Falconis, & Nibonis, & Petri, & Roberti, Teolmatii, & Pontii, & Armandi, & omnium Canonicorum Brivatenſium.

X.

CHARTA QUA DALMATIUS ABBAS COMMENDAT MONASTERIA STEPHANO EPISCOPO,

Vt pote Proviſori & Domino ipſorum, ut regulæ firmitas integra permaneat.

Ex eodem Chartulario.

IN primis dimitto ſancto *Iuliano* in ipſo vico Brivate Eccleſiam, quæ eſt fundata in honore ſancti *Petri* cum omnibus ſuis pertinentiis, eo videlicet tenore, ut ſit omni tempore in communia fratrum cum omnibus quæ ibidem pertinent: & teneat ipſam Eccleſiam *Aimenrad* in obedientiam, & villam de Clamone. Similiter ſanctæ *Mariæ* dimitto manſos x. & teneat *Roſtagnus* Prępoſitus in obedientiam. Dimitto ſancto *Sebaſtiano* totam illam terram, quam tenebam de terra ſancti *Sebaſtiani*, ut ſit in communia Abbati & Monachis ejuſdem loci, & caſtrum ſimiliter de *Rogoin*. Similiter dimitto ſancto *Sebaſtiano* & ejus Abbati: ut ſit Abbas ejuſdem loci *Aregtanus*. Precor Domnum *Stephanum* Epiſcopum, ut benedicat prędictum *Areſtagnum* ad Abbatem de magno loco. Et precor ipſum jam dictum Epiſcopum *Stephanum*, ut ſit proviſor & Dominus de his monaſteriis, & de regulæ firmitate in omnibus bonis.

X I.

MANDATUM ALEXANDRI PAPÆ III.

QVOD SI CONVENTVS NON CONCORDAT in electione Abbatis, ad Epiſcopum pertineat in Abbatem confirmare illum, in quem major & ſanior pars conſenſerit.

Ex Chartulario Eccleſiæ Meldenſis.

ALexander Epiſcopus ſervus ſervorum Dei, venerabili fratri *Stephano* Meldenſi Epiſcopo, ſalutem & Apoſtolicam benedictionem. Pro diſſenſione fratrum, monaſteria tui Epiſcopatus contingit ſæpius, ſicut aſſeris, diutius paſtore carere. Contrahantur ſtudia plurium ad diverſa, ut in idem valeant convenire: unumque ſcilicet hoc remedium adhiberi deſideras, ne per defectum paſtoris religioſa loca (quod avertat Deus) gravius elabantur. Nos tuum deſiderium favore debito proſequentes, præſentibus tibi literis indulgemus, ut ſi quando Monaſterium aliquod tuæ juriſdictionis vacare contigerit, nec ad commonitionem tuam fratres vel ſorores ejuſdem loci infra congruum tempus, quod eis duxeris præfigendum, in perſonam potuerint idoneam concordare, fas tibi ſit perſonam illam in Abbatem vel Abbatiſſam, dummodo ſit idonea, auctoritate Apoſtolica confirmare, in quam majorem & ſaniorem partem Capituli noveris convenire. Datum Lateran. XII. Kalend. Mart.

X I I.

QVOD SI CAPITVLVM INTER SE DISCORDAT, Epiſcopus poteſt cognoſcere de cauſa.

Ex eodem Chartulario.

ALexander Epiſcopus ſervus ſervorum Dei, venerabili fratri *Stephano* Meldenſi Epiſcopo, ſalutem & Apoſtolicam benedictionem. Pontificalis exigit cura regiminis, ut fratres diſſidentes, quantùm potes, cum juſtitia ſatagas ad

concordiam revocare. Inde eſt, quòd præſentibus tibi literis indulgemus, ut ſi de rebus quæ ad Capitulum tuum pertinent inter Canonicos tuos diſcordia (quod abſit) emerſerit, & infra terminum competentem, quem illis præfixeris, nequiverint convenire, liberum tibi ſit de cauſa cognoſcere, vel committere alii negotium terminandum.....

ARTICVLVS SECVNDVS.

PRVILEGIA MONASTERIIS A SUMMIS PONTIFICIBUS CONCESSA, SALVA SEMPER QUÆ EPISCOPO DEBETUR CANONICA REVERENTIA.

I.

PRIVILEGIUM AB URBANO II MONASTERIO S. NICOLAI CONCESSUM, SALVA EPISCOPI ANDEGAVENSIS CANONICA REVERENTIA.

Ex Regeſto de Comitatu Andegavenſi.

UNiverſis preſentes litteras inſpecturis & audituris, Officialis Andegavenſis, ſalutem in Domino. Noveritis nos vidiſſe & diligenter inſpexiſſe litteras recolendæ memoriæ Summi Pontificis Domini *Vrbani* Secundi Papæ cum vero filo ſirico, & vera bulla plumbea, ut prima facie apparebat, bullatas, non cancellatas, non abolitas, nec in aliqua parte viciatas, formam quæ ſequitur de verbo ad verbum continentés.

Vrbanus epiſcopus ſervus Servorum Dei, dilecto filio *Natali* Abbati Monaſterii ſancti *Nicolai*, quod ſecus Andegau,

ſitum eſt, ejuſque Succeſſoribus regulariter ſubſtituendis. Religioſis deſideriis dignum eſt favorabilem prębere conſenſum, vt fidelis donatio cœlorum ſortiatur effectûm. Tuæ igitur devotionis, ac Fulconis egregii Andegavorum Comitis precibus aurem accommodantes, beati *Nicolai* monaſterium, quod diſponentes Domino noſtris manibus conſecramus, pręſentis decreti auctoritate munimus. Statuimus, ut ea quę prędictus Comes in ipſius Eccleſiæ dedicatione noſtris exhortationibus per noſtras manus obtulit, tantum ſcilicet terræ in Sylvacane quantum tribus ſufficere debeat, & terra de Avallo, quam idem Comes *Guillelmus* Aurelianenſis dederat, quidquid etiam immunitatis ſeu donationis de ſuo jure ipſius prædeceſſores Comites *Ioffredus* & *Fulco* eidem Eccleſiæ contulerunt, & quęcumque hodie juſte poſſidet, ſive in futurum juſte atque canonice poterit adipiſci, firma tibi tuiſque ſucceſſoribus & illibata permaneant. In quibus hæc propriis duximus nominibus exprimenda: Eccleſiam de *Ariaco*, de ſancta *Comma*, de *Caſtillio*, *Segregio*, de *Bulleio*, de *Paucio*, de *Aracoio*, de *Cupollio*; in pago Pictavenſi Eccleſias de *Monaſterolo*, de *Alneio*, de *Rilliaco*, de *Borchiaco*, de *Puſaruiis*, in Epiſcopatu Cenomanenſi Eccleſias de *Geprona*, de *Potroniaco*, in Epiſcopatu ſancti *Machuti* Eccleſiam S. *Paterni*: in Naunoronenſi Eccleſiam ſancti *Lamberti*, Cappellam de *Donacelli*, de *Cornidquuſe*, de *Prugniaco*; in Anglia, in Epiſcopatu Lincobenſi Eccleſiam de *Gniongta*, de *Spalmeta* cum Eccleſiis quæ ad eam pertinent de *Guilguenna*; in Epiſcopatu Coſtronenſi Eccleſiam de *Quircheberia*; in Guallis in Epiſcopatu de Glomnorgant Eccleſiam de *Caillone* cum appenditiis & poſſeſſionibus earum. Ipſum itaque locum viſitandum, honorandum, ac protegendum univerſis fidelibus commendamus, pro cujus devotionis beneficio, & omnipotentis Dei miſericordia, & S. Apoſtolorum auctoritate fidentes per beati *Michaëlis* merita, judicii pro peccatis accepti partem ſeptimam illis remittimus, qui in dedicationis die animo devoto illuc convenire curaverint: eo nimirum tenore, ut die ipſo pauperes Abbas & Monachi paſcant; & die altero pſalmos cum letaniis ſeptem in conventu decantent, & miſſam publicam celebrent, quos profecto omnes eundo & redeundo ab ad-

verſariis quibuſcunque ſecuros eſſe pręcipimus. Ad hęc adjicientes decrevimus, ut nulli omnino hominum liceat id cœnobium temerè perturbare, aut ejus poſſeſſiones aufferre, vel ablata retinere, minuere, vel temerariis vexationibus fatigare; ſed omnia integra conſerventur eorum, pro quorum ſuſtentatione & gubernatione conceſſa ſunt, uſibus omnimodis profutura, ſalva Andegavenſis Epiſcopi Canonica reverentia. Datum apud Sableulium per manum *Ioannis* ſanctæ Romanæ Eccleſiæ Diaconi Cardinalis XVI. Kalend. Indict. IV. anno Domini M. XCVI. Pontificatus autem Domini *Vrbani* ſecundi Papæ VIII.

Quod autem Nos Officialis Andegavenſis vidimus, teſtamur, & quod teſtamur approbamus; & in teſtimonium præmiſſorum præſentibus literis ſigillum noſtrum, ſcilicet ſigillum Curiæ Andegavenſis apponendum duximus. Datum die Veneris ante feſtum S. *Martini* Hiemalis anno Domini. M. CCC. XII.

II.

PRIVILEGIUM AB URBANO II. ECCLESIÆ S. RUFFI CONCESSUM, *SALVA IN OMNIBVS AVENIONENSIS Epiſcopi Canonica Reverentia.*

Ex Chartulario Eccleſiæ S. Ruffi.

URbanus Epiſcopus ſervus ſervorum Dei, dilectis in Chriſto filiis *Arberto* Abbati, ejuſque fratribus in Eccleſia S. *Ruffi* Canonicam vitam profeſſis, & eorum ſucceſſoribus in eadem Religione permanſuris in perpetuum. Deſiderium, quod ad Religioſum propoſitum & animarum ſalutem pertinere monſtratur, auctore Deo ſine aliqua eſt dilatione complendum. Quia igitur filii in Chriſto cariſſimi per omnipotentis Dei gratiam aſpirati, primam naſcentis Eccleſiæ converſationem multis jam temporibus deſtitutam renovare propoſuiſtis, ut ſecundùm SS. Patrum inſtituta corde uno & una anima ſub jugo regulæ omnipotenti Domino ſerviatis; nos Religioni veſtræ paterno congratulamur affectu. Et ut ſemel

inchoata religio autore Deo ſemper inviolabilis perſeveret, tam vos quàm veſtra omnia ſedis Apoſtolicæ gremio confoventes, præſentis privilegii autoritate munimus. Statuimus enim, ut nemini inter vos profeſſione exhibita proprium quid habere, nec ſine tua, fili *Arberte* Abbas, & eorum qui poſt te in eodem regimine ſucceſſerint, aut ſine communi Congregationis licentia de clauſtro diſcedere liberum ſit; & ſi diſceſſerit, & commonitus redire contempſerit, tibi tuiſque ſucceſſoribus facultas ſit ejuſmodi ubilibet à ſuis officiis interdicere: interdictum verò nullus Epiſcoporum Abbatumve ſuſcipiat. Præterea per præſentis decreti paginam Apoſtolica vobis autoritate firmamus Eccleſiam ſanctæ *Mariæ* infra urbem Lugdunenſem, Eccleſiam ſancti *Petri* ſecus Diam, Eccleſiam S. *Iacobi* de *Melgorio*, Eccleſiam de *Buxa*, Eccleſiam de *Turre*, Eccleſiam de *Cantyrag*, Eccleſiam de *Vences*, Eccleſiam de *Armazanazas* cum capella, Eccleſiam de *Boterita*, & omnia quæ Epiſcopi Avenionenſes *Benedictus Roſtagnus*, & *Gibillinus* veſtræ Eccleſiæ contulerunt. Ad hæc etiam adjicimus, ut quæcumque hodie veſtrum cœnobium juſte poſſidet, ſive in futurum conceſſione Pontificum, liberalitate Principum, nec oblatione fidelium juſte ac canonice poterit adipiſci, vobis veſtriſque ſucceſſoribus, qui in eadem Religione permanſerint, integra ſemper illibataque permaneant. Decernimus ergo, ut nulli omnino hominum liceat idem cœnobium temerè perturbare, aut ejus poſſeſſiones aufferre, vel ablatas retinere, minuere, vel temerariis vexationibus fatigare; ſed omnia integra conſerventur eorum, pro quorum ſuſtentatione & gubernatione conceſſa ſunt, uſibus omnimodis profutura, ſalva in omnibus Avenionenſis Epiſcopi Canonica reverentia. Datum Tricaſt. per manum *Ioannis* ſanctæ Romanæ Eccleſiæ Diaconi Cardinalis, indictione tertia, decimo tertio Kalend. Octobris, anno Dominicæ Incarnationis milleſimo nonageſimo ſexto, Pontificatus verò Domini *Vrbani* ſecundi Papæ VIII.

III.

PRIVILEGIUM CALIXTI PAPÆ II.

DE OBEDIENTIA ET REVERENTIA quam omnes Clerici & Abbates Epiſcopo tanquam membra capiti adhærentia exhibere tenentur.

Ex Chartulis Eccleſiæ Pariſienſis, & ex Paſtorali minore.

CAlixtus Epiſcopus ſervus ſervorum Dei, venerabili fratri G. Epiſcopo & Canonicis Pariſienſis Eccleſiæ, ſalutem & Apoſtolicam benedictionem. Apoſtolicæ adminiſtrationis debito provocamur, ſuam Eccleſiis dignitatem & juſtitiam conſervare. Quapropter veſtram matricem beatæ *Mariæ* Eccleſiam in ſuæ dignitatis ſtatu volumus per Dei gratiam permanere. Proinde præſentis ſcripti ſtabilitate ſtatuimus, ut omnes & Clerici, & Abbates ad ſedem Pariſienſem pertinentes, tibi, Chariſſime frater G. Epiſcope, tanquam Paſtori ſuo, & tanquam membra capiti adhærentia, & ſucceſſoribus tuis, debitam obedientiam & reverentiam ſemper exhibeant. Illud etiam juxta ſanctorum Canonum cenſuram decernimus, ut ſi aliquis Eccleſiæ Pariſienſis Canonicus ad Epiſcopatus fuerit honorem promotus, & alterius Eccleſiæ gubernacula beneficiaque ſuſceperit, illius de qua aſſumptus eſt Eccleſiæ privetur canonica. Datum Laterani V. Kalend. Aprilis, Indict. I.

IV.

PRIVILEGIUM AB INNOCENTIO III.

ABBATI S. RUFFI CONCESSUM,

SALVA SEDIS APOSTOLICÆ AUCTORITATE, & Diœceſanorum Epiſcoporum ſervata Canonica ratione.

Ex Chartulario Eccleſiæ S. Ruffi.

INnocentius Epiſcopus ſervus ſervorum Dei, dilectis filiis Abbati S. *Ruffi*, ejuſque fratribus tam præſentibus quàm futuris

turis Regularem vitam profeſſis in perpetuum. Regularem vitam eligentibus Apoſtolicum convenit adeſſe præſidium, ne cujuſlibet temeritatis incurſus eos à propoſito revocet, aut robur (quod abſit) ſacræ Religionis infringat. Eapropter dilecti in Domino filii veſtris juſtis poſtulationibus clementer annuimus; & eccleſiam beati Ruffi in inſula, quæ dicitur Eſparveria, ſitam, in qua eſtis divino obſequio mancipati, felicis recordationis *Alexandri* & *Vrbani* prædeceſſorum noſtrorum veſtigiis inhærentes, ſub beati *Petri* & noſtra protectione ſuſcipimus, & præſentis ſcripti privilegio communimus: in primis ſtatuentes, ut ordo Canonicus qui ſecundum Deum & beati *Auguſtini* regulam in Eccleſia veſtra inſtitutus eſſe dignoſcitur, perpetuis in ea temporibus inviolabiliter obſervetur: præterea quaſcunque poſſeſſiones, quæcunque bona eadem Eccleſia in præſentiarum juſtè & canonicè poſſidet, vel in futurum conceſſione Pontificum, largitione Regum vel Principum, oblatione fidelium, ſeu aliis juſtis modis, præſtante Domino, poterit adipiſci: firma vobis veſtriſque ſucceſſoribus & illibata permaneant. In quibus hæc propriis duximus exprimenda vocabulis, locum ipſum in quo Eccleſia veſtra memorata ſita eſt, cum libertate & quiete Eccleſiarum veſtrarum, cimiteriis, prædiis, terris, decimis, & aliis ad eandem Eccleſiam pertinentibus; Eccleſiam ſanctæ *Mariæ* intra urbem Lugdunenſem cum cimiterio, parochia, decimis vinearum & capellis ſuis, videlicet *S. Marcelli* ſupra murum ipſius urbis, *S. Andreæ* de *Corziaco*, & *S. Marcelli*; Eccleſiam de *Condoyſſo* cum ſexta decima parte portus Rhodani Lugdun. Eccleſiam de *Buxa* cum cimiterio, parochia, capellis ſuis, decimis de *Gireu* & de *Monthoel*; Eccleſiam *Ordinacii* cum ſeptem Eccleſiis ſuis, Eccleſiam ſcilicet de *Chillinio*, Eccleſiam de *Corbellino* cum capella de *Favergiis*, Eccleſiam de *Romaniaco* Eccleſiam S. *Symphoriani*, Eccleſiam S. *Martini* de *Vienna* cum Eccleſiis ſibi ſubjectis, Eccleſiam S. *Nicetii* de *Monte*, de *Sicillino* & de *Vermello* cum appenditiis ſuis, Eccleſiam Eremitarum de *Cumba* cum appenditiis ſuis, Eccleſiam beatæ *Mariæ* in inſula ſubtus Viennam cum Eccleſia de *Viloſco*, & de *Loſa*, & omnibus aliis pertinentiis ſuis, Eccleſiam S. *Andreæ* de *Coſta* cum Eccleſia de *Flaveriis*

& appenditiis ſuis, Eccleſias de *Peladru* cum appenditiis, Eccleſiam S. *Martini* de *Perau* cum capellis & appenditiis ſuis, Eccleſiam S. *Mariæ* de *Annoniaco* cum Eccleſiis S. *Ioannis*, S. *Ruſtici*, S. *Michaëlis*, & S. *Dionyſii* cum earum pertinentiis, Eccleſiam S. *Iacobi* in civitate Valentia, Eccleſiam S. *Petri* Dienſis cum Eccleſiis S. *Petri* de *Valle Drome*, & de *Chalençon*; Eccleſiam S. *Mariæ*, de *Claellis* cum appenditiis ſuis, Eccleſiam de *Tauliniaco* cum capella & pertinentiis ſuis, Eccleſiam de *Argentio* cum pertinentiis ſuis, Eccleſiam de *Medullione* cum tribus Eccleſiis de *Podio*, de *Verez*, & de *Bota* cum appenditiis ſuis; Eccleſiam de *Sarreriis* cum cappellis de *Iione*, & de *Goudeſiart*, & S. *Sepulcri* cum appenditiis ſuis; Eccleſiam S. *Andeoli*, ubi & corpus ipſius jacet cum Eccleſiis & pertinentiis ſuis, Eccleſiam videlicet S. *Michaëlis*, Eccleſiam S. *Polycarpi*, Eccleſiam de *Chalun*, & Eccleſiam S. *Mariæ* de *Flacciano*, & Eccleſiam de *Chazun* cum pertinentiis ſuis, & Eccleſiam S. *Nazarii* cum ea decimatione, & pertinentiis ſuis; Eccleſiam S. *Ioannis* Vallis Longæ, Eccleſiam S. *Mariæ* de *Albaniat* cum pertinentiis ſuis, Eccleſiam de *Turre* cum Eccleſiis S. *Eulaliæ*, S. *Victoris*, & S. *Petri* de *Aurvis* cum pertinentiis earum; Eccleſiam S. *Petri* de *Venciis* cum Eccleſia S. *Ceciliæ*, & appenditiis ſuis: Eccleſiam S. *Veredimii* cum tota parochia ſua, & rebus ad ipſam pertinentibus, & Eccleſia S. *Mariæ* de *Aquariis*: Eccleſiam S. *Mariæ* de *Mandolio* cum Eccleſia de *Ivano*, & earum pertinentiis: Eccleſiam S. *Saturnini* de *Amazanicis* cum capella ipſius caſtri, & tertiam partem decimarum Eccleſiæ de *Tilliano*; Eccleſiam S. *Martini* de *Cancyraco* cum cappellis ſuis de *Medio campo* de *Canoys* cum pertinentiis ſuis, Eccleſiam S. *Iacobi* de *Melgorio* cum pertinentiis ſuis, Eccleſiam de *Seta* cum pertinentiis ſuis, Eccleſiam S. *Petri* de *Caſtro novo* cum honore & pertinentiis ſuis, Eccleſias S. *Mariæ* & S. *Felicis* cum pertinentiis ſuis, Eccleſiam S. Mariæ de *Biſulduno* cum Eccleſiis ſuis, S. *Vincentii*, S. *Mariæ Novæ*, S. *Martini* de *Lapelladas*, de *Saras*, de *Socoaras* & de *Balbis*, S. *Cornelii*, S. *Silveſtri*, S. *Quintini*, & Eccleſia de *Ribillis* cum omnibus earum pertinentiis; Eccleſias S. *Mariæ* de *Tarracia* cum Eccleſiis S. *Petri*, S. *Michaëlis*, S. *Fructuoſi*, S. *Iuliani*, S. *Eulaliæ* cum earum pertinentiis,

Digitized by Google

Eccleſiam *S. Ruffi* extra muros civitatis *Ilerdæ* cum pertinentiis ſuis, Eccleſiam S. *Michaëlis Deſcalada* cum Eccleſia S. *Fructuoſi* in eodem loco ſita, Eccleſiam S. *Martini* de *Ponte* cum Eccleſia S. *Mariæ* in eadem villa ſita, Eccleſiam S. *Felicis* cum Eccleſia S. *Mariæ*, Eccleſiam S. *Cypriani* de *Villamors*, Eccleſias de *Scalado*, Eccleſiam de *Villa Morli*, Eccleſiam de *Robollo*, Eccleſiam S. *Petri de Cavaſaya* cum Eccleſia S. *Mauritii*, S. *Hilarii de Mollerone*, capella de *Foſſa*, Eccleſia de *Lodorderia*, Eccleſia de *Lilio*, Eccleſia de *Brolio*, Eccleſia S. *Sulpitii* de *Taluc*, Eccleſia S. *Gemmæ* cum omnibus pertinentiis ſuis; Eccleſiam de *Morniaco* cum Eccleſiis ſuis de *Mans*, de *Bacia*, de *Colione*, de *Caleneda* cum omnibus earum pertinentiis; Eccleſiam S. *Michaëlis* de *Ianna* extra muros civitatis cum pertinentiis ſuis, Eccleſiam S. *Nicolai Collemontis* cum pertinentiis ſuis, Eccleſiam de *Lovadiſio* cum pertinentiis ſuis, Eccleſiam S. *Stephani* in Campania extra muros civitatis Papiæ cum Eccleſiis *S. Mariæ in campo*, & S. *Petri in Sylva* cum omnibus earum pertinentiis; Eccleſiam S. M*ariæ* de *Pilia* cum capellis ſuis, Eccleſiam S. *Symphoriani* & ſanctæ *Rhedæ* & earum pertinentiis; Eccleſiam ſancti *Petri* de Onchis cum pertinentiis ſuis, Eccleſiam ſanctæ M*ariæ* de *Bello-loco* cum capella & aliis pertinentiis ſuis, Eccleſiam de M*arioldo* cum pertinentiis ſuis, Eccleſiam ſanctæ M*ariæ* de *Calonio* cum capella ſancti *Iacobi*, de *Albariis*, & aliis pertinentiis ſuis; Eccleſiam ſanctæ M*ariæ* de *Valle clauſa* cum pertinentiis ſuis; Eccleſiam ſanctæ M*ariæ* bonarum vallium cum pertinentiis ſuis, Eccleſiam ſanctæ *Andreæ* poſt *Rocam* & ſancti M*artini* de *Aviac* cum pertinentiis earum, Eccleſiam ſanctæ M*ariæ* de *Inſula* juxta caſtrum Chireu cum pertinentiis ſuis; Eccleſiam ſancti M*auritii* de *Uzone* cum parochia de *Charnas* & aliis pertinentiis ſuis; Eccleſias de *Cuibac* & de *Nioſe* cum pertinentiis earum: niholominus venditiones inſulæ Eſparueriæ, quæ ſubtus Valentiam ſita eſt, quam bonæ memoriæ *Odo* Valentinenſis Epiſcopus vobis & Eccleſiæ veſtræ cum aſſenſu & conniventia Canonicorum ſuorum rationabiliter feciſſe dignoſcitur, & alias juſtas acquiſitiones veſtras vobis & Eccleſiæ veſtræ auctoritate Apoſtolica confirmamus. Sane laborum veſtrorum, quos propriis manibus cum ſumptibus colitis, ſeu de nutrimen-

tis veſtrorum animalium, nullus à vobis decimas exigere vel extorquere præſumat. Nulli quoque Epiſcoporum fas ſit, ſive Romani Pontificis, vel legati ejus audientia, vos vel Eccleſias veſtras interdicto vel excommunicationi ſubjicere, aut judicio prægravare. Cetera quoque omnia quæ vobis à prædeceſſoribus noſtris felicis memoriæ *Vrbano* & *Alexandro* Romanis Pontificibus conceſſa & privilegiis confirmata ſunt, nos etiam concedimus & præſenti pagina confirmamus. Sepulturam quoque ipſius loci & Eccleſiarum veſtrarum, quæ cimiteria noſcuntur habere, ad exemplar piæ recordationis *Paſchalis* Papæ prædeceſſoris noſtri liberam eſſe decernimus: ut eorum, qui ſe illic ſepeliri deliberaverint, devotioni & extremæ voluntati, niſi forte excommunicati vel interdicti ſint, nullus obſiſtat, ſalva juſtitia illarum Eccleſiarum, à quibus mortuorum corpora aſſumuntur. Liceat præterea vobis Laicos & Clericos à ſeculo fugientes liberos & abſolutos ad converſionem recipere, & abſque contradictione aliqua retinere. Cum autem generale interdictum terræ fuerit, liceat vobis clauſis januis, excluſis excommunicatis & interdictis, non pulſatis campanis, ſuppreſſa voce, divina officia celebrare. Prohibemus inſuper, ut nulli fratrum veſtrorum poſt factam in eodem loco profeſſionem abſque Abbatis & ſenioris partis, vel majoris Capituli permiſſione, liceat de clauſtro veſtro diſcedere: diſcedentem autem ſine communium literarum cautione nullus audeat retinere. Decernimus ergo, ut nulli omnino hominum liceat in veſtris Eccleſiis indebitas & novas exactiones imponere, poſſeſſiones vel bona aufferre, vel ablata retinere, minuere, ſeu quibuſlibet vexationibus fatigare: ſed illibata omnia & integra conſerventur eorum, pro quorum gubernatione & ſuſtentatione conceſſa ſunt, uſibus omnimodis profutura, ſalva ſedis Apoſtolicæ autoritate & in prædictis Eccleſiis Diœceſanorum Epiſcoporum ſervata ſecundum præſcriptam formam Canonica ratione, &c. Cunctis eidem loco ſua jura ſervantibus ſit pax Domini noſtri Jeſu Chriſti, quatenus & ſic fructum bonæ actionis percipiant, & apud diſtrictum judicem præmia æternæ pacis inveniant. Amen, Amen, Amen.

Ego *Innocentius* Catholicæ Eccleſiæ Epiſcopus.

Ego *Petrus* Portuenſis, & ſanctæ Ruffinæ Epiſcopus.
Ego *Ioannes* Sabinenſis Epiſcopus.
Ego *Nicolaus* Tuſculanenſis Epiſcopus.
Ego *Guido* Preſbyter Cardinalis ſanctæ Mariæ trans Tiberim titulo *Calixti*.
Ego *Ioannes* titulo ſancti *Stephani* in Celio monte Preſbyter Cardinalis.
Ego *Cinthius* titulo ſancti *Laurentii* in Lucina Preſbyter Cardinalis.
Ego *Soffredus* titulo ſanctæ *Praxedis* Preſbyter Cardinalis.
Ego *Gregorius* titulo ſancti *Vitalis* Preſbyter Cardinalis.
Ego *Bo.* titulo ſanctæ Crucis in Jeruſalem Preſbyter Cardinalis.
Ego *Rogerius* titulo ſanctæ *Anaſtaſiæ* Preſbyter Cardinalis.
Ego *Gregorius* ſancti *Georgii* ad velum aureum Diaconus Cardinalis.
Ego *Guido* ſancti *Nicolai* in çarcere Tullenſi Diaconus Cardinalis.
Ego Petrus ſancti *Angeli* Diaconus Cardinalis.

Datum Romæ apud ſanctum *Petrum* per manum *Ioannis* ſanctæ *Mariæ* in Coſmindin Diaconi Cardinalis ſanctæ Romanæ ecclesiæ Cancellarii II. Non. Maii. Indictione VIII. Incarnationis Dominicæ anno M. CC. VI. Pontificatus verò Domini *Innocentii* Papæ III. anno IX.

ARTICULUS TERTIUS.

DONATIONES ECCLESIIS ET MONASTERIIS FACTÆ CUM CONSILIO ET ASSENSU EPISCOPI, ET SALVA SEMPER REVERENTIA, QUÆ EPISCOPALI SEDI DEBETUR.

I.

ALTARE VILLÆ QUÆ DICITUR ORCEACUS, ECCLESIÆ B. MARIÆ LONGI PONTIS DONATUM A GAUFRIDO PARISIORUM EPISCOPO,

SALVA IN OMNIBUS ECCLESIASTICÆ ſubjectionis ipſi debita reverentia, & ſalvis in omnibus ejus juribus.

Ex Chartulario B. Mariæ Longi Pontis.

EGo *Gaufredus* Pariſiorum Epiſcopus, & *Ioſcelinus* Archidiaconus, utile & honeſtum eſſe intelligentes Monachorum Cluniacenſium in Eccleſia B. *Mariæ Longi Pontis* Domino ſervientium, & Domni *Guidoni* Cariſſimi noſtri ex Laico dudum effecti Monachi precibus aurem miſericordiæ aperire, damus eis altare, & quod ad altare pertinet, villæ quæ dicitur Orceacus, quod ſacratum eſt in honore ſancti *Martini*: ita ut nunquam à nobis, vel ab aliquo ſucceſſorum noſtrorum, alicujus infeſtationibus, calumnia moveatur, ſalva tamen in omnibus eccleſiaſticæ ſubjectionis nobis debita reverentia. Synodum verò & circadam nobis retinemus, ne res Eccleſiaſtica omnino à manu noſtra removeri videatur. Ut autem hoc donum firmum & ſtabile permaneat, Archidiaconorum, noſtrorumque Canonicorum manibus chartu-

Digitized by Google

lam iſtam roborandam obtulimus.

Signum *Gaufridi* Epiſcopi.
Signum *Ioſſelini* Archidiaconi.
Sign. *Drogonis* Archidiaconi.
Sign. *Yvonis* Archidiaconi.
Sign. *Ioannis* Decani.
Sign. *Galeranni* Cantoris.
Sign. *Oylardi* Sacerdotis.
Sign. *Giraldi* Levitæ.
Sign. *Gosberti* Preſbiteri.
Sign. *Fulconis* Preſbiteri.
Sign. *Aymonis* Preſbiteri.
Sing. *Henrici* Preſbiteri.
Sign. *Odonis* Subdiaconi. *Theduini* Subdiaconi. *Stephani* Acoliti. *Landonis* Acoliti.

II.

ALTARE SITUM IN VILLA QUÆ DICITUR BONDUFLUM ECCLESIÆ B. MARIÆ DE LONGOPONTE DONATUM,

Salvis in omnibus juribus Epiſcopi, & obedientia quæ ipſi debetur.

Ex eodem Chartulario.

EGo *Gaufredus* Dei gratia Pariſiorum Epiſcopus, & *Ioſcelinus* Archidiaconus Monachis Cluniacenſibus in eccleſia B. *Mariæ* de *Longo Ponte* Domino ſervientibus, quoddam altare quod eſt ſitum in villa quæ dicitur *Bonduflum* cum iis quæ ad altare pertinent in honore quidem B. Dionyſii Martyris conſecratum perpetuo jure tenendum concedimus: Synodum verò & circadas cum debita ſubjectione, & curam animarum parochiano Preſbytero à nobis commiſſam, & eccleſiæ reconciliationem, imo debitæ ſubjectionis & juſtitiæ obedientiam in eo retinemus. Ut autem hoc firmum permaneat, chartulam iſtam propriis manibus firmavimus, no-

ſtriſque Archidiaconibus & Canonicis firmandam tradidimus. Actum publice Pariſius in Capitulo S. *Mariæ*. Anno Incarnationis Dominicæ M. XCIII. modo regnante *Philippo* Rege, anno XXXIV. *Gaufredi* verò Pariſienſis Epiſcopi XXXIII.

Signum *Gaufredi* Pariſienſis Epiſcopi.
Signum *Fulconis* Decani.
Sign. *Galeranni* Præcentoris.
Sign. *Drogonis* Archidiaconi.
Sign. *Ioſcelini* Archidiaconi.
Sign. *Rainardi* Archidiaconi.
Sign. *Balteri* Meldenſis Epiſcopi.
Sign. *Roberti* Sacerdotis.
Sign. *Arnulfi* Levitæ.
Sign. *Tenini* Subdiaconi.
Sign. *Ollandi* Subdiaconi.
Sign. *Iſembardi* Subdiaconi.
Sign. *Rainaldi* Pueri.
Sign. *Galterii* Pueri.
Sign. *Hugonis* Pueri.

III.

ECCLESIA DE BAINS CUM CONSILIO ET AUCTORITATE PONTII EPISCOPI DONATA SANCTO SALVATORI.

Ex Chartulario Monaſterii Conchenſis.

IN nomine ſanctæ & individuæ Trinitatis. Ego *Pontius* Vicecomes, & uxor mea *Elizabeth*, & *Armannus* meus filius cum conſilio & auctoritate Domni *Pontii* Epiſcopi, & *Pontii Mauritii* Abbatis, pro redemptione meæ animæ & Parentum meorum, dono Eccleſiam de *Bains* cum ſepultura & decima, & offerentiam ſancto *Salvatori*, & ſanctæ Fidi & Domino *Begoni* Abbati, atque Monachis Deo ſervientibus in Monaſterio de Conchis præſentibus & futuris; adeo ut, ſi Deus omnipotens, & ſanctæ Fidis mihi, vel filiis meis voluntatem efficiendi Monachum dederit, Abbas & Monachi qui tunc ibi

ibi erunt me vel filios meos cum melioratione quam eis vellem ſacere, accipe e debeant. Facta Charta iſta anno milleſimo centeſimo quinto ab incarnatione Domini in menſe Decembri, feriâ ſextâ, luna vigeſima octava, regnante *Philippo* Rege Francorum.

Sign. *Vuillelmi* Dells Torns.
Sign. *Petri* Rodulfi.
Sign. *Petri* Petuva.
Sign. *Adalardi.*
Sign. *Geraldi* Sacriſtæ.

IV.

ECCLESIÆ SANCTÆ FIDEI DE CASTELLETO ET SANCTI VICTORIS AB HVGONE LUGDUNENSI ARCHIEPISCOPO DONATÆ ECCLESIÆ SANCTÆ FIDIS DE CONCHIS,

Salva ſemper obedientia, quæ Epiſcopo & Archipresbyteris exhibenda eſt.

Ex eodem Chartulario,

IN nomine ſanctæ & individuæ Trinitatis. Notum ſit omnibus ſanctæ Dei eccleſiæ filiis præſentibus & futuris, quòd *Hugo* Dei gratia Lugdunenſis Archiepiſcopus do Deo, & ſanctæ *Fidi* de Conchis, Begoni Abbati, & ſucceſſoribus ejus, & fratribus Monaſterii ipſius, eccleſiam ſanctæ *Fidei* de Caſtelleto, & eccleſiam ſancti *Victoris* cum appenditiis, quam à præfata eccleſia dividit Liger Fluvius ſub annuali cenſu octo ſolidorum, quorum medietas ſolvetur in feſtivitate ſancti *Martini*, medietas verò in Purificatione ſanctæ *Mariæ* retentis ſynodo & paratis ſecundùm morem aliarum eccleſiarum, & obedientia exhibenda tam nobis quàm ſucceſſoribus noſtris & Archipreſbyteris noſtris. Facta eſt donatio hęc Lugduni in domo noſtra epiſcopali conſilio Canonicorum noſtrorum *Blandini* Decani, *Arberti* Archidiaconi, *Gerini* Capellani noſtri. Et ut hæc donatio firma permaneat, ſigillo proprio ſub-

terſignavimus, & teſtibus corroborandam tradimus.

Sign. *Blandini*, *Arberti*, *Gerini Calvi*, *Gerini Capellani*, *Roſtagni Ferlot*, *Fulcherii Geraldi*, *Pontii*.

Ego *Hugo* ad vicem Cancellarii ſcripſi, & ſubſcripſi.

V.

ECCLESIA BEATÆ MARIÆ VIRGINIS INTRA MUROS BISULDUNI FUNDATA ECCLESIÆ S. RUFFI DONATUR CUM CONSILIO ET ASSENSU DOMINI BERENGARII PRÆSULIS GIRUNDENSIS.

Ex Chartulario Eccleſiæ S. Ruffi.

EGo Comes Biſuldenſis conſilio & aſſenſu Domini *Berengarii* Præſulis Gerundenſis, necnon & aliorum nobilium virorum, Clericorum ſcilicet atque Laicorum, dono Deo & eccleſiæ S. *Ruffi*, quæ ſita eſt ſupra fluvium Rhodani, & Domno *Arberto* ejuſdem loci Abbati, atque Clero ibidem Domino ſervienti, eccleſiam beatæ *Mariæ* Virginis intra muros Biſulduni fundatam, cum omnibus quæ ad eandem quocumque modo pertinent eccleſiam. Quam donationem perpetuo volo ſemper jure conſiſtere. Acta eſt hæc ſcriptura donationis ſexta Kalend. Octob. anno vigeſimo quinto Regni *Philippi* Regis ſigillo *Bernardi* Comitis Biſuldunenſis, qui hanc ſcripturam fieri juſſi, firmavi & teſtes firmare rogavi.

Signum *Guillelmi* Vicecomitis.
Signum *Petri* Vicecomitis.
Signum *Arnaldi* Joannis.
Signum *Guillelmi Otonis*.
Signum *Raymundi Odegarii*.

Gaufridus Canonicus & Levita ſcripſit in caſtro novo ſub die & anno quibus ſuprà.

Digitized by Google

VI.

EADEM ECCLESIA REDDITUR ET DONATUR PRÆFATÆ ECCLESIÆ S. RUFFI

Cum favore Pontificali & Canonicali Gerundenſis Sedis.

Ex eodem Chartulario.

IN Dei æterni Regis nomine Ego *Raymundus Berengarii* Dei gratia Marchio Barchinonenſium, Princeps Auſonenſium, Comes Gerundenſium atque Biſuldunenſium, venerabilibus Eccleſiæ ſancti *Ruffi Oldegario* Abbati & Canonicis. Nos terrenas poteſtates ad hoc à Deo eſſe conſtitutas arbitramur, ut juſtitiam & juſtificationes ejus exquirendo, non ſolùm iniquorum perverſitati reſiſtere, verùm etiam Religionis cultum propagare ſtudeatur. Unde prædictus ego Comes Pontificalem & Canonicalem Gerundenſis ſedis aſſecutus favorem, reddo & dono præfatæ Eccleſiæ S. *Ruffi*, & ejuſdem Abbati, atque Canonicis, Eccleſiam S. *Mariæ* inter muros Biſuldunenſis Caſtri conſtitutam, cùm omnibus quæ in pręſenti videtur habere, vel quocumque modo habere debet, vel in futurum acquiſierit collatione quorumcumque fidelium: ut hæc omnia habeant & poſſideant ad Dei ſervitium, & ipſam Eccleſiam in perpetuum regant, & diſponant ſecundum Canonicam regulam, & tales ibi conſtituant perſonas Clericorum, qui ſine proprio ibi Deo militent & ſerviant. Factum eſt hoc anno Kalend. Decembris anno Dominicæ incarnationis milleſimo centeſimo undecimo.

Sigillum *Raymundi* Comitis.

Sigillum *Meltis* Comitiſſæ.

Extrait tiré de l'original eſtant en parchemin exhibé, & apres retiré par Reverendiſſime Pere en Dieu Maiſtre Humbert de Valernod Abbé, & chef general de l'Abbaye, & ordre de ſaint Ruf de Valence, collationné par nous Notaires Royaux dudit Valence ſouſſignez avec ledit ſeigneur Abbé ce vingtiéme Avril mil cinq cens ſoixante & treize. Signé Humbert Abbé de ſaint Ruf. Teiſſier Notaire.

VII.

EADEM DONATIO A RAYMUNDO EPISCOPO GERUNDENSI CONFIRMATUR,

Salva reverentia, & obedientia quæ Epiſcopali ſedi debetur.

Ex Chartulario S. Ruffi.

IN nomine ſanctæ & individuæ Trinitatis. Ego *Raymundus* divino nutu in Gerundenſem Epiſcopum electus, & univerſus Gerundenſium Canonicorum conventus cum conſenſu & voluntate Domini *Raymundi* Dei gratia Barchinonenſium Marchionis, Auſonenſium Principis, Gerundenſium & Biſuldunenſium Comitis, per hanc ſcripturam donationis donamus Deo, & Eccleſiæ ſancti *Ruffi*, eccleſiam S. Mariæ Virginis de *Biſuldum* cum omni honore & dignitate ſua, & cum univerſis ad ſe pertinentibus tam in pręſenti quàm in futuro, atque in manum Domni *Oldegarii* præfatæ eccleſiæ S Ruffi Abbatis, & cunctæ congregationis ſibi commiſſæ, ac ſucceſſorum eorum votive & potentialiter tradimus: ut ab ipſis jam dicta Eccleſia S. *Mariæ* cum omnibus ad ſe pertinentibus tam in Eccleſiis quàm in ceteris poſſeſſionibus, quas hodie habet, & quas habere debet, & in futurum acquiſitura eſt, poſſideatur, regatur & ordinetur in perpetuum in ſervitio Dei ſecundùm regulam ſancti *Auguſtini*, ſalva reverentia ſanctæ Gerundenſis ſedis. Si autem in craſtinum quęlibet perſona Eccleſiaſtica vel ſecularis contra hanc donationem quoquo modo venire præſumpſerit, nihil penitus proficiat; ſed firma donatione ſola præſumptione iram Dei omnipotentis ſe noverit graviter incurſurum, atque vinculis anathematis innodandum. Actum eſt hoc anno Dominicæ incarnationis centeſimo duodecimo poſt milleſimum menſe Januarii.

Raymundus Dei gratia in Pontificem ſanctæ Gerundenſis Eccleſiæ electus confirmo, ſalva obedientia noſtræ Eccleſiæ.

Sigillum *Berengarii* Capiſcolæ.
Sigillum *Ioannis*.
Sigillum *Berengarii* Archidiaconi.

Digitized by Google

Sigillum *Gaufredi*.
Sigillum *Bernardi* Prioris.
Sigillum *Petri* ſacriſtæ.
Sigillum *Petri* Preſbyteri.

VIII.

ECCLESIA S. ANDEOLI ECCLESIÆ S. RUFFI IN PLENARIA SYNODO DONATA,

HAC SCILICET CONDITIONE, UT PRIOR NON mutetur, niſi cum conſilio Epiſcopi Vivarienſis: & ſi quæ orta fuerit controverſia, ipſius Epiſcopi, communiſque capituli canonica terminetur ſententia.

Ex eodem Chartulario.

IN Nomine Domini noſtri Jeſu Chriſti *Leodegarius* Vivarienſis Epiſcopus, & totius ejuſdem Eccleſiæ Cleri conventus. Si utilitatibus Eccleſiarum à Deo nobis commiſſarum inſiſtimus, officii noſtri modum proculdubio exequimur. Ad epiſcopale enim officium pertinet ſana docere, hæretica reprobare, deſtructa conſtruere, errata corrigere, ſecularia ſectantes ad ſpiritualia reducere, voluntates proprias ſequentes divinæ voluntati atque prælatorum obedientiæ ſubdere, imò auctoritate Pontificali compellere. Talia enim facientibus à Domino dictum legimus, quòd ſuper pauca fuiſtis fideles, ſuper multa vos conſtituam. Igitur ego *Leodegarius* Vivarienſis Eccleſiæ indignus Epiſcopus cum conſilio Clericorum noſtrorum, Eccleſiam ſancti *Andeoli* in loco qui in Burgius dicitur, ubi ſacratiſſimum corpus ejuſdem martyris requieſcere videtur, temporalibus bonis quondam locupletatam, nunc autem multis modis attritam committimus; atque donamus ſub cura & providentia *Letberti* Abbatis ſancti *Ruffi*, & ſucceſſorum ejus ibidem canonice ſubſtituendorum, ut in ea ordinis norma amodo ſervetur, & eccleſiaſticæ Religionis cultus in perpetuum ſtabiliatur, hoc eſt, Eccleſiam ſupra dictam cum omnibus ad communiam ejuſdem Eccleſiæ pertinentibus. Res autem quæ ad Epiſcopatus noſtri, ſive præ-

poſituræ proprietatem pertinent in integrum retinemus, ut illi omni anno ſextarium olei olivarum in Cœna Domini Eccleſiæ noſtræ perſolvant: Prior tamen ibi non mutetur, niſi cum conſilio Vivarienſis epiſcopi & Canonicorum ejuſdem; & hoc fiat ſecundum regulam ſancti *Auguſtini*. Si qua verò inter Vivarienſem & ſancti *Ruffi* Canonicos orta fuerit de ſupradictæ eccleſiæ negotiis controverſia, ipſius Epiſcopi & communis Capituli Canonica determinetur ſententia. Hujus itaque doni ſolenniter facti teſtes Advocati ſunt, *Geraldus* de *Gratia*, *Petrus* de *Cambau*, *Pontius Dalmatii*, *Petrus Ademari*, *Armamus* de *Roch*, *Stephanus Quentinini*, *Dalmatius*, *Ruffus*, *Vidianus*, *Dalmatius* de ſancto *Montano*, *Bertrandus* Preſbyter, *Petrus Lamberti*, *Hugo* de *Burgo*, *Pontius* de *Vercauſco*, *Guillelmus Ruffus*, *Petrus Stephani*, *Petrus Ramundi*. Horum ceterorumque Canonicorum communi conſenſu & favore in plenaria ſynodo Vivarienſi recitata, & corroborata eſt hæc donationis pagina autoritate Pontificali, anno Dominicæ Incarnationis milleſimo centeſimo decimo octavo Kalend. Junii Indictione tertia.

IX.

CONFIRMATIO DONATIONIS

ECCLESIARUM S. MARTINI VIENNENSIS, S. NICETII &c.

ECCLESIÆ S. RUFI CUM QUOLIBET IURE ab Archiepiſcopo Viennenſi facta, ſalva obedientia & reverentia, quæ debetur ſacroſanctæ matri Eccleſiæ Epiſcopali.

Ex Chartulario Eccleſiæ Viennenſis.

QUoniam noſtri officii eſt & bene ſemper agere, & benefacta laudare; ego *Petrus* Dei gratia Viennenſium Archiepiſcopus, & Apoſtolicæ ſedis legatus, conſenſu & voluntate omnium Canonicorum noſtrorum laudo & confirmo, atque jure perpetuo habendum decerno eccleſiæ ſancti *Rufi*, & cariſſimo fratri noſtro *Pontio* Abbati, & ſucceſſoribus ejus, donum quod fecit præfatæ eccleſiæ ſancti *Rufi* prædeceſſor

Digitized by Google

meus *Guido* venerabilis Viennenſis Archiepiſcopus de Eccleſia *S. Martini* Viennenſis cum omnibus appenditiis ſuis, molendinis, vineis, & decimis, quas modo habet ipſa Eccleſia, & quas *Abalardus* habet in terra *Hugonis Gallæ*, & *Vuillelmi Depernans* (quam terram habet ad feudum de Archiepiſcopo cum aliis omnibus ad eandem Eccleſiam pertinentibus) & ſimiliter de Eccleſia ſancti *Nicetii* cum appenditiis ſuis, & villa quæ dicitur Terciis cum appenditiis ſuis, propter illa prata, quæ deceſſor meus ſibi retinuit. Donum etiam de eccleſia S. *Albani* de *Ciſino*, & de eccleſia S. *Romani* de *Vermaella* cum appenditiis utriuſque ſimiliter confirmo. Hæc autem omnia, ſicut ſupradictum eſt, conſenſu & voluntate omnium Canonicorum noſtrorum laudamus & confirmamus prænominatæ eccleſiæ S. *Rufi*, ſalva obedientia & reverentia ſacroſanctæ matris Eccleſiæ Viennenſis, & ſalvo cenſu, quem pro his omnibus de prædicta eccleſia S. *Martini* reddi ſtatuimus, XL. ſcilicet ſolidos in feſtivitate omnium ſanctorum, & alios XL. in capite jejunii. De obitu autem Canonicorum noſtrorum, & Archepiſcoporum, ſicut ab anteceſſore meo conſtitutum eſt, fieri rogamus atque præcipimus, id eſt, ut triceſimus Canonicis, & annuale obſequium Archiepiſcopis perſolvatur. Actum eſt anno ab Incarnatione Domini M. C. XXV. Præfatæ verò donationis actores fuerunt & teſtes Domnus *Petrus* Archiepiſcopus, & *Vuillelmus* Decanus, & Cantores *Vbertus* & *Fulco*, *Girbertus*, & *Amedeus* Archidiaconi, *Girbertus* Theſaurarius, *Amedeus*, *Amblardus*, *Guigo* de *Siureum*, *Silvius* de *Fanay*, *Milo*, *Gago*, *Ademarus*, *Guillelmus* de *Terre*, *Galterius de Balbeum*, *Hugo*, *Guillelmus* de *Chaſnaſio*, *Richardus*, *Vbertus* de *Ornaceu*, *Nantelmus* de *Revel*, *Petrus Villelmi*, *Vbertus* filius Comitis, *Amedeus*, *Borno*, *Roſtagnus* de *Reventi*, *Roſtagnus* de *Moraz*, *Petrus*, *Pontius*, *Arbertus*. Hoc etiam volumus, ut anniverſarium ſemper agatur tam pro Archiepiſcopis, quàm pro Canonicis.

X.

CONFIRMATIO ECCLESIÆ DE TAULINIACO ECCLESIÆ S. RUFFI DONATÆ, *SALVA REVERENTIA ET OBEDIENTIA, quæ Eccleſiæ Epſcopali debetur.*

Ex Chartulario Eccleſiæ S. Ruffi.

CUm omnibus eccleſiis nobis commiſſis ex injuncto officio providere debeamus, illis tamen præcipuè debitores ſumus, in quibus Canonicus ordo obſervatur, & ſoli Deo Clerici militare cupiunt communiter viventes ſecundum ſanctorum Patrum inſtitutionem. Quamobrem ego *Iſmido* gratia Dei Dienſis epiſcopus bono eccleſiæ ſancti *Ruffi*, & *Letberto* Abbati, & Clericis ſibi commiſſis & ſucceſſoribus ſuis, Eccleſias de *Tauliniaco* cum omnibus ad eas pertinentibus, ut ordinent eas, ſicut eis viſum fuerit ad honorem Dei; & *Geraldum* Capellanum, ſalva reverentia & obedientia noſtra & Eccleſiæ noſtræ, conſtituo, ut reddatur mihi cenſus per ſingulos annos ſeptem ſolidi, & in modum annonæ in caſtro Mirabel. Si quis autem ſucceſſorum noſtrorum huic donationi & confirmationi noſtræ obviare præſumpſerit, fiant dies ejus pauci, & Epiſcopatum ejus alter accipiat, & iram Dei omnipotentis incurrat. Si quis quoque Clericorum, Monachorum, Laicorum, hoc ipſum calumniari præſumpſerit, veniat ſuper illum omnis maledictio, & ſit anathema Maranatha, niſi reſipuerit, & prædictis Canonicis ſatisfecerit.

XI.

CONFIRMATIO EJUSDEM DONATIONIS, SALVO JURE EPISCOPALI ET CENSU,

Ex eodem Chartulario.

CUm generatio perit, & generatio per ſucceſſus temporum advenit, terra verò in perpetuum permanet: decrevimus

Digitized by Google

vimus lineis commendare memoriæ, quòd dona ſanctorum Patrum, ſcilicet *S. Hugonis* & *S. Iſmidonis*, quæ conſilio & auxilio in eccleſia Dei conceſſerunt, Eccleſiæ S. Ruffi, & Canonicis inibi degentibus, ſcilicet Eccleſiam de *Coloncone* cum omni jure ad ſe pertinente, videlicet Eccleſias de *Vlmo*, de *Volvenco*, Eccleſias ſcilicet de *Tauliniaco* cum appenditiis ad ſe pertinentibus, Eccleſiam *S. Mariæ* de *Arnaione* cum omni ſuo beneficio & honore ſpecialiter præfatæ Eccleſiæ conceſſerunt, ut Canonici ibi degerent & Deo militarent. Tantorum ergo Patrum dona Dominus *Stephanus* Dienſis Eccleſiæ Antiſtes rogatu Canonicorum ejuſdem Eccleſiæ magnifice & ſolenniter in pleno Capitulo nullo diſſentiente dando, confirmavit & corroboravit in manu Domini *Severi* Abbatis S *Ruffi*, ſalvo Epiſcopali jure & cenſu. Cenſus verò præfati Epiſcopi eſt in Eccleſia de *Calencone* ſemodius frumenti & quinque ſolidi; in Eccleſiis autem de *Tauliniaco* modius frumenti & ſeptem ſolidi; in Eccleſia de *Arnaione* quatuor annonæ, & quatuor annonæ ſextarii, & duæ libræ ceræ. Acta hæc carta eſt in Eccleſia beati *Petri* foris murum, anno ab Incarnatione Domini milleſimo centeſimo viceſimo ſeptimo, Indictione quinta, menſe Aprilis octavo Kalend. Maii, luna decima, anno ſeptimo Epiſcopatus Domini *Stephani* prædicti Epiſcopi, qui hanc chartam fieri juſſit, & manu propria firmavit.

Sigillum *Petri* Præpoſiti.
Sigillum *Pontii* de *Torana*.
Sigillum *Guillermi Daix*.
Sigillum *Hugonis d'Avinione*.
Sigillum *Fredelonis*.
Sigillum *Lancelmi*.
Sigillum *Iarentonis*.
Sigillum *Hugonis*.
Sigillum *Arnaldi* Joannis.
Sigillum *Petri* de *Mayſerres*.
Sigillum *Petri Arnaldi*.
Sigillum *Petri Berengarii*.
Sigillum *Franconis*.
Sigillum *Bermundi Raymundi*.
Sigillum *Guillermi* de *Mayencat*.

LLII

Sigillum *Armani.*
Sigillum noſtrum *Pontii Margarita.*
Sigillum noſtrum *Guigonis.*
Sigillum noſtrum *Bertranni.*
Sigillum noſtrum *Giraldi.*

XII.

ECCLESIA ORDINATENSIS CUM PERMISSU ET CONCESSIONE EPISCOPI BELLICENSIS DONATA ECCLESIÆ S. RUFFI;

ITA TAMEN UT PRIOR EPISCOPO Canonicam ſpondeat reverentiam, & obedientiam.

Ex eodem Chartulario.

P*Ontius* Dei gratia Bellicenſis Eccleſiæ ſervus; & ejuſdem Eccleſiæ cœtus, venerabili in Chriſto fratri *Vuillelmo* eadem gratia S. Ruffi Abbati, & ejuſdem Eccleſiæ Canonicis ac ſucceſſoribus in perpetuum. Benedictus Deus, qui Religionem veſtram in vigore propoſito perdurantem ceteris Canonici ordinis domibus quamvis longe remotis imitabilem fecit. Unde factum eſt, ut venerabilis frater noſter *Aymo* Prior Ordinatenſis Eccleſiæ, quæ in Epiſcopatu noſtro ſita eſt, ſæpius à nobis multa ſupplicatione petierit, quatenus ad Religionem quam ibidem Deo auctore inchoaverat provehendam, & tenore durabili conſervandam, obedientiæ veſtræ eadem domus ſubdi noſtra conceſſione deberet. Qui Religioſum deſiderium tandem benignitate debita confirmantes, venerabilem fratrem noſtrum *Petrum* Priorem de Buxa vocavimus, eumque prædicti loci Priorem ſtatuimus: & ipſum locum cum univerſis appenditiis ſuis, vobis, & Eccleſiæ veſtræ jure perpetuo poſſidendum, & juxta morem clauſtri veſtri, quantum poſſibilitas loci permiſerit, in Canonico ordine diſponendum conceſſimus. Retinuimus autem, ut quicumque Prior ejuſdem loci extiterit, Bellicenſi Epiſcopo Canonicam obedientiam, ſalva dumtaxat Abbatis ſui obedientia ſpondeat; & præſentiam ſuam Synodis ejus, excepta neceſſitatis cauſa, ex-

Digitized by Google

hibeat; & decem libras ceræ ad Paſcalem cereum faciendum in cœna Domini, vel ante annuatim perſolvat, & ad capitulum vocatus cauſa conſulendi veniat; & ſi tanta neceſſitas fuerit, unum aut duos conſilii viros de aliis S. Ruffi obedientiis ſecum adducere ſtudeat. Non ſolum autem præfati loci Priorem, ſed generaliter univerſos *S. Ruffi* Fratres in Canonicalem ſocietatem ſuſcepimus, ut videlicet ſingulos qui ad nos venerint tanquam Canonicos habeamus, eiſque ſpiritualiter & temporaliter in Eccleſiaſticis beneficiis vivis ac mortuis juxta conſuetudinem Eccleſiæ fideliter communicemus. Noſtris quoque apud vos univerſaliter condignam juxta prædicta viciſſitudinem exhibendam determinavimus: & quicumque apud Ordinatum Canonicus noſter ad converſionem venire infirmus aut ſanus, pauper aut dives voluerit, gratanter ſuſcipi debere, nominatim expreſſimus. Subnotari quoque præcepimus Eccleſias ad prædictum locum pertinentes, quarum iſta ſunt nomina; Eccleſia de *Corbellino* cum capella de *Favergiis*, Eccleſia de *S. Symphoriano* cum capella de *S. Andrea*, Eccleſia *S. Chriſtophori* de *Romaniaco*, Eccleſia de *Chimilliaco*. Teſtes autem & fautores noſtræ conceſſionis iſti ſunt: *Arnaldus* Archidiaconus, *Hugo* Decanus, Magiſter *Humbertus*, *Iſulfus* Decanus, *Petrus* de *Briort*, *Ioannes* ſacerdos, *Guido Diſen*, *Boſo Cochez*, *Girardus*, Domnus *Humbertus* Gebennenſis Epiſcopus, *Vldricus*, *Girardus*. Igitur Ego *Pontius* Bellicenſis Eccleſiæ miniſter, & Epiſcopus, autoritate Dei omnipotentis Patris, & Filii, & Spiritus ſancti, & beatorum Apoſtolorum Petri, & Pauli, & omnium ſanctorum Dei, & noſtra, omnes illos tam Clericos quàm Laicos quicumque hanc noſtram donationem & conceſſionem irrumpere, infringere, ſeu deſtruere tentaverint aliqua calumnia, à ſanctæ liminibus Eccleſiæ ſeparo, & omnibus modis excommunico, & in perpetuum cum Diabolo & Angelis ejus damno. Facta eſt autem charta iſta anno ab Incarnatione Domini milleſimo centeſimo vigeſimo apud portas, præcipiente Domno *Pontio* Turrenſi Bellicenſi Epiſcopo.

XIII.

AUTHENTICUM SVPER TRANSACTIONE FACTA CUM PRIORE S. MARTINI DE TERRA, QVÆ DICITVR ALNETVM.

IN QVO DECLARATVR, DONVM NVLLA ſtare ratione, niſi Epiſcopi Pariſienſis auctoritate firmetur.

Ex Chartulis Eccleſiæ Pariſienſis.

IN nomine ſanctæ & individuæ Trinitatis, Amen. Officium eſt pietatis in omnibus eccleſiarum tranquillitati providere, & ea præcipue negotia, quæ ad honorem Dei, & eccleſiæ pacem videntur eſſe contracta, perennibus ſcriptis contradere: ut ſi quid fuerit labenti memoriæ negligenter ſubſtractum, ſcribentis officio ad memoriam redeat ex integro reformatum, & ſi forte aliquando noverca omnium bonorum turbante invidia, querela ac controverſia ante judicem mota fuerit, ſcriptura in medium recitata, ordinem rei & qualitatem negotii veritatis exponat teſtimonio, & ora invidentium perpetuo claudat ſilentio. Noverint igitur omnes, quòd *Gualerannus* de villa *Peror* terram illam, quæ vocatur *Alnetum*, quam jure proprietatis poſſidebat, pro remedio animæ ſuæ & anteceſſorum ſuorum, monaſterio *S. Martini* de *Campis* cum omnibus ad eam pertinentibus libere poſſidendam donavit. Et quamvis partem hereditariam perſonis valeat unuſquiſque, non requiſito heredum aſſenſu, juſte in eleemoſynam dare, & Eccleſiam Dei heredem facere; tamen voluit, ut fratres ſui donum ejus commendarent, & firmarent: quod & factum eſt. *Guido* enim de *Puteaco* frater ejus, & *Hugo* nepos ejus filius *Evrardi* de *Puteaco* plenarium aſſenſum dono illius dederunt, & ut quemadmodum prædictus *Gualerannus* terram illam libere, & poteſtative poſſideat, eccleſia beati *Martini* de *Campis* ex integro poſſideret, conceſſerunt. Sed quoniam donum illud nulla ſtaret ratione, nulla maneret ſtabilitate, niſi principaliter Pontificali firmaretur auctoritate

Digitized by Google

(terram enim illam *Robertus* Comes de Mellanto de feodo habebat Epiſcopali) neceſſario requiſita eſt in dono *Gualeranni* voluntas & aſſenſus Epiſcopi. Bonæ igitur memoriæ Epiſcopus Domnus ſcilicet *Gualerannus* anteceſſor noſter, concordi Canonicorum ſuorum aſſenſu, *Roberto* etiam Comite de *Mellanto* diligenter annuente, qui fundum terræ illius ſpecialiter de feodo habebat Epiſcopi, ſalvis quidem & retentis conſuetudinibus, quas Pariſienſis Epiſcopus tempore prædicti *Gualeranni* in terram illam obtinuerat, prædictam terram Alnetum, ſcilicet cum ſuis apenditiis, Monaſterio *S. Martini* de *Campis* poteſtative habendam conceſſit. Salvo igitur in omnibus, ut dictum eſt, jure, & conſuetudine Pariſienſis Epiſcopi, determinatum fuit, ut neque hoſpites Epiſcopi, neque hoſpitum res contra voluntatem ipſius vel ſucceſſorum ejus reciperentur. Fuit etiam illud in pacto publicè definito, ut quicumque prænominatur Epiſcopus, vel quilibet ſucceſſor ejus Eccleſiæ *S. Martini*, centum libras denariorum daret, medietatem totius terræ quæ Alnetum vocatur, & omnium ad eam pertinentium, ſicut *Gualerannus* tenuerat; & Epiſcopalis poteſtas ex integro, & cenſus, & ceteri redditus tam Epiſcopo quàm Monachis communiter ſolverentur, & æqualiter dividerentur: ut ſcilicet hoc pacto terra feodalis à jure Epiſcopi nequaquam alienata videretur, & pax inter utramque Eccleſiam firmius & diligentius haberetur. Ego igitur *Girbertus* Dei miſericordia Eccleſiæ Pariſienſis Epiſcopus, ammonitione & conſilio Cleri noſtri præſcriptam pecuniæ quantitatem ſupradicto dedi monaſterio, & medietatem terræ, ut dictum eſt, toto monaſterii conventu libenter annuente, in jus noſtræ proprietatis recepimus, ita ſcilicet ſervata conditione pacti, ut ſicut ſuperius dictum eſt, & cenſus & redditus & quilibet pecuniæ quæſtus in commune redigantur, & æquo dividantur; neque Epiſcopus abſque Priore *S. Martini* de *Campis*, neque ille abſque aſſenſu prædicti epiſcopi, vel talliam, vel aliquem pecuniæ quæſtum à prædicta terra recipiat. Sciendum verò eſt, quòd Canonici noſtri tam perſonæ quàm ceteri nobis & ſucceſſoribus noſtris illud omnino conceſſerunt, ut ſi aliquando placeat nobis, vel alicui de ſucceſſoribus noſtris, medietatem noſtram monaſterio ſancti *Martini*

de *Campis* contradere, liceat nobis non requiſito amplius capituli noſtri aſſenſu donum illud quando & quomodo voluerimus perficere: & excluſa omni contradicendi licentia, firmum & inconcuſſum maneat per omnia. His igitur ita determinatis, plane & abſolute diſinitum eſt, ut terram prænominatam ego, & quilibet ſucceſſor noſter Pariſienſis Epiſcopus perpetuo habendi licentiam & retinendi poteſtatem habeamus. Notandum verò eſt, quòd ſupraſcriptam terræ iſtius medietatem noſtram, vel ejuſdem medietatis redditus nulli perſonæ, nulli Eccleſiæ, nulli monaſterio ego aut quilibet ſucceſſor noſter dare, vel vendere, aut aliquo modo à manu noſtra emancipare valeamus, niſi Monachis ſancti *Martini* de *Campis*, aut Capitulo ſanctæ *Mariæ* matris Eccleſiæ Pariſienſis, Capitulo tamen hac conditione, quòd ſi terram illam à manu Epiſcopi habeat, quinquaginta libras Provenienſis monetæ monaſterio S. Martini de Campis perſolvat. Ut autem licentia iſta & conceſſio ſupradicta perpetuæ firmitatis vigorem obtineat, præſentem chartam inde fieri præcepimus, & in teſtimonium veritatis ſigillo noſtro, ſigillo capituli noſtri, ſigillo etiam ſancti *Martini* illam muniri voluimus.

XIV.

INDULGENTIA LUCII III.

NE FEODA PARISISIENSIS EPISCOPI

SINE CONSENSU IPSIUS OBLIGARI POSSINT, VEL VENDI.

Ex Chartulis Eccleſiæ Pariſienſis.

LUcius *Mauritio* Pariſienſi Epiſcopo. Devotionis & probitatis tuæ meritum exigere comprobatur, ut quod aliis communi jure debetur, fraternitati tuæ, quæ id humiliter & devotè requirit, ſpeciali indulgentiæ largitate, per officium quo fungimur, concedatur. Eapropter, venerabilis in Domino frater, præſentibus tibi litteris indulgemus, ne aliqua Eccleſiaſtica ſæculariſve perſona feoda tua ſine conſenſu, ſub pignore recipere aut emere aliqua auctoritate præſumat. Si

quis autem hoc attentare præſumpſerit, & contractus ſui diſpendium & indignationem noſtram ſe noverit incurſurum. Datum. &c.

X V.

AUTHENTICUM VVILLELMI SENONENSIS ARCHIEPISCOPI SUPER REDDITIBUS DECANATUS PARISIENSIS DUM VACAT.

Ex quo patet Epiſcopum præcipuum eſſe bonorum Eccleſiæ diſpenſatorem.

Ex iiſdem Chartulis.

EGO *Vuillelmus* Dei gratia Senonenſis Archiepiſcopus, & Apoſtolicæ ſedis Legatus. Notum fieri volumus tam præſentibus quàm futuris, cauſam inter venerabilem fratrem noſtrum *Mauritium* Pariſienſem Epiſcopum, & Canonicos beatæ *Mariæ* Pariſienſis, ſuper redditibus Decanatus dum vacaret percipiendis emerſiſſe, & eandem cauſam ad Dominum Papam *Alexandrum* perlatam, & ab ipſo nobis delegatam fuiſſe. Poſtmodum verò infra diem Epiſcopo & Canonicis coram nobis aſſignatam, Decanus, Cantor, & quamplures Canonici Pariſienſes coram nobis in domo nova ejuſdem Epiſcopi convenerunt; & ſe cauſæ illi penitus renunciaſſe, & in diſcretione & voluntate Epiſcopi ſe poſuiſſe confeſſi ſunt: & hoc ipſum ſe & omnes alios in pleno Capitulo communiter feciſſe proteſtati ſunt. Quod ut ratum & inconcuſſum futuris teneatur temporibus, & contentionis illius de medio tollatur materia, ſigilli noſtri auctoritate dignum duximus roborari. Actum. &c.

XVI.

CONFIRMATIO CLEMENTIS III.

SUPER JURE EPISCOPI IN REDDITUS DECANATUS.

Ex iiſdem Chartulis.

CLemens *Mauritio* Pariſienſi Epiſcopo. Ex quodam ſcripto authentico exhibito nobis didicimus, quòd, cùm cauſa quæ inter te & Canonicos Eccleſiæ tuæ ſuper redditibus Decanatus dum vacaret percipiendis emerſerat, venerabili fratri noſtro Remenſi Archiepiſcopo ſanctæ Sabinæ Cardinali tunc Senonenſi Archiepiſcopo à felicis recordationis *Alexandro* Papa prædeceſſore noſtro commiſſa fuiſſet, Decanus, & Cantor, & quamplures Canonici ejuſdem eccleſiæ infra diem tibi & Canonicis ab ipſo Archiepiſcopo aſſignatam in domo tua nova eodem præſente Archiepiſcopo convenerunt, & ſe cauſæ illi renuntiaſſe penitus, & in tuæ voluntatis arbitrio poſuiſſe, ac omnes alios Canonicos in pleno Capitulo communiter feciſſe idipſum coram ſæpedicto Archiepiſcopo ſunt confeſſi. Nolentes igitur, quòd inpoſterum ſuper hoc litigium indebite ſuſcitetur, renunciationem quæſtionibus illis, ſicut à capitulo tuo coram prædicto Archiepiſcopo facta eſt, ſpontanea voluntate & hactenus obſervata, & in ſcripto ejuſdem Archiepiſcopi facto exinde continetur, ratam habemus & auctoritate Apoſtolica confirmamus: ſtatuentes, ut nulli omnino hominum. &c.

XVII.

XVII.

LITERA,

QUÆ SIGNIFICAT MAGISTRUM ET FRATRES MORMENTI NON POSSE DE MANU SUA AMOVERE ALIQVAM DOMVM, NISI DE VOLVNTATE EPISCOPI,

Qui eſt ſecundum Canones primus bonorum Eccleſiarum diſpenſator.

Ex Chartulario Eccleſiæ Lingonenſis.

EGO *Arnulphus* magiſter Mormenti, totuſque ejuſdem domus conventus, notum facimus omnibus pręſentes literas inſpecturis; quòd nos non poſſumus de manu noſtra amovere, vel in manum extraneam ponere aliquam domum, quæ pertineat ad Mormentum, abſque laude & aſſenſu epiſcopi Lingonenſis: & venerabilis pater *Hugo* Dei gratia Lingonenſis epiſcopus inhibuit nobis, ne nos domum noſtram de Poulengero in manum magiſtri *Frederici* Canonici Lingonenſis poneremus. Et notum facimus omnibus, quòd idem magiſter pręd ictam domum non tenet de aſſenſu noſtro, imo placet nobis & volumus, quòd prædictus Dominus Pater *Hugo* Epiſcopus Lingonenſis prædictam domum ſaiſiat ex parte noſtra. In cujus rei teſtimonium præſentes literas ſigillo noſtro ſigillavimus. Actum anno gratiæ M. CC. XXI. menſe Jun.

MMmm

ARTICVLVS QVARTVS.

LITERÆ

DE NON ELIGENDO ABBATE

ABSQUE LICENTIA EPISCOPI,

CVIVS EST QVOQVE ELECTVM CONFIRMARE ET BENEDICERE.

I.

LITERA ABBATIÆ RESIGNATÆ AB ABBATE MOLISMENSI

IN MANV DOMINI EPISCOPI, SICVT MORIS EST:

ET QVOD AB EODEM EPISCOPO POSTVLANDA ſit licentia eligendi alterum Abbatem.

Ex Chartulario Eccleſiæ Lingonenſis.

EGo frater . . . . . humilis Abbas Cluniacenſis notum faciemus, quòd cum eſſemus Moliſmenſis Abbas, & eſſemus pariter in Cluniacenſem Abbatem electi, nos, ſicut moris eſt, Moliſmenſem Abbatiam reſignavimus in manu venerabilis Patris *Vvillelmi* Epiſcopi Lingonenſis. Notandum eſt etiam, quòd facta reſignatione pro conventu Moliſmenſi ab eodem Epiſcopo poſtulamus licentiam eligendi. In cujus rei teſtimonium præſentes literas duximus ſigillandas. Actum anno Domini M. CC. XV.

II.

SUPPLICATIO EPISCOPO FACTA

DE ELIGENDO ABBATE IN MONASTERIO

S. PETRI MELVGDVNENSIS.

Ex eodem Chartulario.

REverendo Patri ac Domino. ... Dei gratia Lingonenſi epiſcopo, humilis conventus Melugdunenſis, ſalutem & reverentiam Patri ac Domino debitam & devotam. Quoniam bonæ memoriæ *Iternis* quondam Abbas noſter viam univerſæ carnis eſt ingreſſus, à paternitate veſtra petimus humiliter licentiam eligendi Abbatem. Actum anno gratiæ M. CC. XXXIII.

III.

SUPPLICATIO EPISCOPO FACTA,

UT ELECTUS IN ABBATEM S. MICHAELIS

TORNODORENSIS AB IPSO CONFIRMETVR.

Ex eodem Chartulario.

REverendo Patri ac Domino.... Dei gratia Lingonenſi epiſcopo, frater Moliſmenſis Abbas, totuſque ejuſdem loci conventus, ſalutem & omnimodam reverentiam Patri ac Domino debitam & devotam. Noverit paternitas veſtra viros venerabiles & religioſos Priorem & conventum ſancti *Michaëlis* Tornodorenſis à nobis humiliter poſtulaſſe, ut dilectum in Chriſto fratrem Bartholomæum Priorem de *Planciaco* Monachum noſtrum miſericorditer traderemus & licentiaremus, quem in Eccleſiæ ſuæ paſtorem elegerant, & electum nominaverant in Abbatem. Nos verò conſiderantes & advertentes, quantum dictus *Bartholomæus* ab infantia apud nos converſatus pro Eccleſia noſtra laboraverit, & profecerit de virtute in virtutem, diligenter omnia & fideliter miniſtrando, de abſentia & remotione ipſius propter immi-

nens incommodum ecclesiæ noſtræ doluimus. Sed ad cor revertentes & conſiderantes, quòd de promotione ipſius *Bartholomæi* gaudere & congratulari condecebat: ſupradictorum Prioris & Conventus ſancti *Michaëlis* pio motu & benigno affectu juſtis petitionibus annuentes, eiſdem conceſſimus & tradidimus ab omnibus profeſſionis & obedientiæ vinculis abſolutum. Quapropter paternitatem veſtram rogamus, quantùm poſſumus, quatenus electionem de dicto *Bartholomæo* factam velitis miſericorditer confirmare. Actum anno gratiæ M. CC. XXXIV.

IV.

SVPPLICATIO EPISCOPO FACTA

DE ABBATE MONASTERII MOLISMENSIS.

Ex eodem Chartulario.

REverendo Patri ac Domino *Roberto* Dei gratia Epiſcopo Lingonenſi, Frater *Robertus* humilis Prior Moliſmenſis & ejuſdem loci conventus, ſalutem. Cum reverentia & honore dilectos in Chriſto fratres noſtros Priorem ſancti *Quintini* Trecenſis Celerarium, & *Guillelmum* de *Archo* Monachos Moliſmenſes ad pedes veſtræ paternitatis deſtinamus, per quos Domini *Iſemberti* quondam Patris & Abbatis Moliſmenſis dolentes obitum nunciamus, petentes à vobis unanimiter tam per pręſentes literas, quàm per dictos Monachos latores earumdem, futuri Paſtoris licentiam eligendi. Datum apud Moliſm. in craſtino Dominicæ nativitatis anno Domini M. CC. XXXVII. Bene valeat ſemper Paternitas veſtra.

V.

SUPPLICATIO EPISCOPO FACTA

DE ABBATE S. STEPHANI DIVIONENSIS.

Ex eodem Chartulario.

REverendo patri ac Domino *Hugoni* Dei gratia Lingonenſi epiſcopo, *Rodulphus* Prior & conventus S. *Stephani* Di-

Digitized by Google

vionenſis tam paratam, quàm debitam in omnibus reverentiam cum ſalute. Dolentes referimus, & referendo dolemus bonæ memoriæ *Gilbertum* Abbatem noſtrum viam univerſæ carnis ingreſſum. Quare ad veſtræ dominationis clementiam tranſmittimus dilectos Concanonicos noſtros *Mauritium* Priorem *Martenn.* & *Guidonem* de *Salem*, ad petendum à vobis licentiam à nobis eligendi paſtorem, ſupplicantes quatenus nobis prędictam licentiam concedatis. Datum Divion. anno Domini M. cc. xlvi. in vigilia beatæ *Mariæ Magdalenæ*.

V I.

SUPPLICATIO CAGIENSIUM

PRO CONFIRMANDO ET BENEDICENDO ELECTO.

Ex Chartulario Eccleſiæ Meldenſis.

REverendo Patri ac Domino P. Dei gratia Meldenſi epiſcopo, *Stephanus* humilis Prior, totuſque conventus monaſterii beatæ *Mariæ* de Cagia Meld. ſalutem, & obedientiam debitam & devotam. Cum omni reverentia & honore paternitati veſtræ tenore pręſentium intimamus, quòd, Monaſterio noſtro Abbatis regimine deſtituto, diem Martis poſt *Lætare Ieruſalem* nuper prętcritam prępfiximus ad electionem in dicto Monaſterio celebrandam. Qua die vocatis qui fuerant evocandi, & præſentibus omnibus qui debebant, volebant, & poterant commode intereſſe, invocata Spiritus ſancti gratia, fuit ab omnibus nobis vir religioſus *Iacobus* Prior de Greſſiaco concanonicus noſter in temporalibus perſpicuus, honeſtæ converſationis & vitæ, Deum ſolum habentibus præ oculis communiter, quaſi per inſpirationem, abſque vitio electus ad regimen noſtri monaſterii memorati. Unde paternitati veſtræ ſupplicamus humiliter & devote veſtram benignitatem; attentius requirentes, quatenus dictam electionem juxta formam juris, prout ſecundùm Deum utilitati noſtri monaſterii videritis expedire, dignemini confirmare: Si quid defuerit, quod non credimus, de veſtra benignitate ſupplentes ſi placet, diem pręfigendo ad noſtrum benedicendum electum.

Mittimus enim ad vos dilectos Concanonicos noſtros *Hugonem* Priorem de *Fontaneto*, *Petrum* de *Condeto*, & Vincentium exhibitores præſentium, ad petendum à vobis noſtro nomine, ut pręmiſſa dignemini adimplere. Datum anno Domini M. CC. L. die Mercurii ante ramos palmarum.

VII.

QUALITER COMMISERINT SE CAGIENSES VOLUNTATI EPISCOPI SUPER PROVISIONE ABBATIS IN EORUM MONASTERIO FACIENDA.

Ex eodem Chartulario.

OMnibus pręſentes literas inſpecturis, Prior & conventus Monaſterii beatæ *Mariæ* de *Cagia* Meld. ſalutem in Domino. Notum facimus, quòd cùm nos unanimiter religioſum virum fratrem *Iacobum* Priorem de *Greſſiaco* Concanonicum noſtrum elegiſſemus ad regimen noſtri Monaſterii ſupradicti, Nos Prior & conventus de *Cagia* prędicti & dictus electus totum jus, ſi quod nobis competit in electione prædicta, reverendi Patris P. Dei gratia Meldenſis Epiſcopi committimus voluntati: promittentes nos ratum habituros & gratum, quicquid idem venerabilis pater ſuper proviſione quæ nunc in noſtro monaſterio imminet facienda juxta ſuæ voluntatis arbitrium duxerit ordinandum. In cujus rei teſtimonium pręſentes literas ſigillo noſtro fecimus roborari. Actum anno Domini M. CC. L. Dominica in ramis palmarum.

VIII.

SUPPLICATIO MONACHORUM DE BENEDICTIONE ABBATIS DE CAGIA PER EPISCOPUM MELDENSEM,

Cui debitam obedientiam & ſubjectionem declarant.

Ex eodem Chartulario.

REverendo Patri & Domino Guillelmo Dei gratia Meldenſi Epiſcopo, humilis beatæ *Mariæ* de *Cagia* Conven-

Digitized by Google

tus, ſalutem & debitæ ſubjectionis obedientiam. Paternitati veſtræ ſignificamus, quod cum Eccleſia veſtra Paſtore eſſet deſtituta, in Capitulum noſtrum convenimus ad eligendum Abbatem die Veneris poſt Dominicam quá cantatur: *Invocavit me*; & cum ibi diu tractatum eſſet de electione, tandem per Dei gratiam omnes qui pręſentes eramus, quorum jam audietis ſubſcriptiones, unanimiter & canonice elegimus fratrem *Herbertum* concanonicum noſtrum virum diſcretum, ſanæ opinionis, & bonis moribus inſtitutum, quem vobis ad benedicendum præſentamus: omnibus modis ſupplicantes, ut ei gratiam benedictionis impendere dignemiui. Ego &c.

IX.

DE BENEDICTIONE ABBATIS S. FARONIS PER PPISCOPUM MELDENSEM.

Ex eodem Chartulario.

REverendo patri & Domino ſuo Guillelmus Dei gratia venerabili Meldenſi Epiſcopo, Frater *Humbertus* ſancti *Faronis* dictus Prior, totuſque ejuſdem loci conventus, ſalutem & tam devotam quàm debitam cum ſumma reverentia obedientiam. Paternitati veſtræ manifeſtum fieri volumus atque notum, quòd cum vir venerabilis *Adam* Abbas viam fuiſſet univerſæ carnis ingreſſus, Monaſterium noſtrum Paſtoris ſolatio deſtitutum non utile judicavimus diutius remanere. Convenientes autem in Capitulo noſtro, prout regularis inſtitutio poſtulabat, invocata ſancti Spiritus gratia, virum venerabilem moribus commendabilem, in honeſtate & converſatione religioſa præclarum, quem ad onus tanti regiminis neceſſarium novimus, & utilem fratrem *Reginaldum* Eccleſiæ noſtræ Monachum de communi aſſenſu Capituli unanimiter ſolum Deum præ oculis habentes elegimus in Abbatem. Inde eſt, quod nos ipſum vobis communiter præſentamus; poſtulantes humiliter & rogantes, ut ei manus benedictionis impendere velitis, ea quæ benedictionis dignitas exigit ſollemniter exhibentes, &c.

X.

DE ABBATE S. FARONIS POST ALTERIUS RESIGNATIONEM.

Ex eodem Chartulario.

REverendo Patri & Domino ſuo Dei gratia venerabili Meldenſi Epiſcopo, frater *Humbertus* ſancti Faronis dictus Prior, totuſque ejuſdem loci conventus, ſalutem & tam devotam quàm debitam cum ſincera dilectione obedientiam. Paternitati veſtræ manifeſtum fieri volumus atque notum, quòd cùm vir venerabilis & ſanctæ opinionis *Ioannes* quondam Abbas noſter in diebus ſuis adeo proceſſiſſet, quod vergente deorſum conditione corporea, præpediente cùm debilitate corporis tum ægritudine nimia, ad onus commiſſi ſibi regiminis ſufficere non valeret, adminiſtrationem ſuam, inſtinctu ſancti Spiritus, ſuæ ſaluti conſulere quærens, ſpontaneus reſignavit. Nos autem, ne monaſterium noſtrum diutius remaneret paſtorali ſolatio deſtitutum, convenientes in Capitulo noſtro, prout regularis inſtitutio poſtulabat, invocata ſancti Spiritus gratia, virum venerabilem moribus & genere nobilem, in honeſtate & converſatione religioſa præclarum, quem ad onus tanti regiminis neceſſarium novimus, & utilem Dominum *Adam* de *Monte Renitru* Eccleſiæ veſtræ Monachum de communi conſenſu Capituli unanimiter elegimus in Abbatem. Inde eſt quòd nos ipſum vobis communiter præſentamus, poſtulantes humiliter & rogantes, ut ei munus benedictionis impendere velitis, ea quæ benedictionis dignitas exigit ſollenniter exhibentes. Ego, &c.

XI.

SUPPLICATIO EPISCOPO FACTA DE ELIGENDO ABBATE MONASTERII REOMENSIS.

Ex Chartulario Eccleſiæ Lingonenſis.

REverendo Domino ſuo & Patri in Chriſto G... Dei gratia Lingonenſi Epiſcopo, H. Prior Reomenſis, totuſque

tuſque conventus ejuſdem loci, cum omni reverentia, ſubjectione, & obedientia tam debita, quàm devota, ſalutem. Cùm monaſterium Reomenſe paſtoris ſolatio ſit ad pręſens, proh dolor, deſtitutum; ne pro defectu Paſtoris in foveam incidamus laboris & doloris, damna meritò temporalium & ampliùs periculum animarum meritò intuentes, mittimus ad vos fratres & Monachos noſtros Reomenſ. *Guidonem* ſcilicet & *Odonem* ſacerdotes pręſentium latores, ad petendum à vobis humiliter & devote licęntiam eligendi. In cujus rei teſtimonium ſigillum Prioris noſtri, & venerabilis Decani Reomenſis pręſentibus appoſuimus. Datum apud Reom. anno Domini M. CC. LI. die Mercurii.

XII.

SVPPLICATIO EPISCOPO FACTA UT ELECTIO PRIORIS VALLIS CAULUM AB IPSO CONFIRMETVR.

Ex eodem Chartulario.

Reverendo in Chriſto Patri ac Domino Dei gratia Lingonenſi Epiſcopo, frater *Theobaldus* Superior humilis domus *Vallis Caulum*, totuſque ejuſdem loci conventus, ſalutem, & cum omni reverentia & honore obedientiam tam debitam, quàm devotam. Noverit veſtra reverenda Paternitas, quòd nos religioſum virum domnum *Henricum* tunc Priorem Vallis Caulum unanimiter & concorditer elegimùs in patrem ſpiritalem pariter & Priorem. Unde excellentiæ veſtræ ſupplicamus humiliter & devote, quatenus curam animarum noſtrarum eidem concedatis. Et quia proprium ſigillum non habemus, rogavimus religioſum virum Priorem *Limaci*, ut ſigillum ſuum præſentibus apponeret in teſtimonium veritatis. Ego verò prædictus humilis Prior *Limaci* ad petitionem ſupradictorum Subprioris, & conventus, ſigillo noſtro præſentes literas ſigillavi. Datum anno Domini M. CC. LXII. menſe Februar.

XIII.

SUPPLICATIO EPISCOPO FACTA DE ABBATE MONASTERII S. PETRI MELVGDVNENSIS.

Ex eodem Chartulario.

REverendo in Chriſto Patri & Domino ... Dei gratia Lingonenſi Epiſcopo, frater Andreas Prior humilis beati Petri Melugdunenſis, totuſque ejuſdem loci conventus, ſalutem & obedientiam Patri & Domino debitam & devotam. Cum monaſterium noſtrum per mortem fratris Ragnaldi Abbatis nunc ſit Paſtore deſtitutum, qui die dominica poſt feſtum beati Barnabæ Apoſtoli fuit viam univerſæ carnis ingreſſus: inde eſt, quòd Paternitati veſtræ ſupplicamus, quatenus, ſi placet, nobis eligendi Paſtorem licentiam conferatis. Et hoc ſub ſigillis noſtris tenore præſenti intimamus. Actum in craſtino dictæ diei anno Domini. M. CC. LXXVI.

XIV.

SUPPLICATIO CAPITULI S. MACHUTI DE BARRO EPISCOPO FACTA,

VT IPSI PARCAT, QVOD DECANVM elegerit abſque illius licentia.

Ex eodem Chartulario.

REverendo & venerabili in Chriſto Patri & Domino ... Dei gratia Epiſcopo Lingonenſi, Capitulum eccleſiæ *S. Machuti* de *Barro*, Decanatu vacante, in Domino ſalutem & obedientiam tam debitam quàm devotam. Cùm omni reverentia & honore paternitati veſtræ ſignificamus humiliter, quòd cùm dicta Eccleſia noſtra nuper Decani ſolalatio deſtituta per mortem venerabilis viri magiſtri *Nicolai* quondam Decani ipſius Eccleſiæ, nos venerabilem virum

magiſtrum *Rodulphum* de *Roſtra* Concanonicum noſtrum, & Canonicum Bitur. nobis in Decanum elegerimus, à vobis ſuper hoc licentia non petita, hoc ex malitia non fecimus vel contemptu; ſed quia quidam ex antiquioribus noſtris Concanonicis aſſerebant, quod in electionibus Decani noſtræ Eccleſiæ à vobis ſeu prædeceſſoribus veſtris hactenus non fuerat eligendi Decanum licentiam petere conſuetum. Quare veſtræ reverendæ Paternitati humiliter ſupplicamus, quatenus ſuper hoc, ſi placet, nobis parcere velitis vice iſta. Promittimus enim ob veſtram & Eccleſiæ Lingonenſis reverentiam quod de cetero, niſi prius à vobis ſeu officium veſtrum vel veſtras vices gerentibus petita licentia, non procedemus ad electionem Decani. In cujus rei teſtimonium præſentibus literis ſigillum Capituli noſtri duximus apponendum. Datum anno Domini M. CC. LXXXIII.

XV.

QUALITER CONVENTUS DE NEALPHA VETERI NUNCIAVERIT CAPITULO MORTEM SUI ABBATIS, ET LICENTIAM PETIIT ELIGENDI ALIUM.

Ex Chartulario Eccleſiæ Carnotenſis.

REverendis Dominis ſuis *Hugoni* Decano, & univerſitati Capituli Carnotenſis, *Guillelmus* prior *Nealphæ* veteris & ejuſdem loci conventus, ſalutem. Subjectionis, devotionis, & obedientiæ plenitudinem, reverentiæ veſtræ ſignificamus, quòd pater noſter *Guillelmus* felicis memoriæ viam univerſæ carnis eſt ingreſſus. Quia Abbatia noſtra viduata paſtore nobis ſine alio medio eſt ſubjecta, mortem ipſius vobis curavimus nunciare per dilectos fratres noſtros J. Subpriorem noſtrum, & *Odonem*, & *Nicolaum* latores præſentium, licentiam poſtulantes humiliter eligendi nobis paſtorem & Patronum animarum noſtrarum.

XVI.

PROCURATIO DE NEALPHA VETERI AD PRÆSENTANDUM CAPITULO ELECTUM DICTI LOCI, UT CONFIRMETUR, ET ACCIPIAT MUNUS BENEDICTIONIS AB EPISCOPO.

Ex eodem Chartulario.

REverendis in Chriſto Patribus ac Dominis ſuis Joanni Decano, & univerſitati Capituli Carnotenſis, Dionyſius Prior Clauſtralis *S. Petri* de *Nealpha veteri*, totuſque ejuſdem loci conventus, devoti humiles & ſubjęcti filii, cum omni reverentia & honore obedientiam tam debitam quàm devotam. Noveritis, quòd nos conſtituimus ac etiam ordinamus religioſos viros fratres *Thomam* de *Alnelio* Sacriſtam, *Joannem* de *Tyrmvalle* Subpriorem, & *Joannem* de *Drimurd* Monachos noſtros, ad pręſentandam vobis electionem factam de religioſo viro & honeſto *Simone* de *Changero* Preſbytero Monaſterii noſtri Monacho profeſſo, ac prępoſito Eccleſiæ noſtræ ſupradictæ, decretumque ipſius electionis; & ad ſupplicandam & petendam confirmationem electionis hujuſmodi; necnon ad informandam pietatem veſtram de jure & juribus electionis ipſius, de meritis perſonarum eligentium, & electi; inſuper ad petendum poſt confirmationem eidem electo de vobis pręſtitam à reverendo in Chriſto patre ac Domino Domino .... Dei gratia Epiſcopo munus benedictionis ſibi impendi: dantes & concedentes pręd ictis procuratoribus, vel duobus ex ipſis, qui præſentes fuerunt, plenariam poteſtatem ac ſpeciale mandatum præmiſſa faciendi, & quæ circa ea fuerunt neceſſaria ac etiam opportuna ratum & gratum habentes, & habituri quicquid per dictos procuratores aut per duos ex ipſis, qui præſentes fuerint, actum geſtumve fuerit, atque procuratum in præmiſſis & quolibet præmiſſorum. In quorum omnium teſtimonium ſigilla noſtra præſentibus literis duximus apponenda. Datum & actum in Capitulo noſtro anno Domini M. CCC. XXVI. die Veneris ante purificationem beatæ *Mariæ* Virginis.

Digitized by Google

XVII.

ELECTIO ABBATIS DE NEALPHA VETERI, PRIUS PETITA ELIGENDI LICENTIA, UT MORIS EST:

ET QUOD CONFIRMETUR PER CAPITULUM Carnotenſe, & accipiat munus benedictionis ab Epiſcopo.

Ex eodem Chartulario.

REverendis in Chriſto Patribus ac Dominis ſuis *Ioanni* Decano, & univerſitati Capituli Carnotenſis, ſui humiles & devoti ac ſubjecti filii fratres, *Dionyſius* Prior clauſtralis monaſterii *S. Petri* de *Nealpha veteri*, totuſque ejuſdem loci conventus, cum omni reverentia & honore obedientiam tam debitam quàm devotam. Bonæ memoriæ Domno *Guillelmo* quondam Abbate Monaſterii noſtri prædicti anno Domini M CCC. XXVI. die XX. menſis Januarii, videlicet die Martis in feſto beatorum *Fabiani* & *Sebaſtiani* viam univerſæ carnis ingreſſo, ipſiuſque corpore die Jovis immediate ſequenti tradito Eccleſiaſticæ ſepulturæ, habito tractatu de ſubſtitutione futuri Paſtoris, petitaque à vobis reverendis patribus, ut moris eſt fieri, eligendi, de providendo dicto monaſterio noſtro Abbate, licentia & obtenta; Nos prior & conventus prędicti in Capitulo ad ſonum campanæ more ſolito congregati, omnium & ſingulorum tunc præſentium aſſenſu concurrente, diem Veneris ante feſtum purificationis beatæ *Mariæ* Virginis, videlicet diem penultimam dicti menſis Januarii cum continuatione dierum ſequentium præfiximus, & aſſignavimus ad electionem futuri Abbatis prędicti Monaſterii noſtri celebrandam. Priores & fratres monachos noſtros abſentes, qui ad eamdem electionem vocari debuerunt juxta juris formam, & noſtri Monaſterii conſuetudinem, ad eamdem diem Veneris ad hoc fecimus ſufficienter citari, & per noſtras literas evocari, cum intimatione, quòd ſive ad dictam diem venirent, ſive non, nos in ipſo electionis negotio procederemus, prout poſſemus, & deberemus, ipſorum abſentia non obſtante. Qua ſi-

quidem die Veneris adveniente, Miſſa ſancti Spiritus in noſtra ecclesia, ac majori Miſſa primitus celebratis, pulſata campana ad Capitulum congregandum & faciendum pro dicta electione facienda, ut moris eſt noſtri monaſterii prædicti, nobis in noſtro capitulo congregatis, præſentibus omnibus qui voluerunt, debuerunt, & potuerunt commode intereſſe, propoſito verbo Dei: deinde Spiritus ſancti gratia invocata, noſtris literis citatoriis prædictis perlectis coram nobis, & de noſtro aſſenſu unanimi; ego frater Dionyſius Prior prædictus, vice & nomine meo, ac totius conventus dicti Monaſterii, monitionem & proteſtationem ſolemniter feci, videlicet quòd ſi eſſent aliqui excommunicati, ſuſpenſi, interdicti Laici, vel alii Monachi Monaſterii noſtri non profeſſi, ſeu alii, ſi qui forſan eſſent inter nos inhabiles ad electionis tractatum, vel qui in electionem hujuſmodi admitti vel intereſſe non deberent, de jure recederent, & alios libere eligere permitterent: & quod tales per aliquos actus ſequentes non intendebamus admittere ad eligendum tanquam jus habentes in electione prædicta, & quòd non intendebamus uti vocibus eorum; ſed quod voces eorum eſſent invalidæ, & nulli præſtarent ſuffragium, nec alicui nocumentum afferrent. Cui proteſtationi omnes & ſinguli de dicto conventu acquieverunt. Quibus ſic actis, ego frater *Dionyſius* Prior prædictus, ad quem prima vox in hujuſmodi electione dignoſcitur pertinere, Spiritus ſancti gratia providente, religioſum virum & honeſtum fratrem *Simonem* de *Changero* Preſbyterum, Commonachum, & Profeſſum, atque Prępoſitum dicti Monaſterii noſtri, & elegi in Abbatem & Paſtorem noſtri monaſterii in hunc modum: Ego frater *Dionyſius* Prior monaſterii beati Petri de Nealpha veteri, nomino & eligo religioſum virum fratrem *Simonem* de Changero Præpoſitum hujus Monaſterii in Abbatem, & Paſtorem noſtrum, & Monaſterii noſtri. Ad quam nominationem meam omnes & ſinguli de dicto conventu unanimiter, & in eodem momento, ſubito, & repente, & ſine inſtigatione alicujus, uno motu quaſi divinitus inſpirati in eumdem conſenſerunt; eumque unà mecum in Abbatem & Paſtorem dicti Monaſterii eligentes cantando: *Te Deum Laudamus*, ad dictam eccleſiam & ad majus altare ejuſdem portaverunt: ac

electionem eam lem ſic canonice celebratam de prædicto fratre *Simone* viro utique provido, diſcreto, profeſſo, ætate maturo, famoſo, religione ſincero ac moribus multipliciter commendato, in ſpiritualibus & temporalibus circumſpecto, ſciente & valente jura noſtræ tueri Eccleſiæ, Clero & Populo canonice publicavimus, & redeuntes ad Capitulum noſtrum eidem electo omnes, & ſinguli, & unanimiter ſupplicavimus, ut electioni hujuſmodi de ipſo ſic canonice celebratæ ſuum præberet aſſenſum: ipſoque electo ſe multipliciter excuſante, tandem multiplici precum noſtrorum devictus inſtantia, nolens divinæ reſiſtere voluntati, ſed volens prodeſſe potius quam præeſſe, hujuſmodi electioni de ſe factæ conſenſit. Ut autem cognoſcat veſtra reverenda Paternitas, nos ad electionem hujuſmodi ita unanimiter & canonice proceſſiſſe, præſens electionis decretum ſigillorum noſtrorum appenſione fecimus muniri: in præmiſſorum teſtimonium Paternitati veſtræ ac dominationi ſupplicantes, quatenus electionem noſtram hujuſmodi approbetis: & ſi defectus aliquis ſit in ea, noſtræ ſimplicitati parcentes, illum de veſtræ benignitatis gratia ſuppleatis, & electionem ipſam tanquam canonicam confirmetis, ipſumque electum noſtrum reverendo Patri in Chriſto ac Domino Domino ... Dei gratia Carnotenſi Epiſcopo præſentetis, eumque requiratis, ut moris eſt, quatenus eidem electo noſtro dignetur munus benedictionis impartiri. Acta ſunt hæc in noſtro Capitulo prædicto anno Domini M. CCC. XXVI. die Veneris prædicta.

XVIII.

CONCESSIO A GUILLELMO EPISCOPO Lingonenſi facta magno Priori Clauſtrali, & omnibus ac ſingulis, Prioribus & ceteris Monachis Monaſterii Moliſmenſis, eligendi Abbatem ſecundum canonicas ſanctiones.

Ex Chartulario Eccleſiæ Lingonenſis.

G*Villelmus* Dei gratia Epiſcopus & Dux Lingonenſis, dilectis in Chriſto filiis magno Priori clauſtrali, & omnibus ac ſingulis Prioribus, & ceteris Monachis Monaſterii Mo-

liſmenſis ordinis S. Benedicti dictæ noſtræ diœceſis, ſalutem in Domino ſempiternam. Cùm Monaſterium veſtrum ſit Paſtoris ſolatio deſtitutum, voſque intendatis & velitis, prout ex parte veſtra recepimus, dicto Monaſterio de novo paſtore providere, & ibidem novum paſtorem ſeu Abbatem eligere ſecundùm canonicas ſanctiones; Nos igitur votis veſtris obtemperantes, ne dictum Monaſterium propter defectum Paſtoris diſpendium patiatur, vobis tenore præſentium concedimus atque damus, prout ad nos ſpectat & pertinet, eligendi hac vice in dicto monaſterio ſecundum ritum dicti monaſterii, & ſanctiones canonicas, tempore temen & loco debitis & honeſtis, convocatiſque ſimul vobis omnibus, qui, ut ad hoc eſt moris, convocari debent, facultatem ac etiam poteſtatem In cujus rei teſtimonium, ſigillum curiæ noſtræ Lingonenſis his præſentibus literis mandamus apponi. Datum die Sabbati poſt Dominicam qua cantatum fuit in ſancta Dei Eccleſia anno Domini M. CCC. LXVI.

ARTICULUS

Digitized by Google

ARTICVLVS QVINTVS

DE JVRE INSTITVTIONIS, DESTITVTIONIS, CORRECTIONIS, REFORMATIONIS, VISITATIONIS, ET PROCVRATIONIS, QVOD EPISCOPI HABENT IN MONASTERIA,

Non obſtante quolibet Privilegio ſive impetrato ſive impetrando.

I.

UNIO HOSPITALIS DE BROCHONE FACTA ECCLESIÆ SIVE MONASTERIO S. STEPHANI DIVIONENSIS:

ET IVS INSTITVTIONIS, DESTITVTIONIS; Correctionis, Reformationis, Viſitationis & Procurationis, quod Epiſcopus habet ſuper eadem domo; quæ renuntiare debet ſub voto religionis cuilibet Privilegio ſive impetrato, ſive impetrando.

Ex Chartulario Eccleſiæ Lingonenſis.

IN nomine Domini, Amen. Univerſis pręſentes literas inſpecturis, frater *Hugo* Abbas humilis ſancti *Stephani* Divionenſis Lingonenſis diœceſis ordinis ſancti *Auguſtini*, totuſque ejuſdem loci conventus, ſalutem in Domino. Noveritis, nos literas reverendi in Chriſto Patris & Domini *Ioannis* Dei gratia Epiſcopi Lingonenſis, ac virorum venerabilium Decani & Capituli Lingonenſis, ſigillis ſigillatas recepiſſe reverenter, formam quæ ſequitur continentes.

In nomine Domini, Amen. Univerſis pręſentes inſpecturis, *Ioannes* miſeratione divina Lingonenſis epiſcopus, ſalu-

tem in Domino. Noveritis, nos ſupplicationem fratris *Ioannis* rectoris domus Dei de *Brochone* noſtræ Lingonenſis diœceſis, & fratrum ac ſororum ejuſdem domus, ſuper unione, incorporatione, & annexione prędictæ domus Dei de *Brochone* faciendis à nobis cum Monaſterio S. *Stephani* Divionenſis ordinis ſancti *Auguſtini* dictæ diœceſis, recepiſſe in hunc modum.

Bonæ rei dare conſultum, & pręſentis habetur vitæ ſubſiſidium, & æternæ remunerationis expectare definitur pręmium. Eapropter, Reverende Pater, nos fratres & ſorores dictæ domus, videlicet *Hugo* de *Divione*, *Ioannes*, *Nacellide*, *Guerreio*, *Ioannes* dictus *Freparem* Preſbyter, *Stephanus* de *Tervant*, *Hugo* de *Morliens*, *Humbertus* de *Fienis*, *Lambertus* de *Chenones*, *Hugo* dictus le *Boucharden*, *Andreas* de *Brouchon*, *Ioannes* de *Vltis Petrus de Broichon*, *Richardus* de *Frems*, *Reverandus* de *Auxiaco*, *Ioannes* dictus *Bouchardem* de *Vicheio*, & *Iacobus* de *Lechuſe*, fratres & converſi dictæ domus, *Ioana* Prioriſſa & *Iormena* Hoſpitalaria domus ejuſdem, diligenter attendentes, quòd, quamvis virtutum Domino ſerviamus, quibuſdam prædeceſſorum noſtrorum inſtitutionibus & regulis gubernemur, tamen ex ſpeciali devotione ſub beati *Auguſtini* ordine, habitu, & regula per ſedem Apoſtolicam ſpecialiter approbatis in Dei Eccleſia militare affectantes, tamque glorioſum habere patronum, ut in via ſalutis ſpecialius dirigamur, & ejus meritis & interceſſione ad gloriam perducamur æternam; ad vicinam & proximā nobis Eccleſiam beatiſſimi protomartyris *Stephani* de Divione prędicti ordinis, quæ quidem Abbatis regimine gubernata viget, actore Domino, rē & fama, regularibus obſervantiis, & moribus approbatis, direximus oculos mentis noſtræ, confidentes rationabiliter, & ſperantes, quòd domus noſtra prędicta cum juribus ſuis & pertinentiis univerſis, quæ multorum patent inſidiis, ad quorum malignos impetus repellendos virtus plena nobis non competit nec facultas, ſi Abbas & conventus Monaſterii prędicti patrocinio fulciatur, eo poterit utilius & ſalubrius in ſpiritualibus & temporalibus gubernari, quo magis membrum corporis ipſi corpori vicinoque capiti conjungetur. Domus enim noſtra prædicta à Divione parum diſtat: poſſeſſiones noſtræ commixtæ ſunt,

contiguæ, & vicinæ poſſeſſionibus monaſterii memorati, & pro magna parte infrà fines Parochiarum dicti monaſterii conſtitutæ. Timebunt etiam volentes delinquere, ſe tantum & tam vicinum correptorem habere, qui remotum vel alias impotentem minime formidarent. Et ſi forte, quod abſit, delinquerent, ipſorum exceſſus ſine difficultate diſpendio poterunt de facili refrenari. Status etiam noſter habitus, atque mores ordini prędicto magis quàm alii convenient, & applaudent: ſtatuſque noſtri mutatio, quæ quorumdam animos exaſperare ſolet, nobis tolerabilior & animabus utilior apparebit. Paternitati igitur veſtræ, Reverende Pater, quantùm devotius poſſimus, humiliter ſupplicamus, quatenus noſtro propoſito favorabiliter annuentes, prędictam domum noſtram cum ſuis bonis, juribus, & pertinentiis univerſis, tanquam membrum corpori, & capiti cum Monaſterio prędicto S. *Stephani* auctoritate & poteſtate ordinaria unire, conjungere, annectere, incorporare & ſubjicere, dignemini ac velitis. Itaque ſub beati *Auguſtini* regula & habitu regulari nos, & ſucceſſores noſtri poſſumus Domino famulari, & ſub Abbatis ipſius, Monaſterii, & ſucceſſorum ejus regimine regulariter vivere, & in ſpiritalibus & temporalibus gubernari. Credimus enim firmiter, & indubitanter ſperamus, quòd in prędicta domo noſtra cum adjutorio Dei & Abbatis dicti Monaſterii, qui pro tempore fuerit, diligentius, melius, & honeſtius obſervabitur religio, hoſpitalitas uberius tenebitur, & fient orationes, & eleemoſynæ, & divina officia abundantius & frequentius in eadem.

Nos autem prædictus Epiſcopus conſiderantes attente piæ ſupplicationis affectum, attendenteſque, quia decet domum Domini ſanctitudo, & inſuper paſtoralis officii cura nos admonet, ut bene agentes etiam ad melius inducere ſtudeamus; volentes eorum ſupplicationi è propoſito laudabili benignæ exauditionis gratiam aperire, recolentes tamen doctrinam Apoſtoli dicentis: *Nemini cito manum imponas*, in prædicto negotio maturius & cum majori deliberatione decrevimus procedendum. Quare viris rationabilibus & diſcretis *Simoni* de *Buxia* Archidiacono Divionenſi in æccleſia Lingonenſi, & magiſtris *Petro* de *Sevignero* Canonico Æduenſi Officiali Curiæ

noſtræ Lingonenſis, ac *Hugoni* dicto *Donpaten* rectori eccleſiæ de *Biſanturia* commiſimus per noſtras patentes literas ſuper his & tangentibus vices noſtras: ut ipſi ad dictam domum accedentes perſonaliter, diligenter inquirerent vota prædictorum Rectoris fratrum & ſororum, ſi ea, quæ in eorum prædicta ſupplicatione continebantur, eſſent veritate ſubnixa; & utrum de conſenſu omnium, quorum intereſt, dicta ſupplicatio facta eſſet. Qui magiſtri *Petrus* & *Hugo* de mandato noſtro ad dictam domum de *Brochone* perſonaliter accedentes de feſto beati *Martini* Hiemalis nuper elapſo, dicto Archidiacono ſe per ſuas literas excuſante de omnibus, & apud omnes, quorum intererat, diligentius inquirentes, & ſe loco noſtri plenius informantes, prædicti magiſtri dictæ domus in ſupplicatione ſua, nomine ſuo, fratrum & ſororum præſentia libera, ac ſpontanea rectoriæ ipſius domus reſignatione ab eis recepta, & in noſtra deliberatione & arbitrio reſervata, nobis retulerunt vera eſſe ea, quæ in ſupplicatione prædicta eorumdem rectoris fratrum & ſororum continentur. Quibus ſuper his fidem plenam adhibemus, maximè quia de omnibus actis in dicto negotio nobis conſtat per publica inſtrumenta. Quare nos ſupplicationem dictorum magiſtri fratrum, & ſororum, ac ipſius magiſtri reſignationem, deliberatione à nobis ſuper hoc præhabita, recipimus: & quicquid per dictos magiſtros *Petrum*, & *Hugonem* factum eſt in dicto negotio, & omnibus ipſum negotium tangentibus, ratum habemus & firmum; eorumdemque magiſtri fratrum & ſororum ſupplicationi favorabiliter annuentes, juſtis de cauſis in eorum ſupplicatione contentis, quas novimus eſſe veras, prædictam domum Dei de *Brochone* cum omnibus mœnibus, bonis, & pertinentiis ejuſdem, prædicto monaſterio ſancti *Sephani* Divionenſis, in nomine Patris & Filii & Spiritus ſancti, auctoritate & poteſtate ordinaria, de voluntate & conſenſu expreſſo virorum venerabilium Decani & Capituli Lingonenſis, in perpetuum unimus, incorporamus, conjungimus, annectimus, & ſubjicimus in ſpiritalibus, & temporalibus, pleno jure retentis nobis & ſucceſſoribus noſtris Lingon. Epiſcopis in futurum juribus Epiſcopalibus, ut inferius declaratur; Mandantes omnibus fratribus & ſororibus dictæ domus, ut

in omnibus Abbati monaſterii S. *Stephani* prædicti, qui pro tempore fuit, tanquam Priori & ſuperiori obediant pariter, & intendant; & omnino moribus & habitu, dicto Monaſterio ſe conforment; ac omnibus aliis, prout ad eos ſpectare dignoſcitur, ut de omnibus proventibus, & exitibus dictæ domus, & pertinentiarum ejus, dicto Abbati reſpondeant: Committentes eidem Abbati pro ſe, & ſucceſſoribus ſuis, auctoritate præſentium, adminiſtrationem dictæ domus de *Brochone*, membrorum, bonorum & pertinentiarum ejuſdem in ſpiritalibus & temporalibus: ipſum in poſſeſſionem dictæ domus auctoritate ordinaria inducentes, juriſdictione, inſtitutione, deſtitutione, correctione, reformatione, viſitatione, & procuratione, ac aliis juribus Epiſcopalibus nobis & noſtris ſucceſſoribus ſemper ſalvis; ſalvo etiam jure virorum venerabilium Decani & Capituli Lingonenſis, Archidiaconi, & Decani Chriſtianitatis Divionenſis, & perſonæ alterius cujuſcumque, prout hactenus habuerunt, & etiam perceperunt. Volumus autem & præcipimus, quòd in dicta domo divina officia ſtudioſe & ſollicite celebrentur; & hoſpitalitas pauperum, ad quam præcipue locus ille fuiſſe dignoſcitur inſtitutus, infirmorum etiam, & aliarum perſonarum miſerabilium, & aliorum tranſeuntium, teneatur, & plene exerceatur: ad quam tenendam & obſervandam in perpetuum, locum illum volumus ſpecialiter obligari, & quòd alia caritatis opera impendantur abſque diminutione aliqua, prout hactenus fieri conſuevit; & quòd Abbas pro tempore in prædicta domo de *Brachone* perſonas idoneas continue tenere procuret ad ſerviendum Deo, & ad hoſpitalitatem tenendam, & debitá ſuffragia offerendum pro animabus illorum, qui dictam domum fundaverunt & dotaverunt, quibus vitæ neceſſaria dictus Abbas congrue ſubminiſtret. Ordinamus etiam & ſtatuimus ad declarationem juris noſtri, quòd electus in Abbatem S. *Stephani* prędicti, poſtquam fuerit confirmatus, infra duos menſes, juſto impedimento ceſſante, ad nos & ſucceſſores noſtros venire perſonaliter teneatur, curam & regimen dictæ domus de *Brochone* à nobis ſine difficultate aliqua recepturus, ſalvis juribus ſuprà dictis: & ſi infra prædictum tempus duorum menſium, juſto ceſſante impedimento, ad Epiſcopum ve-

nire diſtulerit curam & regimen dictæ domus ſpiritualium & temporalium petiturus, illius vice eidem domui de rectore Epiſcopus providebit, & inſtituet unum Canonicum Regularem de ordine beati *Auguſtini.* Itaque in aliis vacationibus poſtea ſequentibus Abbati, qui pro tempore fuerit, nec dicto monaſterio aliquid præjudicium generetur. Quandocumque autem monaſterium prædictum *S. Stephani* abbate vacare contigerit, epiſcopus Lingonenſis, qui pro tempore fuerit, unum de Canonicis dicti monaſterii ſacerdotem in prędicta domo de *Brochone* ponet & inſtituet, qui taliter inſtitutus ſpiritalia & tēporalia gubernabit, quouſque Abbas aſſumptus, poſteà confirmatus, curam & regimen dictæ domus receperit ab eo, qui pro tempore fuerit Epiſcopus Lingonenſis. Cùm autem curam & regimen dictæ domus receperit idem Abbas Canonicus inſtitutus à nobis vel ſucceſſoribus noſtris, de temporalibus perceptis vacationis tempore eidem Abbati reddet integraliter rationem: *Nobis* autem, vel Epiſcopo Lingonenſi, qui pro tempore fuerit ante & poſt, quotieſcumque requiſitus fuerit de ſpiritalibus, reſpondebit: Et ſi Eccleſiam Lingonenſem prælato vacare contingeret, prædicta poteſtas ponendi & inſtituendi Canonicum vacationis tempore, ad Lingonenſe capitulum devolvetur. Poſtmodum autem creato Epiſcopo, per eumdem Epiſcopum committetur cura & regimen prædictæ domus de *Brochone* ipſi Abbati ſine difficultate aliqua, prout ſuperius eſt expreſſum: Et dictus abbas pro tempore ſui regiminis requiſitus reddet rationem Epiſcopo pro ſpiritalibus & temporalibus, quæ tenebit ab eodem epiſcopo, prout de alia ſpiritalitate & temporalitate Monaſterii ſupradicti. In cujus rei teſtimonium ſigillum noſtrum unà cum ſigillo dictorum Decani & Capituli præſentibus literis duximus apponendum. Et nos Decanus & Capitulum omnia & ſingula ſuprà dicta, prout ſuperius fuerunt expreſſa, de voluntate & expreſſo conſenſu noſtro, per dictum Dominum Epiſcopum recognoſcimus & aſſerimus eſſe facta, ſtatuta, præcepta & ordinata, Capitulo noſtro ad hoc vocato & ſpecialiter congregato, rata & grata habentes eadem laudamus & etiam approbamus, In cujus rei teſtimonium ſigillum noſtri Capituli unà cum ſi-

ſigillo dicti Domini Epiſcopi præſentibus literis duximus apponendum. Actum & Datum anno Domini M. XXX. die Martis in feſto beati *Nicolai* Hiemalis.

Nos autem Abbas, & conventus, prædicti noſtri Monaſterii & ſucceſſorum noſtrorum nomine, prædictas unionem, annexionem, hoſpitalitatem, ſtudioſam & ſollicitam divinorum officiorum celebrationem, ac aliorum caritatis operum impenſionem, jurium Epiſcopalium retentionem, & omnia alia & ſingula ſupra dicta, prout ſuperius ſunt expreſſa, quæ confitemur & aſſerimus eſſe vera & in utilitatē cedere noſtri monaſterii ſuprà dicti, diligenti tractatu ſuper hoc inter nos habito in noſtro Capitulo propter hoc ſpecialiter convocato & congregato, rata & grata habuimus & habemus: Promittentes nos, nomine quo ſuprà, ſub voto religionis noſtræ ea omnia & ſingula perpetuis temporibus firmiter tenere, & inviolabiliter obſervare; & non contra facere vel venire aliquo ingenio ſine cauſa, per nos, nec per alium, in futurum tacite vel expreſſe: Volentes & concedentes eidem Domino Epiſcopo, nomine quo ſupra, quòd ipſe & ſucceſſores ejus, qui pro tempore fuerunt Epiſcopi Lingon. nos & ſucceſſores noſtros, quos ad hoc ſpecialiter obligamus, poſſint tanquam de re adjudicata compellere ad prædicta omnia, & ſingula tenenda, & firmiter obſervanda: Renunciantes in prædictis, nomine quo ſupra, ſub prædicto voto exceptioni doli mali vis, metus, & circumventionis, ac omnibus aliis exceptionibus, quæ contra prædicta poſſent objici ſeu dici; & ſpecialiter juri dicenti generalem renunciationem non valere, necnon omni privilegio impetrato, ſeu etiam impetrando. In quorum omnium & ſingulorum teſtimonium ſigilla noſtra præſentibus literis duximus apponenda. Actum in noſtro Capitulo anno Domini M. XXX. die Jovis poſt diem feſtum beati *Nicolai*.

II.

CHARTA DE JURE INSTITUTIONIS, DESTITUTIONIS, PROCURATIONIS, CORRECTIONIS &c.

Quod Epiſcopus Abrincarum plene retinuit in Monaſterium S. Michaëlis, Abbatem, & XII. Canonicos.

Ex libro Pontificali Eccleſiæ Abrincarum.

ANno ab incarnatione Domini M. LX. I. *Ramulfus* Abbas montis *S. Michaëlis*, vir cautus in regimine tam Cleri & Populi, quàm monachalis ordinis, conveni *Ioannem* venerabilem Abrincarum Pontificem ſuper quibuſdam graviminibus, quæ fiebant à miniſtris Epiſcopalibus frequentiſſime ſuper Clerum & Populum montis. Cogebantur venire Abrincas, ad reſpondendum de quacumque accuſatione contra Chriſtianitatem, nec excuſare poterat eos mare inſurgens, nec Britonum inſidiæ, quia præveniri poterant; & ita ſæpe in foriſacta & emendationes Epiſcopales incidebant, & ſæpe juramentis fatigabantur. Propter prædicta ſibi habenda in monte obtulit Abbas Epiſcopo de ſuo competenter per ſingulos annos unam veſtem, quæ tam nobilem & tam ſublimen perſonam deceret cum gratia recipere, & Abbatem montis honorifice dare: & tres libras incenſi, & tres libras piperis, & ſex tabulas ceræ de IX. ponderibus, & tres cereos in purificatione ſanctæ *Mariæ*, unum ſcilicet albæ ceræ unius ponderis ad manum epiſcopi, duos alterius ceræ unius ponderis ad Decani & Theſaurarii manus. Epiſcopus verò præfatus, ut erat animò & genere nobilis, petitioni Abbatis annuit, & Archidiaconum ſuum in monte eum fecit: ita tamen, ut quod bene non faceret, vel non poſſet, Epiſcopus corrigeret Abrincis, & eccleſiaſtico judicio terminaret: de conjugiis autem illicitis, ſi qui legales teſtes procederent, apud Epiſcopum audirentur, & per ſacramentum ipſorum lege diſſolveretur, quod contra legem præſumptum erat: de criminalibus culpis venirent ad judicium & ſententiam Epiſcopi pœnitentes, confeſſi, vel convicti coram ſuo Archidiacono;

Digitized by Google

diacono: excommunicati ab epiſcopo ad ejus ſatisfactionem & abſolutionem venirent: judicium ferri * igniti & aquæ ferventis Abrincis portaretur, ſi Clerici lapſi in culpam degradationis forte invenirentur, quia ad Epiſcopum pertinet ordinatio, & ad ejus judicium pertineret degradatio; ſuſpenſio verò officii pro levioribus culpis in Abbatis judicium eſſet ad correptionem: Talis inter Epiſcopum & Abbatem de villa montis facta eſt conventio. In monaſterio verò *S. Michaëlis* in Abbatem, & Monachos, & XII. Canonicos totum jus epiſcopale retinuit epiſcopus. In monaſterio habet officium facere dedicationis, veſperas præcedentis diei cantabit, & miſſam in die dedicationis; & quicquid interim offeretur ad altare, Epiſcopi eſt, & quod offertur ad manus Capellanorum ſuorum; & ipſe, & omnes qui cum eo venerint, abundanter & honorifice debent procurari; & equis aqua dulcis, & cetera neceſſaria debent in Monaſterio inveniri. Eo die debet eſſe præſto veſtis præfata epiſcopi, & cera, & piper, & incenſum, cerei tres ad purificationem *S. Mariæ*, etiamſi Epiſcopus defuerit. Abbas cum duobus de Canonicis bis in anno debet eſſe ad ſynodum, niſi de licentia Epiſcopi remanſerit, & ſacerdotes montis. Quoties etiam graviores cauſæ emerſerint, Epiſcopus mandabit Abbati, & vocabit eum, & venire debet, niſi inevitabilem & legalem excuſationem prætenderit. Non communicabit Abbas excommunicato epiſcopi ſcienter, nec excommunicabit nominatum aliquem Parochianum epiſcopi extra montem conſiſtentem inconſulto Epiſcopo. Monachi quinta feria Pentecoſtes venient Abrincas cum capite *S. Auberti* ad eccleſiam S. *Andreæ*, in qua ipſe Epiſcopus ſedit, cum proceſſione magna tam Clericorum quàm Laicorum omnium qui domos tenent: & denariatas ceræ matrici Eccleſiæ debent ut ſedi epiſcopali, de qua recipiunt conſilium animarum, & Abbas per ſe, vel per Decanum ſuum oleum & chriſma, ad erogandum Preſbyteris ad Chriſtianitatem faciendam. Canonici omnes ſub Epiſcopi Priore ſunt: & Canonicas, id eſt, præbendas, cùm vacuæ fuerint, diſtribuere debet, ſicut dignum decreverit. Beatus verò *Aubertus*, cui divino munere

* *De probatione ferri igniti & aquæ ferventis, vide ſuprà capitula Theodori, & not. in margine.*

mons ille collatus eſt, eos conſtituit: & de ſuo epiſcopio, ecclefiæ quam conſtruxit, duas villas *Ilium* ſcilicet & *Genecium* ad uſum ſuum & illorum contulit.

III.

CHARTA COMPOSITIONIS INTER EPISCOPUM EDUENSEM SIVE AUGUSTODUNENSEM, ET MONACHOS CLUNIACENS.

IN QUA DECLARATUR JURISDICTIO Epiſcopi Auguſtodunenſis in presbyteros Eccleſiarum Cluniacenſium.

Ex Tabulario Prioratus S. Petri de Paredo.

NOtum ſit amantibus veritatem & pacem, quòd moleſta controverſia, quæ inter Eduenſem Epiſcopum Domnum *Nariodum* & Mon. Clun. duraverat, ſic tandem per manum Domni *Rib.* Albanenſis Epiſcopi Apoſtolicæ ſedis legati, & Domni *Fru.* Nivernenſis Epiſcopi, & Domni *Humbaldi* Antiſſiodorenſis epiſcopi, *Willelmi* Nivernenſis Comitis ſopita eſt. Epiſcopus quidem Carrobium, quod apud villam Melled. & apud Monaſteriolum de more repoſcebat, ex integro Werpivit; Eccleſiam S. *Gengulfi* laudavit & donavit; Eccleſiam *S. Romani* ſimiliter, eccleſiam de *Geſtiis*, ecſiam S. *Albani* de *Ulmo*, judicio peracto; decimas de *Luziaco* caſtro recuperandas jure promiſit adjuvare. De paratis Clun. eccleſiarum in ſua diœceſi poſitarum, quales monetas per xx. annos in vita Domni *Agan* æduenſis Epiſcopi, & Domni *Hugonis* Abbatis Canonici æduenſes ſe recepiſſe probare potuerint, tales deinceps in pace recipiant. Retentum eſt, quòd ad curiam Apoſtolici vel ad curam Regis iturus Epiſcopus à Preſbyteris Clun. eccleſiarum, queſtum ſi fecerit, non tamen violentum. De capella Burdon. condictum eſt, ut à Paſcha obitum Domni *Hugonis* Abbatis ſequente uſque ad quinque annos Cluniacenſes fratres prædicti epiſcopi bonitatem expectent: Sin autem bonitas ejus non arriſerit, jam tunc de ipſa cappella judicium & æquitatem eis exequatur in

loco ex utraque parte convenienti. Conceſſos ab Epiſcopo Preſbyteros fratres Clun. in ſuis Eccleſiis conſtituent : Et ſic vel ipſi Epiſcopo, vel ejus Archipreſbyteris conſtitutos præſentabunt ad commendandam curam animarum. Epiſcopus ipſe promiſit prædicto Legato *Ric.* & prædictis Epiſcopis, atque Comiti, hoc laudamentum perpetuo ſe ſervaturum ; ſin autem promiſſum infregerit, Legatus inde juſtitiam faciat, & Epiſcopi atque Comes relicto Epiſcopo cum Clun. ſe teneant. Huic pacto interfuerunt, idque laudaverunt Eduenſes Canonici, ſcilicet *Vvalterius* Archidiaconus, *Stephanus* Cantor, *Anſericus* Præpoſitus, *Seginus* Archidiaconus, *Humbaldus* Archidiaconus, *Lambertus Deſpirii, Gaufridus* Diaconus. Factum Nivernis menſe Februario anno M. C. IX. Incarn. Dom. ſub Domno *Paſchali* Papa III. Regnante *Ludovico* Rege Francorum, in præſentia Domni *Pontii* Abbatis Clun. cum quo adfuit *Hugo* Abbas *S. Germani Bernardus Iarento*, & alius *Iarento Engelbaldus* Archidiaconus ; & alii multi Clerici & Laici.

IV.

CHARTA, QVA GALO PARISIORUM EPISCOPUS MONASTERIUM S. ELIGII MONACHIS PROPTER VITÆ INFAMIS TURPITUDINEM EIECTIS, ECCLESIÆ B. PETRI FOSSATENSIS CONCEDIT.

VNDE PATET IVS DESTITVTIONIS, Correctionis, reformationis, &c. quod Epiſcopus habet in Monaſteria.

Ex Paſtorali Minore Eccleſiæ B. Mariæ Pariſienſis.

OMnibus notum fieri volumus Monaſterium ſancti *Eligii* Pariſienſis ordini quidem Monacharum antiquitus fuiſſe deputatum ; ſed tantùm diabolico inſtinctu fragilis ille ſexus ad tantam turpitudinis prolapſus eſt miſeriam ut publicæ ſecularitati impudenter adhærendo, voto caſtitatis rupto, propoſito Religionis penitus abjecto, templum Dei ſpeculam

fornicationis effecerit, & vocem noſtræ admonitionis & correctionis nullatenus audierit. Ego igitur *Galo* Dei gratia Pariſiorum epiſcopus & *Guillelmus* Archidiaconus tantum ſcandalum, tantam peſtem minime ferentes, ex præcepto quidem Domni Papæ *Paſchalis*, ex conſilio Regis noſtri *Philippi*, filii ſui *Ludovici*, hortatu etiam canonicorum noſtrorum, infames & incorrigibiles perſonas pro turpitudine vitæ à prædicto Monaſterio eliminavimus, & altiori Religionis ordine cum Dei auxilio ſanctum locum decoravimus. Noverint igitur omnes tam poſteri quàm præſentes, quia Monaſterium ſancti *Eligii* cum omnibus ad illud pertinentibus eccleſiæ beati *Petri Foſſatenſis*, ſalvo quidem jure Pariſienſis eccleſiæ, perpetuo habendam concedimus: ita ſcilicet, ut Abbas Foſſatenſis prædictum Monaſterium, tanquam cellam ſuam poſſideat, & in Monachos illic Deo militantes plenam ac perfectam Abbatis poteſtatem exerceat. Inſtitutum tamen eſt, ut duodecim ad minus Monachi cum ſuo priore ad ſerviendum Deo illic apponantur, qui juxta regulam ſancti *Benedicti* ad ordinem tenendum ſufficere videantur. Sciendum verò eſt, quia illam eamdem poteſtatem, quam prædeceſſores noſtri in Monaſterium ſancti *Eligii* & in Abbatiſſam illius loci antiquitus habuerunt, nos in Abbatem Foſſatenſem ex integro habemus, & in perpetuum retinemus; quantum ſcilicet ad cœnobium ſancti *Eligii*, & ad res illius Monaſterii pertinere videtur. Sed ut totius altercationis moleſtia in poſterum excludatur, quid poteſtatis Epiſcopus, quid juris aut conſuetudinis Canonici ſanctæ *Mariæ* tam in Abbatiſſam quàm in Monaſterium illud prius poſſiderent, & modo poſſideant evidenter apte diſtinximus. Sciendum igitur eſt, quia quoties Pariſienſis Epiſcopus Abbatiſſam ad juſtitiam vocavit, illa proculdubio omnem exequutura juſtitiam ante Epiſcopum ſe præſentavit: Si autem vel ſervus, vel ancilla, vel hoſpes illius Monaſterii contra perſonam Epiſcopi aut contra proprias res illius aliquid forifeciſſet, Abbatiſſa audito prius epiſcopi mandato in præſentia Epiſcopi illos ad juſtitiam faciendam adduxiſſet, & poſt juſtitiam Epiſcopi Abbatiſſa ſuos diſtrictius accepiſſet, ſi voluiſſet: Quòd ſi Abbatiſſa ſervos vel ancillas illius Monaſterii libertati donare, aut terram aliena-

Digitized by Google

re, aut manu firmam facere voluiſſet, nullam poteſtatem, nullam id faciendi licentiam habuiſſet abſque aſſenſu Epiſcopi, & abſque carta ſigillo Epiſcopi & Cancellarii firmata. Hanc ergo poteſtatem in Abbatiſſam & in Monaſterium ſancti *Eligii* Anteceſſores noſtri habuiſſe dinoſcuntur, & nos quoque in Abbatem Foſſatenſis Eccleſiæ eamdem poteſtatis dignitatem, ut ſuperius determinatum eſt, obtinemus: nihil ſcilicet noſtri juris relinquentes, vel relaxantes, ſed tantummodo Abbatiam in cellam commutantes. Canonicis verò beatæ *Mariæ* prędictum Monaſterium ſancti *Eligii* per ſingulos annos duos paſtus ex debita conſuetudine perſolvit, unum ſcilicet in feſtivitate ſancti *Pauli*, alterum in feſtivitate ſancti *Eligii*; ita ſcilicet quod uterque paſtus in refectorio Canonicorum recipitur. Conſuetudo etiam eſt, ut conventus præfati Monaſterii unà cum Canonicis beatæ *Mariæ* proceſſiones faciant, & in diebus Rogationum, & in die Aſcenſionis, & in funeribus Canonicorum; alias etiam proceſſiones pro aëris ſerenitate, ſive neceſſitate, ſi Canonici facere diſpoſuerint, neceſſe eſt prędictum Conventum Canonicorum inſtituta ſequi, eoſque ſi mandaverint in his proceſſionibus comitari. Illud etiam ſilentio pręterire nolumus, quia quoties mater Eccleſia à divino officio ceſſaverit, cœnobium ſancti *Eligii* ex neceſſitate ceſſare, & tacere oportebit. Sub hac igitur diſtinctione, poteſtatem, jura, conſuetudines tam Epiſcopi quàm Canonicorum breviter comprehendimus, ut nulla de cætero controverſia oriatur, & jus & conſuetudo utriuſque Eccleſiæ præſenti privilegio deffendatur. Salvo igitur, ut dictum eſt, jure Pariſienſis Eccleſiæ, aſſenſu Regis noſtri *Philippi*, & filii ejus *Ludovici*, communi etiam Canonicorum noſtrorum conceſſu, Eccleſiæ Beati Petri Foſſatenſis Monaſterium ſancti *Eligii* in cellam poſſidendum concedimus: ea videlicet ratione, ut quoties Foſſatenſis Abbas debitam profeſſionem in Pariſienſi Eccleſia fecerit, ibidem in præſentia Epiſcopi profiteatur. Monaſterium ſancti Eligii, ex dono Epiſcopi, ex beneficio Pariſienſis Eccleſiæ, ſe habere & poſſidere volumus. Etiam illud determinare decrevimus, quia homines prędicti Monaſterii in exercitum Regis inconſulto Epiſcopo nullatenus debent ire,

ſed Abbas aut Prior ex conſilio & mandato epiſcopi, illos debent monere, & in exercitum mittere. Diffinitum etiam eſt, quatinus in feſtivitate beati *Eligii* Canonici ſanctæ *Mariæ* dextrum chorum, Monachi verò ſiniſtrum teneant: ita ſcilicet, ut cum canonico illo qui chorum tenuerit, aut Prior aut Cantor Monachorum ad chorum tenendum recipiatur, & nulla alia perſona ad id faciendum admittatur. Miſſam verò aut Abbas aut Prior cantabit: & ſi neuter interfuit, aliquis ex clero noſtro illam celebrabit. Sciendum verò eſt, quia illa die prędictus paſtus redditur, ſcilicet ex ſex porcis vivis, & ſanæ carnis, ex duobus modiis vini, & dimidio ad menſuram noſtri clauſtri, & ex tribus ſextariis frumenti bene vanati, paſtus verò qui redditur in feſto ſancti *Pauli* de octo conſtat arietibus, & duobus modiis vini cum dimidio ſextario, & ex duobus ſextariis cum dimidio frumenti bene vanati, & ex ſex denariis & obolis. Ut autem hæc conceſſio & inſtitutio inconcuſſa permaneat, præſentem chartam fieri præcepimus, & in ſignum perpetuæ firmitatis ſigillo noſtro illam ſignavimus, & manibus Canonicorum noſtrorum firmandam tradidimus.

Signum *Talonis* Epiſcopi.

Sign. *Berneri* Decani &c.

Actum publicè in Capitulo ſanctæ *Mariæ*, anno Incarnationis Dominicæ M. C. VII. *Philippo* Rege regnante anno XLVII. anno Epiſcopatus *Galonienſis III.*

Girbertus Cancellarius ſcripſit: ſi quis hanc definitionem violare præſumpſerit, anathema ſit.

V.

DE EODEM.

STEPHANUS EPISCOPUS PARISIENSIS IDEM Monaſterium, ex petitione Innocentii *Papæ, &c. Eccleſiæ B. Petri Foſſatenſis concedit, ſalvo in omnibus jure ſuo &c.*

EGo *Stephanus* Dei gratia Pariſienſis Epiſcopus, notum fieri volo cunctis fidelibus tam poſteris quàm pręſentibus, Monaſterium ſancti *Eligii* Pariſienſis ordinis ſanctimonialium fuiſſe antiquitus deputatum. Verùm pro nimia illius ſexus

Digitized by Google

fragilitate, qui voto caſtitatis rupto, & propoſito religionis abjecto, ad intolerandam turpitudinis prolapſus erat miſeriam, ita ut templum Dei effeciſſet fornicationis ſpeluncam; venerabilis & bonæ memoriæ prædeceſſor noſter *Galo* Pariſienſis Epiſcopus tantam peſtem ne ferens, infames & incorrigibiles perſonas pro turpitudine vitæ à prædicto eliminavit & prorſus alienavit Monaſterio: volens etiam ſanctum locum altiori Religionis ordine decorare, prędictum ſancti Eligii monaſterium cum omnibus ad illud pertinentibus Eccleſiæ beati Petri Foſſatenſis jure perpetuo habendum, minùs tamen Canonice quàm deceret, donavit & conceſſit; quod ſiquidem, donum, quia nec ordinate ita ut oporteret ſecundum Deum actum eſt, Abbas Eccleſię Foſſatenſis *Theobaldus* vir quidem diſcretus & honeſtus ſuæ & ſubditorum famæ conſulens & ſaluti; prædictum beati *Eligii* Monaſterium nobis manu noſtra reddidit & dimiſit; & ſex Monachos Foſſatenſes prædictum Monaſterium nec ſecundùm Deum adeptos eſſe nec bene poſſediſſe cognovit. Cùm verò idem Monaſterium in manu noſtra diu tenuiſſemus, tandem miſericordia, quæ omnino humilitatis amica eſt, oculis noſtris ſe offerens, viſa eſt nobis exigere: ut quæ prædictus Abbas nobis dimiſerat timore Dei & humilitate compulſus, & Eccleſiæ Foſſatenſi miſericorditer donaremus. Dignum enim non erat, ut ex hoc quod humilitatis gratia feciſſe videbatur, aliquod ei damnum vel incommodum ſequeretur; imo quia amor humilitatis videbatur, ut ita dicamus, abſtuliſſe, miſericordia, quia illius amica eſt, debebat reſtituere. Amore itaque miſericordiæ inclinati, & petitione Domni Papæ *Innocentii*, & prece Domni *Ludovici* Illuſtris & glorioſi Francorum Regis inflexi, & Religioſorum virorum inducti aſſenſu, etiam *Berneri* Decani & Capituli noſtri prædictum S. *Eligii* monaſterium cum omnibus ad illud pertinentibus *Aſcelino* Abbati & Eccleſiæ beati *Petri* Foſſatenſis perpetuò habendum, ſalvo quidem in omnibus jure noſtro, & ſucceſſorum noſtrorum, & ſalvis in omnibus & per omnia conſuetudinibus Eccleſiæ Pariſienſis, donamus & concedimus: ita ut ſcilicet Abbas Foſſatenſis præſcriptum Monaſterium tanquam cellam ſuam habitet, & in Monachos ibi

Deo militantes plenam & perfectam Abbatis poteſtatem exerceat.

Signum *Stephani* Epiſcopi.

Sig. *Bernerii* Decani &c.

Actum publice in Capitulo beatæ *Mariæ*, anno Incarnationis M. C. XXXIV. Regnante *Ludovico* Rege, anno XXVII. *Ludovico* juniore in Regem ſublimato, anno III. anno Epiſcopatus *Stephani* XI. Datum per manum *Algrini* Cancellarii.

V I.

COMPOSITIO AB HUGONE AUTISIODORENSI EPISCOPO ET GAUFRIDO CATHALAUNENSI FACTA EX PRÆCEPTO INNOCENTII II. INTER ECCLESIAM MELDENSEM ET FARENSE MONASTERIUM.

IN QUA OBSERVANTUR IURA EPISCOPI in ſacerdotem Farenſis Monaſterii, & aliquot Abbatiſſæ Privilegia.

Ex Chartulario Farenſis Monaſterii.

EGo *Hugo* Dei gratia Antiſiodorenſis Epiſcopus & *Gaufridus* eadem gratia Cathalaunenſis miniſter, ſcribimus notitiæ tam pręſentium quàm futurorum, quòd ex pręcepto noſtri Patris *Innocentii* Papæ convocavimus *Manaſſem* Meldenſem Epiſcopum, & *Riſendim* Abbatiſſam Farenſis Monaſterii, ponentes eis locum apud Sezennam. Affuit etiam *Toſlanus* venerabilis Sueſſionenſis Epiſcopus, licet propter aliam cauſam vocatus. Auditis deinde rationibus Epiſcopi Meldenſis & Abbatiſſæ, cùm deberemus ad judicium ſecedere: volentes illorum cauſam magis conſilio quàm judicio terminare, monuimus Epiſcopum Meldenſem & Abbatiſſam jam dictam, quatinus ſine omni retractatione & reclamatione noſtræ diſpoſitioni & eorum quos nobiſcum vocaremus adquieſcerent,

cerent. Et audiente toto illo conventu, pars utraque conquievit. Habentes igitur nobiſcum Sueſſionenſem Epiſcopum, convocatiſque venerabilibus Abbatibus *Simone* Caziacenſi, *Natali* Reſbacenſi, *Guillermo* S. *Martini* de Trecis, *Rainero* quoque Magiſtro, & *Gautherio* Sueſſionenſi Archidiacono, deliberavimus quòd ſacerdos Farenſis monaſterii Populum recturus de manu Meldenſis Epiſcopi curam totius parrochiæ tàm Clericorum quàm Laicorum ſuſcipiet: chriſma quoque & aquam reconciliationis eccleſiarum, ſi violatæ fuerint, ab Eccleſia Meldenſi requiret. Sane ſacerdos ille, ſi qua culpa fuerit notatus, prima vice mandabit Epiſcopus Abbatiſſæ ut conſilio Clericorum ſuorum corrigat eum: ſi autem poſtea crebuerit eadem infamia atque ſuccreverit, tunc Epiſcopus per Abbatiſſam ſtatuet diem, quo veniens Epiſcopus in Capitulum ſanctæ *Faræ* per ſe ſacerdotem illum judicabit; & ſi ei viſum fuerit, deponet. Porro ſi culpa ſacerdotis per pœnitentiam & per pecuniam debeat puniri, Epiſcopus imponet ſacerdoti pœnitentiam, ſed Farenſis Eccleſia retinebit pecuniam. Sic de omnibus Parrochianis ſtatutum eſt, ut ſi quęlibet eorum culpa mulctatur per pecuniam, ſemper Eccleſia Farenſis habebit eam; ſed Parrochianos ſuos ducet ſacerdos ad Epiſcopum propter ſuorùm criminum pœnitentiam. Tandem ſi ſacerdos ille venerit ad ſynodum Meldenſem, an non venerit, ſtatuere ſuperſedimus; quoniam audivimus ſacerdotes Jotrenſem & Reſbacenſem, qui ſimiliter curam de manu Epiſcopi ſuſcipiunt, nunquam ſediſſe, nec etiam ad ſynodum veniſſe, & hoc Eccleſias illas ex antiquiſſima conſuetudine tenuiſſe. Et quia teſtatur Apoſtolus, quòd *in pace vocavit nos Deus*, & alibi, *Pacem ſequimini cum omnibus & ſanctimoniam ſine quà nemo videbit Deum.* Demum ſtatuentes promulgavimus, ut Epiſcopus Meldenſis priſtinam gratiam & pacem redderet Farenſi Monaſterio, & reformaret cum omnibus tam vivis quàm defunctis. Ut autem eſſe factum credatur, impreſſione ſigillorum noſtrorum teſtamur.

VII.

COMPOSTIO SUPRADICTA A MANASSE MELDENSI EPISCOPO COMPROBATUR.

Ex eodem Chartulario.

IN nomine Patris, & Filii, & Spiritus ſancti, Amen *Manaſſes* Dei gratia Meldenſis Epiſcopus, omnibus ad quorum notitiam pręſentes litterę pervenerint, ſalutem. Erat olim querimonia & mota controverſia inter Eccleſiam Meldenſem & Farenſe Monaſterium: quá à Domino Papa *Innocentio* Epiſcopo Cathalaunenſi & Epiſcopo Autiſiodorenſi ad terminum ſive concordia, ſive judicio commiſſa, accito Sueſſionenſi Epiſcopo, de Reſbacenſi, & Chaziacenſi, & Trecenſi, ſancti ſcilicet Martini Abbatibus, & Magiſtro Rainerio de Gualtherio, Sueſſionenſi Archidiacono, & aliis quampluribus Eccleſiaſticis ac religioſis perſonis, in hunc tandem concordiæ tenorem utriuſque partis aſſenſu devenerunt apud Sezanam, qui in litteris ab ipſis Epiſcopis huic cauſæ præſidentibus ſigillatis de ejuſdem modo concordiæ plenius continetur. Hanc pacis compoſitionem ab ipſis formatam & firmatam, Ego quoque *Manaſſes* Meldenſis Epiſcopus conſenſu Decani & Archidiaconorum & Capituli mei concedo, & præſentis ſigilli mei auctoritate confirmo, & in perpetuum integram illibatamque in ſuo robore manere decerno. Quòd autem Clerici & Burgenſes Farenſis Monaſterii ſemel pro cauſa quadam Meldenſem adierunt, neutri volumus parti præjudicare; cum id factum ſit, ſalvo utriuſque partis jure.

S. *Manaſſe* epiſcopi.
S. *Hugonis* Decani.
S. *Theobaldi* Archidiaconi.
S. *Radulfi* Archidiaconi.
S. *Radulfi* Capellani.
S. *Vvertici*.
S. *Gualterii* de *Creceio*.
S. *Garini* de Belo.

Digitized by Google

S. *Gerardi.*
S. *Rorici.*
S. *Gauſri* Filii Pagani.
S. *Emmaurici.*
S. *Bartholomæi* Decani Pariſienſis.
S. *Bartholomæi* Rufi.
S. *Goſcelini.*
S. *Godefridi Agnel.*
S. *Garnerii Caſei.*
S. *Hugonis* de *Ororio.*
S. *Rainaldi* de *Provincio.*
S. *Adam* filii *Cantoris.*
S. *Adam* filii *Gandrici.*
S. *Urſi* de *Caſtro Theodorici.*
S. *Petri* filii *Macharii.*
S. *Roberti Liſche.*

VIII.

EADEM COMPOSITIO AB INNOCENTIO II. ET LUCIO II. CONFIRMATUR.

Ex eodem Chartulario.

INnocentius Epiſcopus ſervus ſervorum Dei, dilectæ in Chriſto filiæ *Riſſendi*, Abbatiſſæ *Farenſis* Monaſterii, & ſororibus ſibi in Abbatiæ regimine regulariter ſucceſſuris in perpetuum. Juſtitiæ ac rationis ordo ſuadet, & ſicut ea quæ à nobis ſtatuta ſunt, firma debent & illibata perſiſtere; ita nichominus quæ à fratribus noſtris rationabiliter fiunt, auctoritate Apoſtolica roborentur. Inter venerabilem ſiquidem *Manaſſem* Meldenſem Epiſcopum & te dilecta in Domino filia *Ricendiſe* Abbatiſſa controverſia agebatur, quam profecto venerabilibus fratribus noſtris *Gaufrido* Cathalaunenſi & *Hugoni* Autiſiodorenſi epiſcopis commiſimus terminandam. Qui adhibitis ſibi religioſis viris atque prudentibus, eandem controverſiam, ſicut ex eorum ſcriptis accepimus, terminarunt. Et quoniam noſtri officii eſt paci & tranquillitati eccleſia-

rum omnium paterna ſolicitudine providere, quod ab eiſdem fratribus noſtris exinde rationabiliter factum eſt, pro bono pacis & concordiæ, pręſenti ſcripto firmamus & ab utraque parte obſervari ſancimus. Nulli ergo hominum fas ſit te vel monaſterium tuum ſuper hoc temerè perturbare, aut aliquam vobis exinde contrarietatem inferre. Si quis autem auſu temerario id attemptare præſumpſerit, indignationem omnipotentis Dei, & beatorum Petri & Pauli Apoſtolorum ejus incurrat.

Ego Innocentius Catholicæ Eccleſiæ Epiſcopus &c.

Datum Laterani per manum *Aimerici* ſanctæ Romanæ eccleſiæ Diaconi Cardinalis & Cancellarii decimo Kalendas Novemb. Indict. III. Incarnationis Dominicæ anno M. C. XXXVIII. Pontificatus verò Domni *Innocentii* Papæ ſecundi anno decimo.

Lucius *Epiſcopus ſervus ſervorum Dei, dilectis in Chriſto filiabus* Riſſendi *Abbatiſſæ Farenſis Monaſterii ejuſque ſororibus tam præſentibus quàm futuris in perpetuum.* Quotiens illud à nobis petitur quod religioni & honeſtati convenire dinoſcitur, animo nos decet libenti concedere & petentium deſideriis congruum impartiri ſuffragium. Eapropter dilectæ in Domino filiæ venerabilis fratris noſtri *Alberici* Hoſtienſis epiſcopi precibus inclinati, veſtris juſtis poſtulationibus clementer annuimus, & prefatum Monaſterium in quo divino mancipatæ eſtis obſequio ſub beati Petri & noſtra protectione ſuſcipimus, & præſentis ſcripti privilegio communimus: ſtatuentes, ut quaſcumque poſſeſſiones, quæcumque bona idem Monaſterium inpræſentiarum juſte & cononice poſſidet, aut in futurum conceſſione Pontificum, largitione Regum vel Principum, oblatione fidelium, ſeu aliis modis Deo propitio poterit adipiſci, firma vobis veſtriſque ſuccedentibus & illibata permaneant. Concordiam autem, quæ inter vos venerabilem fratrem noſtrum *Manaſſem* Meldenſem epiſcopum ex mandato prędeceſſoris noſtri felicis memoriæ Papæ *Innocentii* per venerabiles fratres noſtros *Gaufridum* Cathalaunenſem & *Hugonem* Autiſiodorenſem epiſcopos rationabiliter facta eſt, & ab eodem prædeceſſore noſtro confirmata, pręſenti ſcripto firmamus & ab utraque parte ſervari ſãcimus. Decernimus ergo,

Digitized by Google

ut nulli omnino hominum liceat jam dictum Monaſterium temere perturbare, aut ejus poſſeſſiones auferre, vel ablatas retinere, minuere, aut aliquibus vexationibus fatigare; ſed omnia integra conſerventur, veſtris, & eorum pro quorum gubernatione & ſuſtentatione conceſſa ſunt uſibus omnimodis profutura; ſalvâ Dioceſani Epiſcopi canonicâ juſtitiâ & Apoſtolicæ Sedis auctoritate. Si qua igitur in futurum Eccleſiaſtica ſæculariſve perſona hanc noſtræ conſtitutionis paginam ſciens contra eam temere venire temptaverit, ſecundò tertiove commonita, ſi non ſatisfactione congrúa emendaverit &c. Reamque ſe divino judicio exiſtere de perpetrata iniquitate cognoſcat, & à ſacratiſſimo corpore ac ſanguine Dei & Domini Redemptoris noſtri *Jeſu Chriſti* aliena fiat, atque in extremo examine diſtrictæ ultioni ſubjaceat. Cunctis autem eidem loco juſta ſervantibus ſit pax Domini noſtri *Jeſu Chriſti*, quatinus & hic fructum bonæ actionis percipiant, & apud diſtrictum judicem præmia æternæ pacis inveniant. Amen.

Ego *Lucius* Catholicæ Eccleſiæ Epiſcopus S.
Ego *Conrardus* Sabinenſis Epiſcop. S.
Ego *Theodeuvinus* ſanctæ Rufinæ Ep. S.
Ego *Albericus*. Hoſtienſis Epiſcop. S.
Ego *Incarus* Tuſculanus Epiſ.
Ego *Gregorius* Preſbiter Cardinalis tituli Calixti. S.
Ego *Thomas* Preſbiter Card. tituli veſtinæ. S.
Ego *Gilbertus* Preſbiter Card. tit. S. *Marci* S.
Ego *Guido* Preſbiter Card. tituli SS. Laurentii & Damaſi. S.
Ego Bb. Diaconus Cardinal. SS. Sergii & Bacchi. S.
Ego *Guiſo* Diaconus Bardin. SS. Coſmæ & Damiani.
Ego *Iohannes* Diaconus Card. ſancti Adriani. S.
Ego *Radulphus* Diaconus Cardinalis ſanctæ Luciæ in ſepto ſolis. S.

Datum Laterani per manum Baronis ſanctæ Romanæ Eccleſiæ Subdiaconi III. Kalend. Junii, Indictione ſeptima Incarnationis Dominicæ anno 1144. Pontificatus verò Domini Lucii Papæ ſecundi anno primo.

IX.

PRIMA INSTITUTIO SUCCENTORIS,

IN QVA FIT MENTIO DE IVRE inſtitutionis & deſtitutionis quod Epiſcopus habet in Succentore, perinde ac in Cantorem,

Ex Chartulario Eccleſiæ Meldenſis.

IN nomine ſanctæ & individuæ Trinitatis. Quæ in Eccleſia Dei pia Prælatorum devotione laudabiliter ordinantur digna ſunt ſcripto commendari, ut res ipſa imitandi præbeat aliis incitamentum, & ut cauta ſcriptio præciſis calumniæ occaſionibus conſervet rei tenorem inconcuſſum. Noverit utique generatio præſens & futura, quòd Ego *Stephanus* Dei patientia Meldenſis Epiſcopus, conſentiente pariter & coadjuvante capitulo beatæ ſemperque Virginis *Mariæ* & beati protomartyris *Stephani* Succentorem conſtituimus: decorem domus Dei, & Eccleſiaſtici commoditatem ſervitii attendentes, Nos Succentori quadraginta ſolidos in perpetuum conceſſimus in cenſu Meldenſi ac cenſu Vinelolii aſſignatos ſub hac verò diſtributione ab Epiſcopo annuatim perſolvendos; ut dimidium in feſto ſancti *Remigii*, reliquum dimidium in Nativitate Domini reddatur. Capitulum quoque in ſuis apud pontem *Muchre* redditibus quadraginta ei dedit ſolidos in Epiphania Domini perpetuò ſolvendos. Cantor etiam ex conſenſu noſtro & voluntate in propria Cantoriæ præbenda viginti ei ſolidos aſſignavit in feſto ſancti *Remigii*, & in Nativitate Domini per duas medietates reddendos. Facta eſt itaque ſumma reddituum Succentoris centum ſolidi. Exigendum eſt autem à Succentore ex debito officii, ut in Eccleſiæ ſervitio ſit aſſiduus: & quod ad ſuum dinoſcitur pertinere officium diligenter adminiſtret. Conceſſum etiam eſt & firmatum conniventia univerſi Capituli, ut Epiſcopus ſicut Cantorem, ita Succentorem libere penitus, & abſque conſilio Capituli habeat ſubſtituere. Hoc igitur à nobis, Capitulo, & Cantore in nomine ſanctæ Trinitatis conſtitutum. Quia

Digitized by Google

funiculus triplex difficile rumpitur, tribus quoque confirmatum eſt ſigillis præſenti paginæ impreſſis, noſtro videlicet ſigillo, ſigillo Capituli, & ſigillo Cantoris. Actum eſt ſollemniter in communi Capitulo anno ab Incarnatione Domini M. C. LXIII. nobis præſentibus aſſiſtentibus pariter & aſſentientibus ſubter aſſcriptis perſonis *Vuillino* Decano, &c.

X.

AUTHENTICUM SUPER TRANSACTIONE FACTA INTER EPISCOPUM MAURITIUM ET ABBATEM COLUMBENSEM SUPER ECCLESIA S. GERMANI IN LEIA:

IN QUO PLURA NOTANTUR DE IURE Epiſcopi in Abbatem & Monaſterium.

Ex Chartulis Eccleſiæ Pariſienſis.

IN nomine ſanctæ & individuæ Trinitatis. Amen. Controverſiam quæ agebatur inter Dominum *Mauritium* epiſcopum Pariſienſem, & ex altera parte Dominum *Rogerum* Abbatem Columbenſem, & ejus fratres de monaſterio *S. Germani* in *Leia*, & de Parrochia ibi adjacente, *Oſmundo* Canonico Pariſienſi, & *Milone* Archipreſbytero Mediolanenſi, fide promiſſa & pignoribus datis commiſerunt prædictus Epiſcopus cum conſenſu Capituli ſui, & Abbas cum conſenſu fratrum ſuorum tranſactione terminandam. Controverſia ſiquidem talis erat: Conveniebat epiſcopus Abbatem, & dicebat Monaſterium de *Leia* per omnia ad ſe pertinere, duplici ſcilicet ratione, donatione *Henrici* Regis Francorum, & quia infra terminos ſui epiſcopatus conſtitutum eſſe aſſerebat; curam verò animarum Populi illius loci & jus Parochiale ad ſe ſpectare firmiter proponebat, tum quia infra ejus dioceſim populus ille conſtitutus foret, ſicut dicebat, tum etiam quia per ſacerdotem ſuum poſſidere & diu poſſediſſe allegabat: Abbas verò è contrario reſpondebat, dicens ſe habere plura Regum privilegia, & inficiabatur prædictum Monaſterium ſive Parrochiam fore in epiſcopatu Pariſienſi; & dicebat ſe poſſide-

re Monaſterium, & jus Parrochiale totius loci, ſacerdotemque nomine ejus ibi fore, & poſſediſſe tam Parrochiam quàm Monaſterium ſexaginta annis, aut eò amplius. Quorum ita rationibus hinc inde diligenter auditis, præceperunt *Oſmundus* Pariſienſis Canonicus & *Milo* Mediolanenſis Archipreſbyter, ea quæ infrà ſcripta ſunt ab utraque parte inviolabiliter obſervari: ſtatuentes ſcilicet, ut amodo Monaſterium, & capella *S. Egidii*, & populus totius Parrochiæ chriſmate & oleo Pariſienſis eccleſiæ nutriatur. Eccleſia quoque S. Germani ſeu altaria ſive capella S. Egidii, ſi conſecrari contingat, à prædicto epiſcopo conſecrabuntur. Clericis ejuſdem Parrochiæ ordines dabit, curam quoque animarum recipiet Dominus *Rogerus* Abbas ab Epiſcopo Pariſienſi, & eum inveſtiet, & unuſquiſque ſucceſſorum ejus infra annum benedictionis ſuæ requiret ab Epiſcopo inveſtituram, quam ſi diſtulerit facere, nihilominus habebunt prædictam curam. Dabit quoque Parrochiam ſuam Abbas, & prædictam curam, ſicut voluerit, uni de ſacerdotibus Pariſienſis confinii de *Alpeco* ſcilicet vel de *Mereo*, ſi idoneum invenerit: Alioquin, undecunque voluerit, libere accipiat. Matrimoniorum verò ſi emergat quæſtio, in præſentia Epiſcopi terminabitur. In ſignum quoque ſubjectionis & reverentiæ, unuſquiſque Epiſcoporum Pariſienſium infra annum creationis ſuæ Bizantium ab Abbate recipiet. Cetera verò præter illa quæ ſuperius dicta ſunt ſive in ſpiritualibus ſive in temporalibus, libere & abſolute ad Abbatem Columbenſem pertinebunt; ut nec de ſynodo, ſeu ſynodalibus, vel curata aut aliquo alio modorum ex debito Pariſienſi Epiſcopo, vel Eccleſiæ, ſeu Decano, vel Archidiacono ex pacto reſpondeat: Si verò contingit Epiſcopum ad Monaſterium S. Germani venire, remota proceſſione & omni procuratione in hoſpitio ſuſcipietur. Hæc autem ſtatuta ſunt, ſalva in omnibus ſacroſanctæ Romanæ auctoritate Eccleſiæ. Actum, &c.

XI.

XI.

DE JURE PROCURATIONIS,

QVOD EPISCOPVS HABET IN DOMVM ſanctæ Celiniæ, *juxta tamen illud Evangelicum:* Qui non laborat non manducet.

Ex Chartulario Eccleſiæ Meldenſis.

NOs fratres Capituli majoris monaſterii, & ego *Hervens* ejuſdem Eccleſiæ humilis miniſter, omnibus qui præſentes literas viderint & audierint notum facimus, quod de quadam contentione, quæ inter nos, & Dominum Simonem Meldenſem Epiſcopum longo tempore agitata eſt, ſuper procuratione quam in domo ſanctæ Celiniæ requirebat, in hunc modum compoſuimus: Habebit ſiquidem Epiſcopus ſingulis annis pro procuratione illa xx. ſolidos, quando eum feſtivitati ſanctæ Celiniæ contigerit intereſſe; Si verò eidem feſtivitati non interfuerit, xx. ſolidos nec requiret, nec habebit juxta illud Evangelicum: *Qui non laborat, non manducet.* Ut autem hæc compoſitio perpetuæ ſtabilitatis obtineât firmamentum, præſentes literas inde fieri & ſigillo noſtro fecimus confirmari. Actum eſt hoc anno incarnati Verbi M. C. LXXXII. Teſtes, &c.

XII.

DE PROCURATIONE EPISCOPI IN ECCLESIA S. EXUPERII DE CORBOILO.

Ex Chartulis Eccleſiæ Pariſienſis.

IN nomine Domini Amen. *Dela* Dei gratia Francorum Regina, notum fieri volumus univerſis qui præſentes literas viderint vel audierint, quod, cùm querela quam venerabilis Pariſienſis Epiſcopus *Mauritius* ſuper procuratione ſibi exhibenda adverſus eccleſiam *S. Exuperii* de Corboilo proponebat, de mandato Domini *Clementis* Papæ III. *Mainardo*

Pontiniacenſi & *Guidoni* Pruſiacenſi Abbatibus commiſſa fuiſſet, in præſentia noſtra, mediantibus venerabilibus viris *Hugone* Autiſiodorenſi & *Ioanne* Nivernenſi Epiſcopis, hoc modo in amicabilem compoſitionem eſt redacta: Si Pariſienſis Epiſcopus Corboilum cum Archidiacono ejuſdem caſtri, vel etiam ſine Archidiacono, die feſtivitatis *S. Exuperii* prima ſcilicet die Auguſti in eadem Eccleſia divina celebraturus advenerit, Canonici S. Exuperii pro procuratione ei quinquaginta tantum ſolidos perſolvere tenebuntur, ſi verò Archidiaconus ſine Epiſcopo die feſtivitatis prædictæ ad Eccleſiam illam acceſſerit, Canonici nihil Archidiacono pro procuratione perſolvent. Quocunque autem alio die vel tempore, Epiſcopus vel Archidiaconus ad Eccleſiam S. Exuperii venerit, nullam vel Epiſcopo vel Archidiacono procurationem exhibere debebunt. Actum apud Meledunum, &c.

XIII.

AUTHENTICUM CAPITULI PARISIENSIS SUPER EADEM PROCURATIONE.

IN nomine ſanctæ & individuæ Trinitatis. Amen. Ego *Michaël* Pariſienſis Decanus, totumque ejuſdem Eccleſiæ Capitulum, &c. *ut ſuprà.*

XIV.

PRIVILEGIUM DE PROCURATIONE ARCHIDIACONI, ET JURISDICTIONE EPISCOPI IN SCALENSEM ECCLESIAM.

Ex iiſdem Chartulis.

ODo miſeratione divina Pariſienſis electus, *Hugo* Decanus, & *Petrus* Cantor ejuſdem Eccleſiæ, & *Robertus* Prior *S. Martini* de *Campis*, omnibus Chriſti fidelibus ad quos præſens ſcriptum pervenerit, perpetuam in Domino ſalutem. Cùm inter *Mauritium* Pariſienſem Archidiaconum, & Sca-

Digitized by Google

lenſem Eccleſiam controverſia ageretur, ex delegatione ſummi Pontificis commiſſa Domino *Petro* Atrebatenſi Epiſcopo, *Roberto* Abbati *S. Victoris*, & *Roberto* Priori *S. Martini* de *Campis*, ſuper procuratione præfati Archidiaconi, & quibuſdam gravaminibus, quæ ſibi illata præfata Scalenſis Eccleſia aſſerebat; cùm tertius præſens adeſſe non poſſet, coram duobus Abbatiſſa quæ procurationem deberi negabat ex parte ſua ſuique conventus liti renunciavit: & literis à quocunque ſuper his ſive impetratis ſive impetrandis, exhibitis etiam literis de rato promiſit pro ſe & Capitulo ſuo Archidiacono ſimiliter promittente, quòd quicquid inde faceremus ratum haberent, & in perpetuum ſine contradictione qualibet obſervarent. Nos autem de utriuſque partis aſſenſu habito prudentum conſilio, ut Abbatiæ in perpetuum caveremus ab omni gravamine & malignandi occaſione, ſicut ſtatum eſt in Lateranenſi Concilio, ita pronunciando expreſſimus ut videlicet Archidiaconus cùm ſemel in anno venerit ad Scalen. Eccleſiam, ſicut decet officium ſuum, numerus equiturarum ipſius ſeptenarium non excedat, Decano ſuo cum eo etiam veniente, adjuncto competenti numero conſervorum ad tot evectiones pertinentium: accepturus cum gratiarum actione quod ſibi honeſte fuerit appoſitum, & ſi aliquid ſecum attulerit pertinens ad cibum, vel potum, vel ceram, vel aliud, niſi ei gratis oblatum fuerit, aſportabit. Si autem vel procuratio, vel aliquid ad procurationem pertinens denegabitur, aut minus honeſte fuerit exhibitum, Archidiaconus juriſdictione ſuâ propter hoc non utetur, ut videlicet autoritate ſua Eccleſiam, vel aliquam perſonam ad Eccleſiam pertinentem ſententiæ ſupponat: Sed querimoniam apud Epiſcopum deponet, & Epiſcopus faciet emendari, ſicut decebit, vel Pariſienſe Capitulum ſede vacante, in omnibus aliis reſervata ipſi Archidiacono juriſdictione debita. Prohibitum eſt etiam ne Archidiaconus de cetero Palefridum, vel centum ſolidos pro Palefrido, vel aliquam ſummam quam ſolet percipere pro Abbatiſſa introducta vel introducenda ad ſedem de jure ſuo audeat exigere, nec Abbatiſſa cogeretur exſolvere. Nec eſt prætereundum, quòd Epiſcopo, & Eccleſiæ Pariſienſi plena in omnibus juriſdictio in Scalenſi Eccleſia reſervatur. Ne igi-

tur ſopita diſſenſio in recidivæ poſſit ſcrupulum quæſtionis adduci, præſens ſcriptum ad firmitatem majorem fieri fecimus, & ſigillorum noſtrorum impreſſione muniri. Rogavimus inſuper Pariſienſe capitulum, & præſcriptum Abbatem *S. Victoris*, qui præſentes erant, & hæc omnia viderunt & audierunt, hoc ipſum Abbatiſſa poſtulante nobiſcum, ut idem ſcriptum ad evidentius teſtimonium ſigillorum ſuorum munimine roborarent. Actum publice Pariſius anno incarnati verbi M. C. XC. VII.

XV.

EPISTOLA INNOCENTII III. DE JURE PROCURATIONIS EPISCOPI, QUOD PRÆSCRIBI NON POTEST.

Ex iiſdem Chartulis.

INnocentius ſervus ſervorum Dei, dilectis filiis Abbati ſanctæ *Columbæ*, & *Miloni* Archidiacono Senonenſi, & Magiſtro Scholarum, ſalutem & Apoſtolicam benedictionem. Ad audientiam noſtram venerabilis frater noſter Pariſienſis, Epiſcopo ſignificante pervenit, quòd cùm Pariſienſem diœceſim eum aliquando oporteat viſitare, ſicut ad officium ejus ſpectat, quidam Priores & Capellani ejuſdem diœceſis procurationem ſibi debitam denegant exhibere: ad ſuæ negationis defenſionem hoc ſolummodo allegantes, quod nec ipſius prædeceſſoribus procurationem hujuſmodi exſolverunt. Nos igitur præmiſſam allegationem eorum frivolam reputantes, cùm ſubditus contra Prælatum procurationem non poſſit præſcribere, quæ ratione viſitationis debetur, diſcretioni veſtræ per Apoſtolica ſcripta mandamus, quatenus præmiſſis allegationibus nequaquam obſtantibus, ſi nihil aliud obſtet, de Canonicis inſtitutis faciatis eidem Epiſcopo appoſitione remota procurationem ejus exhiberi: contradictores ſi qui fuerint, ut rebelles à ſua præſumptione deſiſtere per cenſuram Eccleſiaſticam appoſitione propoſita compellentes. Quòd ſi non omnes his exequendis potueritis intereſſe, duo veſtrûm ea

nihilominus exequentur. Datum Lateran. V. Kalend. Apoſtolici Pontificatus noſtri anno VI.

XVI.

LITERA CAPITULI TORNODORENSIS, quod tenetur jurare Epiſcopis Lingon. canonice intrantibus ſubjectionem, & obedientiam: & nulla poſſe privilegia impetrare, nec uti impetratis.

Ex Chartulario Eccleſiæ Lingonenſis.

NOs Capitulum Canonicorum Tornodorenſ. omnibus præſentes literas inſpecturis notum facimus, quòd nos tenemur jurare venerabili Patri Hugoni Lingonenſi Epiſcopo, omnibuſque ſucceſſoribus canonice intrantibus, ſubjectionem & obedientiam; & quòd contra jus Eccleſiæ Lingonenſis privilegia non impetrabimus, nec utemur impetratis; & quòd nullum Canonicum recipiemus in conſortium noſtrum, donec idem perfecerit juramentum. Hæc omnia ſuprà dicta jurare tenemur conſervanda fideliter & tenenda. In cujus rei teſtimonium præſentes literas ſigilli noſtri munimine fecimus roborari. Actum anno Domini M. CC. XXII. menſe Februar.

XVII.

CONFIRMATIO STATUTI TOTIUS CAPITULI: quod Prior fratrum Prædicatorum tenetur facere juramentum Capitulo Carnotenſi, quòd nec per ſe nec per alium poſſit privilegium vel indulgentias contra jura & libertates Eccleſiæ impetrare, neque impetratis vel impetrandis uti.

Ex Chartulario Eccleſiæ Carnotenſis.

UNiverſis præſentes literas inſpecturis, frater *Iordanus* ordinis fratrum Prædicatorum ſervus inutilis, ſalutem in Domino. Noverit univerſitas veſtra, quòd nos ratam, firmam ac ſtabilem promiſſionem illam habemus, quam fecit Capitulo Carnotenſi frater *Petrus* Prior fratrum noſtrorum in Francia de aſſenſu Capituli Provincialis apud inſulam ce-

lebrati in domo noſtra ibidem conſtituta anno Domini M. CC. XXXI. quæ facta eſt ſub hac forma, quam his literis noſtris duximus apponendam, ne poſſit in poſterum ſuper hoc aliqua dubitatio ſuboriri.

Ego frater Petrus fratrum Prędicatorum in Francia Prior, notum facio univerſis prę́ſentes literas inſpęcturis, quòd pro confirmanda Dominorum & amicorum noſtrorum amicitia N. Decani Carnotenſis venerabilis viri & totius Capituli ejuſdem Eccleſiæ, de conſenſu totius Capituli noſtri apud inſulam celebrati in feſto ſancti *Michaëlis* anno Domini M. CC. XXXI. volo, concedo, mando & præcipio, ut quicunque fratrum noſtrorum pro tempore Prior extiterit in domo noſtra, ibidem teneatur in Capitulo præſentibus Evangeliis, manu ad pęctus miſſâ, in verbo ſacerdotis promittere, quod interdicta eorum ſervabit & in domo ſua ſervari faciet, ſicut ſervabantur communiter in *Balenga*: ita quòd tunc divina celebrabunt voce ſubmiſſâ, campanis non pulſatis, januis clauſis, ęxcommunicatis & interdictis excluſis tam à divinis quàm à cœmeterii ſepultura, nec per ſe, nec per alium, privilegium vel indulgentias, quæ ſint contra jura, libertates, & conſuetudines approbatas ejuſdem Eccleſiæ, impetrabit, nec jam impetratis vel poſteà impetrandis ab ordine vel à quocumque alio ſibi conceſſis apud eos vel contra eos utetur, in his videlicet, quæ conſuetudinibus approbatis & libertatibus Carnotęnſis Eccleſiæ obviabunt. Inſuper ſi aliqua fortè aliquando ſuper aliquibus negotiis ad ordinis utilitatem & ejuſdem relevationem jam ſint vel poſtea fuerint impetrata vel indulta, quæ privilegiis, conſuetudinibus approbatis & libertatibus prædictæ Carnotenſis Eccleſiæ contraïre videantur, hoc ipſum volo & conſentio, Capituli conſilio dimittendum, ut nec illis utatur, quouſque Capitulum vel major pars Capituli decreverit eſſe utendum: exceptis indulgentiis de Prioribus inſtituendis, & deſtituendis, & officio prędicandi & celebrandi divina, obſervato tamen modo ſupradicto tẽpore interdicti, nec non commiſſionibus cauſarum vel executionibus ſententiarum eis nullatenus committendis. In cujus rei teſtimonium ſigillum noſtrum duxi præſentibus literis apponendum.

Digitized by Google

Actum in feſto ſancti *Michaëlis* in die Capituli noſtri apud inſulam anno Domini M. CC. XXXI.

Hanc promiſſionem ego frater *Iordanus* confirmo inſuper, & ratam habeo, gratam, firmam, ac ſtabilem promiſſionem, quam frater *Nicolaus* jam Prior dictæ domus noſtræ Carnotenſis & fratres ejuſdem loci fecerunt ſæpe dicto Capitulo Carnotenſi &c. Nos igitur pro conſervanda amicitia eorumdem Dominorum & amicorum noſtrorum venerabilis viri Decani & totius ſuprà dicti Capituli Carnotenſis, hæc omnia promiſſa concedimus, volumus, confirmamus, in quorum robur & teſtimonium patentes has literas dedimus ſigilli noſtri munimine roboratas. Actum anno Domini M. CC. XXXII.

XVIII.

QVOD QVICVNQVE EST PRIOR FRATRVM Prædicatorum debet jurare in Capitulo, ſe ſervaturum interdicta Eccleſiæ, neque uti poſſe contra dictam Eccleſiam Privilegiis.

EGo frater Petrus ordinis &c. *Vt ſuprà, paucis mutatis.*

XIX.

LITERA PRIORIS FRATRVM PRÆDICATORVM in Francia: quòd Prior & fratres conventus Prædicatorum Carnot. tenentur ſervare interdictum: & quod factum erat per eos, confirmatur per eundem.

EGo frater Petrus ordinis &c. *Vt ſuprà, paucis mutatis.*

XX.

LITERA JURISDICTIONIS, QUAM HABET DOMINUS EPISCOPUS LINGONENSIS IN HOSPITALI DE MORMENTO, IN CAPITE, MEMBRIS, ET IN PERSONIS IBIDEM COMMORANTIBUS.

ET QUOD NON POSSIT HOSPITALIS DOMUS aliquas indulgentias vel privilegia impetrare, vel uti aliquatenus impetratis.

Ex Chartulario Eccleſiæ Lingonenſis.

EGo frater *Gervius* Hoſpitalis Hieroſolymitani humilis Prior in Francia, omnibus pręſentes literas inſpecturis notum facio, quod ego & fratres dicti hoſpitalis donationem hoſpitalis domus Mormenti nobis factam à venerabili Patre *Hugone* Lingonenſi Epiſcopo taliter recepimus, quòd Epiſcopus Lingonenſis qui pro tempore fuerit, & Eccleſia Lingonenſis eamdem ſubjectionem & juriſdictionem habeat in capite Mormenti, & in membris, & in perſonis ibidem commorantibus, quam habeat ante factam collationem; & quòd debitam & conſuetam hoſpitalitatem ibidem ſervabimus. Quod quidem concedimus & promittimus, quòd contra prędicta non poſſumus aliquas indulgentias vel privilegia impetrare, vel uti aliquatenus impetratis; & tenemur erga Dominum Papam & erga Regem Francorum & Priorem noſtrum Hieroſolymit. procurare, quòd ea quæ promiſſa ſunt Epiſcopo & Eccleſiæ Lingonenſi ſigillorum ſuorum appenſione corroborent & confirment. Alioquin, proteſtamur & concedimus conceſſionem domus Mormenti nobis factam non valere. In cujus rei teſtimonium præſentes literas ſigilli noſtri munimine feci roborari. Datum anno Domini M. CC. XXV, menſe Maio.

XXI.

Digitized by Google

XXI.

LITERA JURISDICTIONIS ET CORRECTIONIS, QUAM HABET DOMINUS EPISCOPUS IN MONASTERIUM DE PELUNGERO.

Ex eodem Chartulario.

NOs magiſtri *Guillelmus* de *Gourmont* Archidiaconus Barenſis & *Fred.* Canonicus Lingonenſis, & Decanus *Belu.* Notum facimus univerſis præſentibus & futuris, quòd cùm inter venerabilem Patrem Dei gratia Lingonenſem epiſcopum ex una parte, & Abbatiſſam & conventum de *Char* Ciſtercienſis ordinis ex altera, quæſtio verteretur ſuper eo, quòd idem epiſcopus Monaſterium de *Poulengero* ſibi pleno jure dicebat eſſe ſubjectum, Abbatiſſa & conventu nihilominus è converſo dicentibus ſubjectionem in eodem monaſterio ſe habere: tandem præhabitis tractatu multiplici & proceſſu, dictæ partes ſuper his compromiſerunt, ſicut in ipſarum literis hinc inde confectis plenius continetur. Nos auditis hinc inde propoſitis & plenius intellectis, de bonorum conſilio, de voluntate etiam & conſenſu expreſſo, per modum compoſitionis pronunciavimus in hunc modum: videlicet quòd ordo Monaſticus ſecundùm beati *Benedicti* regulam, juxta conſuetudinem ſanctimonialium de *Char* in Eccleſia de *Poulengero* perpetuis temporibus conſervetur. Item Abbatiſſa de *Poulengero* tenetur ſingulis annis ire ad Capitulum de *Char*, & ea quæ ibi ordinata fuerunt recipere & cuſtodire, & in Monaſterio *Poulengero* facere cuſtodiri, ſicut faciunt Abbatiſſæ monaſterio Tarcenſ. ſubjectæ. Item Abbatiſſa de *Char* viſitationem habebit in Monaſterio de *Poulengero*, & correctionem; ita tamen, ut per hoc jus Epiſcopale in nullo violetur. Imo plenam habebit in eodem monaſterio Epiſcopus Lingonenſis ſubjectionem, & juriſdictionem, & plenum jus, ſicut habet in monaſterio de *Rulcon.* Ita etiam idem Epiſcopus ſtatuta Abbatiſſæ de *Char* poterit immutare, ſi viderit expedire. Item vacante Monaſterio de *Poulengero*, moniales ab

epiſcopo petent licentiam eligendi : & earum electioni Abbatiſſa de *Char* intererit, & in electione procedetur, prout in jure canonico continetur : & ad Epiſcopum Lingonenſem ejuſdem electionis confirmatio, vel infirmatio pertinebit. Nos verò Lingonenſis epiſcopus, Abbatiſſa etiam & conventus de *Char*, in approbationem pronunciationis ſuprà dictæ, ſigillorum noſtrorum teſtimonium appoſuimus. Nos verò dicti in omnium præmiſſorum teſtimonium & munimen, præſens ſcriptum ad petitionem partium confecimus ſigillorum noſtrorum teſtimonio roboratum. Actum anno Domini M. CC. XXXIII. menſe Junio, feria quarta poſt feſtum beati *Barnabæ* Apoſtoli.

XXII.

LITERA SUBJECTIONIS ET REVERENTIÆ HOSPITALIS DE NORGES ERGA EPISCOPUM LINGONENSEM:

ET QUOD NON LICEAT ULLAM IMPETRARE exemptionem, neque impetratâ uti.

Ex eodem Chartulario.

NOs frater *Stephanus* Domus Pauperum beati *Antonii* Viennenſis diſpenſator, & fratres, & pauperes ibidem Deo ſervientes notum facimus, quòd cùm venerabilis Pater Dei gratia Epiſcopus Lingonenſis, inſpecta tenuitate & paupertate hoſpitalis de *Norges* in ſtatu miſerabili conſtituti, conſiderantes etiam hoſpitalitatem ibidem melius poſſe conſervari, & lapſum ipſius Hoſpitalis commodius reformari per fratres noſtros domus pauperum beati *Antonii* Viennenſis, de cõmuni conſenſu & voluntate unanimi totius Capituli Lingonenſis, idem hoſpitale in ſpiritalibus & temporalibus cum omnibus appendiciis & pertinentiis ſuis, redditibus, exitibus & commodis univerſis, nobis & fratribus beati Antonii duxit perpetuò concedendum, in jus, dominium, & proprietatem noſtram, ipſum hoſpitale plenius committendo. Nos de

communi conſenſu & voluntate unanimi totius noſtri capituli, confitemur dictum hoſpitale de *Norges*, ſub teſtimonio præſentium, ipſi epiſcopo Lingonenſi & omnibus ſucceſſoribus ſuis in omnibus, quantùm ad ſubjectionem & juriſdictionem diœceſanam, plenius eſſe ſubjectum. Promittimus etiam bona fide, quòd quantùm ad prædictam domum nullam impetrabimus exemptionem, nec impetrata utemur. Confitemur etiam hoſpitalitatem debere conſervari ad opus pauperum tantùm, ſervorumque; ſicut debet, & conſuevit fieri in eodem Hoſpitali. Et ad hæc omnia obſervanda, noſtros ſucceſſores & Capitulum beati *Antonii* obligamus. In cujus rei teſtimonium præſentes literas ſigillorum noſtrorum munimine duximus roborandas. Datum apud ſanctum *Antonium* anno Domini M. CC. XXXVII. in craſtino Aſcenſionis Domini.

XXIII.

QVOD PRIOR DOMVS SANCTI LAZARI MELDENSIS IPSI EPISCOPO ET SUCCESSORIBUS TENETVR CANONICAM OBEDIENTIAM REPROMITTERE:

ET DE IVRE CORRECTIONIS, VISITATIONIS &c. Quod Epiſcopus habet in eandem domum.

Ex Chartulario Eccleſiæ Meldenſis.

UNiverſis præſentes literas inſpecturis, frater *Dominicus* humilis Prior dictus de *Valle Scholarum*, veritatis teſtimonium acceptare. Noverit univerſitas veſtra, quòd cùm Princeps illuſtris Th. Dei gratia Rex Navarræ, Campaniæ, & Briæ Comes Palatinus, & reverendus Pater *Alerinus* ejuſdem gratia Meldenſis epiſcopus communi eorum voluntate & aſſenſu domum ſancti *Lazari* Meldenſis cum omnibus pertinentiis, & appenditiis, redditibus, proventibus, & exitibus dictæ domus quibuſcunque donaverint, & conceſſerint ordini noſtro in perpetuum poſſidendum, ſtatuentes etiam & volentes, ut bona dictæ domus tam præſentia quàm futura, &

fructus & proventus qui percipientur ex eiſdem, in uſus & ſuſtentationem Religioſorum, & Leproſorum præſentium & futurorum converſorum & converſarum dictæ domus, ac fratrum noſtrorum ibidem Deo deſervientium cum diminutione aliqua integraliter erogentur: nos volumus & concedimus, quòd Prior quicunque de fratribus noſtris à nobis in dicta domo miſſus fuerit, vel electus infra quindenam, poſtquam miſſus vel electus fuerit à prædicto Meldenſi Epiſcopo & ſucceſſoribus ſuis, curam dictæ domus recipiat; & omnium habitantium & commorantium in eadem & ipſi Epiſcopo & ſucceſſoribus ſuis Canonicam obedientiam repromittat; idemque Epiſcopus & ſucceſſores ſui in dicta domo in priorem fratres converſos & in omnes habitantes in eadem correctionem, viſitationem, & omne jus Epiſcopale abſque exemptione quacunque habeant in futurum; & nos dictam domum cum pertinentiis prædictis ordini noſtro conceſſam taliter profitemur. In cujus rei teſtimonium præſentibus literis ſigillum noſtrum duximus apponendum. Actum anno Domini M. CC. LXII. menſe Jul.

XXIV.

UNIO HOSPITALIS CHILICASTI FACTA ECCLESIÆ, SEU MONASTERIO S. STEPHANI DIVIONENSIS:

ET IUS INSTITUTIONIS, DESTITUTIONIS ET correctionis quod habet in eodem Epiſcopus propter curam animarum, pro quibus redditurus eſt Deo rationem. Unde domus hoſpitalis, ſicut Monaſterium, tenetur renunciare ſub voto religionis cuilibet privilegio ſive impetrato ſive impetrando.

Ex Chartulario Eccleſiæ Lingonenſis.

UNiverſis præſentes literas inſpecturis, frater *Hugo* Abbas humilis Monaſterii ſancti *Stephani* Divionenſis ordinis ſancti *Auguſtini* Lingonenſis diœceſis, totuſque ejuſdem loci conventus, ſalutem in Domino. Noveritis nos literas

Reverendi noſtri in Chriſto Patris ac Domini *Ioannis* Dei gratia Epiſcopi Lingonenſis, ac virorum venerabilium Decani & Capituli Lingonenſis, ſigillis eorum ſigillatas recepiſſe, formam quæ ſequitur continentes.

Univerſis præſentes literas inſpecturis, *Ioannes* miſeratione divina Lingonenſis Epiſcopus, ſalutem in Domino. Noveritis nos ſupplicationem *Ioannis* Rectoris domus Dei de *Chilicaſti* noſtræ Lingonenſis Diœceſis, necnon fratrum & ſociorum ejuſdem domus, ſuper unione, annexione, & incorporatione prædictæ domus Dei faciendis à nobis cum monaſterio S. *Stephani* Divionenſis ordinis S. Auguſtini dictæ diœceſis, recepiſſe in hunc modum.

In nomine Domini, Amen. Reverendo in Chriſto Patri ac Domino *Ioanni* Dei gratia Lingonenſi Epiſcopo, fratres *Ioannes* magiſter domus Dei de *Chilicaſti* veſtræ Diœceſis, *Petrus* de *Varemnis*, *Iacobus* de *Selongero* Preſbyteri, *Guillelmus* de *Chilicaſti*, *Simon* de *Varominis*, *Iacobus* de *Selongyo* Clerici, *Clemens* de *Chilicaſti*, *Hugo* de *Veramnis* & *Odo* de *Eſchennamis* converſi domus Dei prædictæ, ac ſorores *Ligenera* de *Eſchevamnis*, *Iaqueta* de *Avellangiis*, *Arguina* de *Groſſa ſylva*, *Iſabellis* hoſpitalaria, *Iſabellis* de *Yno*, *Vilbermeta* de *Groſſa Sylva*, & *Iaqueta* de *Poiſſons* converſæ domus ejuſdem præfatæ domus Dei, & eorum recommendationem cum omni reverentia, obedientia, & honore. Cum * ſecundum canonicas ſanctiones Epiſcopo, ſub cujus moderamine aliqui degunt, curæ ſit cauſas illorum utilitateſque diſponere, qui pro commiſſis eorum animabus compellitur reddere rationem; eapropter, Reverende Pater, nos fratres & ſorores prædicti diligentius attendentes, quòd bonæ rei dare conſultum & præſentis habetur vitæ ſubſidium, & æternæ remunerationis expectare decernitur præmium: conſiderantes etiam, quòd quamvis virtutum Domino ſerviamus, & quibuſdam prædeceſſorum noſtrorum inſtitutionibus & regulis gubernemur, tamen ex ſpeciali devotione ſub beati *Auguſtini* ordine, habitu, & regula per ſedem Apoſtolicam approbatis in Dei Eccleſia militare affectantes, tamque glorioſum habere Patronum, ut in via ſalutis dirigamur, & ejus meritis & interceſſione ad patriam perducamur æternam: ad nobis vicinam & proximam Eccle-

* *Nota ut ſupra.*

ſiam Monaſterii beatiſſimi protomartyris *Stephani* Divionenſis prædicti ordinis *S. Auguſtini* veſtræ Lingonenſis diœceſis (quæ quidem Eccleſia S. Stephani Abbatis regimine gubernata viget auctore Domino, re & fama, regularibus obſervantiis, & moribus approbatis) direximus oculos mentis noſtræ; confidentes rationabiliter & ſperantes, quòd domus noſtra prædicta cum juribus & pertinentiis univerſis, quæ multorum patent inſidiis, ad quorum malignos impetus repellendos virtus plena nobis non competit nec facultas, ſi Abbatis & conventus Monaſterii prædicti patrocinio fulciatur, eò poterit utilius & ſalubrius in ſpiritualibus & temporalibus gubernari, quò membrum corporis ipſi corpori vicinoque Capiti conjungetur. Domus enim noſtra prædicta à prædicto. Monaſterio *S. Stephani* Divionenſis non multum diſtat, ſed eſt proxima & vicina Prioratui de *Chilicaſti* in eadem villa pertinenti ad dictum Monaſterium pleno jure. Poſſeſſiones noſtræ prædictæ domus contiguæ, vicinæ, & commixtæ ſunt poſſeſſionibus Prioratus prædicti, ac pro majori parte, & ferè omnes infra fines parochiatus Eccleſiæ de *Chilicaſti* conſtitutæ ſunt. Eidem Prioratui decimales, deſervienteſque in divinis officiis tam in dicta domo noſtra, quàm in prioratu prædicto ſub uno rectore, habitu, & regula in unum poterunt commorari, & in utroque loco per unum diſpenſatorem Deo ſervientibus, ceteriſque fratribus & ſororibus in temporalibus commode poterit provideri; ac expenſæ pro cultura terrarum & vinearum poterunt diminui, & fructus uberius abundare; diſſenſiones quoque, quæ plerumque inter nos invicem fuerunt tam ſuper præſtatione decimarum, quàm limitatione & diviſione terrarum noſtrarum, ſopientur omnino, ſi dicta domus prędicto Monaſterio uniatur; & nos, qui uſque nunc interdum diſcordes fuerimus, amodo cum Dei adjutorio uniemur unanimes & concordes. Verum prædicta domus noſtra propter ſterilitates fortuitas, graveſque oppreſſiones & varias, & pecudum noſtrorum & animalium mortalitatem & peſtem, adeo eſt diverſis creditoribus in magnis debitis obligata, quod per nos vix aut nunquam poterit liberari, ſeu caritatis opera vel hoſpitalitas in ea more ſolito exerceri. Timebunt etiam volentes delinquere ſe tantum & tam vicinum correctorem habere, qui

remotum vel alias impotentem minime formidarent: Et ſi forte, quod abſit, deliquerint, eorum exceſſus ſine difficultate & diſpendio poterunt de facili refrænari. Status etiam noſter, habitus, atque mores ordini prędicto, magis quàm alii conveniunt & applaudunt. Pręterea ratio conſentit, natura dictat, ſapientis ſcriptura atteſtatur, quòd in habentibus ſymbolum, & ſimilitudinem, & convenientiam facilior tranſitus invenitur. Cujus ratione ſimilitudinis vel convenientiæ carnes comeſtæ in veritatem humanæ naturæ citius convertuntur, & corpus humanum melius nutriunt & confortant. Igitur cùm beati *Auguſtini* regulam concorditer eligamus, ut ex bonis operibus finaliter coronemur, virtuoſaque opera delectabiliter proſequamur, ac ſervitium noſtrum à Domino acceptetur, & conſenſu libero non coacto Deo quodam ſpiritali matrimonio copulemur, atque à noſtris operibus anxietas & triſtitia proſcindantur, quibus mediantibus humana opera depravantur, & ut nos jucundius Domino ſerviamus, Paternitati veſtræ reverendæ, quantum devotius poſſimus, tenore pręſentis inſtrumenti voto unanimi humiliter ſupplicamus, quatenus noſtro prędicto propoſito favorabiliter annuentes, prędictam domum noſtram cum ſuis bonis, juribus, appendiciis, & pertinentiis univerſis, tanquam membrum corpori & capiti prędicto Monaſterio *S. Stephani* Divionenſis auctoritate & poteſtate ordinaria unire, conjungere, annectere, incorporare & ſubjicere de conſenſu veſtri Capituli Lingonenſis dignemini ac velitis; ita quod ſub beati *Auguſtini* ordine, habitu, & regula, nos & ſucceſſores noſtri poſſimus in perpetuum famulari, & ſub Abbatis ipſius monaſterii & ſucceſſorum ejus regimine regulariter vivere, & in ſpiritalibus & temporalibus gubernari. Credimus enim firmiter, & indubitanter ſperamus, quod in prędicta domo noſtra cum adjutorio Dei, & Abbatis dicti Monaſterii, qui pro tempore fuit, diligentia, melius & honeſtius obſervabitur religio; hoſpitalitas uberius tenebitur, & fient orationes & eleemoſynæ, ac divina officia abundantius & frequentius in eadem; ſtatuſque noſtri mutatio, quæ quorumdam animos exaſperare ſolet, ex eo quod omnium auditus difficiles comprobantur, & natura mutationes refugit repen-

tinas, nobis tolerabilior & animabus utilior apparebit. Inſuper quia libet Domino dare proſpera, qui ab afflictis pellit adverſa, ſi indilate faciatis prædictam unionem, annexionem & incorporationem nobis voluntariam, acceptabilem, atque gratam, & impediatis omnem aliam conjunctionem nobis gravem, anxiam & moleſtam, fructum ęternæ gloriæ non immerito poteritis adipiſci. Supplicamus etiam Domino Decano & Capitulo Lingonenſi, ut in unione, annexione, & incorporatione prędictis, dignentur favorabiliter conſentire. Sane, Reverende Pater prędicte, nos omnes fratres & ſorores Dominum *Ioannem* magiſtrum domus noſtræ pręfatæ & fratrem *Hugonem* de *Varennis* converſum domus ejuſdem prędictos, & eorum quemlibet in ſolidum Procuratores noſtros facimus & ordinamus ad pręſentandam vobis & prędictis Decano & Capitulo noſtro nomine atque ſuo ſupplicationem prędictam, & ad faciendum omnia alia & ſingula, quæ in pręmiſſis & certa, & neceſſaria & opportuna fuerint, & quæ nos faceremus, ſi pręſentes coram vobis & dictis Decano & Capitulo eſſemus: ita quod ipſi Procuratores aut alter eorum generalem & liberam adminiſtrationem habeant ſeu habeat in his omnibus, quæ ad perſonas noſtras quantum ad pręmiſſa & quodlibet pręmiſſorum qualitercunque pertinere noſcuntur; promittentes bona fide nos ratum & gratum perpetuis temporibus habituros quicquid per dictos procuratores, vel eorum alterum in præmiſſis, aut circa pręmiſſa factum fuit, ſeu etiam procuratum. Ceterum ut vos, Reverende pater, unà cum Decano & Capitulo evidentius cognoſcatis nos & quemlibet noſtrûm in pręmiſſis omnibus & ſingulis conſenſiſſe, & in hanc ſupplicationem exiſtere unanimes & concordes, pręſens inſtrumentum continens factum & ſeriem prędictæ ſupplicationis noſtræ, vobiſque prędictos Procuratores noſtros aut eorum alterum duximus tranſmittendum ac etiam præſentandum: quod quidem inſtrumentum per *Guidonem* de *Vergeio* Tabellionem publicum, qui pręmiſſis, dum per nos agerentur, interfuit unà cum infrà ſcriptis teſtibus, ſcribi & publicari in teſtimonium & certitudinem omnium præmiſſorum curavimus. Actum in capella noſtræ prędictæ domus, nobis ibidem pro-

pter

pter hoc ad ſonum campanæ more ſolito congregatis, preſentibus diſcretis viris *Bartholomæo* de *Chilicaſto*, *Regnaudo*, *Gileto*, & *Odone* dicto *Chardin* de *Divione* Lingonenſis diœceſis, teſtibus ad prędicta vocatis & rogatis anno Domini M. CCC. menſis Decembris die XXIV. videlicet die Sabbati ante Nativitatem Domini, Pontificatus ſanctiſſimi patris *Bonifacii* divina providentia Papæ VIII. an VI. Et Ego quidem de *Vergeyio* Clericus Eduenſis diœceſis ſacroſanctæ Romanæ Eccleſiæ auctoritate publicus Notarius prędictis omnibus, dum per præfatos fratres & ſorores congregatos ad ſonum campanæ in dicta capella agerentur, prout ſuprà legitur, unà cum prędictis teſtibus vocatus interfui: & hoc præſens inſtrumentum exinde confectum manu propria ſcripſi, & in hanc publicam formam redegi, ſignoque meo ſignavi à ſupradictis magiſtris fratribus & ſororibus rogatus.

Nos igitur Epiſcopus prędictus conſiderantes attente tam piæ ſupplicationis affectum, attendenteſque quia decet domũ Domini ſanctitudo; & quia inſuper Paſtoralis officii cura nos ammonet, ut bene agentes etiam ad melius inducere ſtudeamus, volentes eorum ſupplicationi & propoſito laudabili benignæ exauditionis gratiam aperire; recolentes tamen doctrinam Apoſtoli dicentis: *Nemini cito manum imponas*, cum debita maturitate in dicto negotio procedere cupientes, longa deliberatione pluries habita cum prędictis, cauſas, propter quas ad prędictas unionem, annexionem, & incorporationem procedere deberemus, examinari per multos doctores Regentes Pariſius in jure & per plures alios Juriſperitos decrevimus diligenter. Et tandem poſt multos tractatus habitos cum viris venerabilibus & diſcretis Decano & Capitulo Lingonenſi, & collatione diligenti habita pluribus diebus ad hoc ſpecialiter aſſignatis examinatione cauſarum prædictarum, & conſilio ſuper prædictis reportato, ſupplicationem Rectoris fratrum & ſororum domus Dei de *Chilicaſto* prædicto tam per procuratores præfatos quam per ſeipſos perſonaliter cum inſtantia nobis factam & pluries iteratam, præfati Rectoris ſæpedictæ domus Dei ſpontanea & libera reſignatione ipſius domus à nobis recepta, juſtis de cauſis in eorum ſupplicatione contentis, quas agnovimus eſſe veras, duximus admitten-

dam. Itaque eorum propoſito laudabili & piæ ſupplicationi favorabiliter annuentes, prædictam domum Dei de *Chilicaſto* cum omnibus membris, bonis, pertinentiis & appendiciis, ejuſdem prædicto Monaſterio *S. Stephani* Divionenſis, in nomine Patris & Filii & Spiritus ſancti, auctoritate & poteſtate ordinaria, de voluntate & aſſenſu expreſſo venerabilis Decani & Capituli Lingonenſis, in perpetuum unimus, annectimus, conjungimus, incorporamus & ſubjicimus in ſpiritalibus & temporalibus, pleno jure retentis nobis & ſucceſſoribus noſtris Lingon. Epiſcopis in futurum juribus Epiſcopalibus, ut inferius declaratur: Mandantes omnibus fratribus & ſororibus dictæ domus, ut in omnibus Abbati Monaſterii S. *Stephani* prędicti qui pro tempore fuit tanquam Patri & Superiori obediant pariter & intendant, & omnino moribus & habitu dicto Monaſterio ſe conforment, ac omnibus aliis, prout ad eos ſpectare dignoſcitur, & ut de omnibus proventibus dictæ domus & pertinentiarum ejus dicto abbati reſpondeant: Committentes eidem Abbati pro ſe & ſucceſſoribus ſuis auctoritate pręſentium adminiſtrationem dictæ domus, juriſdictione, inſtitutione, deſtitutione, correctione, informatione, viſitatione, & procuratione, ac aliis juribus Epiſcopalibus nobis & noſtris ſucceſſoribus ſalvis; ſalvo etiam jure virorum venerabilium Decani & Capituli, Eccleſiæ Lingon. Epiſcopi, & Decani Chriſtianitatis Divionenſis, & perſonæ alterius cujuſcumque, prout hactenus habuerunt & etiam perceperunt. Volumus autem & præcipimus, quòd in dicta domo divina officia ſtudioſe & ſollicite celebrentur: & hoſpitalitas pauperum, ad quam præcipue locus ille fuiſſe dignoſcitur inſtitutus, infirmorum etiam & aliarum perſonarum miſerabilium & aliorum tranſeuntium, teneatur & plene exerceatur. Ad quam tenendam & obſervandam in perpetuum locum illum volumus ſpecialiter obligari. Volumus & ordinamus, quòd alia charitatis opera impendantur abſque diminutione aliqua, prout hactenus fieri conſuevit: & quidem Abbas, qui pro tempore fuit in prædicta domo, perſonas idoneas tenere procuret ad ſerviendum Deo, & ad hoſpitalitatem tenendam, & debita ſuffragia offerendum pro animabus illorum, qui dictam domum fundaverunt & dotaverunt, quibus vitæ

neceſſaria Dominus Abbas congruè ſubminiſtret. Ordinamus etiam & ſtatuimus ad declarationem juris noſtri, quòd electus in Abbatem *S. Stephani* prędicti, poſtquam fuerit confirmatus, infra tres menſes, juſto impedimento ceſſante, ad nos & ſucceſſores noſtros Epiſcopos Lingon. pro tempore venire perſonaliter teneatur, curam & regimen dictæ domus à nobis aut anteceſſoribus noſtris prædictis ſine difficultate aliqua recepturus, ſalvis juribus ſupradictis; & ſi infrà dictum tempus trium menſium, juſto ceſſante impedimento, ad Epiſcopum Lingon. venire diſtulerit negligenter, curam & regimen dictæ domus Dei de *Chilicaſto* ſpiritalium & temporalium petiturus, illa vice eidem domui de Rectore Epiſcopus providebit & inſtituet unum Canonicum Regularem de ordine beati *Auguſtini*: ita quòd in aliis vacationibus poſtea ſequentibus Abbas qui pro tempore fuerit & prædicta ſervabit & adimplebit, nec fiet aliquod præjudicium dicto Monaſterio in futurum. Quandocumque autem Monaſterium prædictum *S. Stephani* Abbate vacare contigerit, Epiſcopus Lingonenſis, qui pro tempore fuerit, unum de Canonicis dicti Monaſterii ſancti *Stephani* ſacerdotem in prædicta domo ponet & inſtituet, qui taliter inſtitutus ſpiritalia & temporalia gubernabit, quouſque Abbas aſſumptus poſtea curam & regimen dictæ domus receperit ab eo, qui pro tempore fuerit Epiſcopus Lingonenſ. Cum autem curam & regimen dictæ domus receperit idem Abbas Canonicus inſtitutus à nobis vel ſucceſſoribus noſtris, de temporalibus perceptis vacationis tempore eidem Abbati reddet integraliter rationem. Et ſi Eccleſiam Lingonenſem Prælato vacare contigerit, prædicta poteſtas ponendi & inſtituendi Canonicum vacationis tempore ad Capitulum Lingon. devolvetur. Et poſtmodum creato Epiſcopo per eumdem Epiſcopum committetur cura & regimen dictæ domus ipſi Abbati ſine difficultate aliqua, prout ſuperius eſt expreſſum. Et dictus abbas, qui pro tempore fuerit, ſui regiminis ab Eſpiſcopo Lingon. qui pro tempore erit, reddet rationem eidem Epiſcopo: & ipſi ſubjectus erit, prout de ſpiritalitate & temporalitate prædicti Monaſterii conſuevit ſubjici Epiſcopo ſupradicto, & eidem Epiſcopo tenetur ſuper hoc reſpondere, & de adminiſtratione dictæ domus rationem

reddere competentem. In cujus rei teſtimonium ſigillum noſtrum unà cum ſigillo prædicti Domini Epiſcopi præſentibus literis duximus apponendum. Actum & datum anno Domini M. CCC. I. die XXVII. menſis Maii videlicet die Sabbati poſt feſtum Pentecoſtes, Indictione XIV. Pontificatus ſanctiſſimi Patris Domini *Bonifacii* Papæ VIII. anno VII.

Nos autem Abbas & conventus prædicti noſtri Monaſterii & ſucceſſorum noſtrorum nomine, prædictas unionem, annexionem, hoſpitalitatem ſtudioſam, & ſollicitam divinorum officiorum celebrationem, & aliorum charitatis operum impenſionem, jurium Epiſcopalium retentionem, & omnia alia & ſingula prædicta, prout ſuperius ſunt expreſſa, quæ confitemur & aſſerimus eſſe vera & in utilitatem cedere noſtri Monaſterii ſupradicti, diligenti tractatu ſuper hoc inter nos habito in noſtro Capitulo propter hoc ſpecialiter convocato & congregato, rata & grata habuimus & habemus: promittentes nos, nomine quo ſuprà, & ſub voto religionis noſtræ, ea omnia & ſingula perpetuis temporibus firmiter tenere, & inviolabiliter obſervare, & non contra facere, vel venire per nos nec per alium in futurum tacite vel expreſſe: Volentes & concedentes eidem Domino Epiſcopo, nomine quo ſuprà, quòd ipſe & ſucceſſores ejus qui pro tempore fuerint Epiſcopi Ling. nos & Succeſſores noſtros, quos ad hoc ſpecialiter obligamus, poſſint tanquam de re adjudicata compellere ad prędicta omnia & ſingula tenenda, & firmiter obſervanda: Renunciantes in prædictis, nomine quo ſuprà, ſub prædicto voto, exceptioni doli mali, vis, metus, circumventionis, ac omnibus aliis exceptionibus juris & facti, quæ contra prædicta poſſent objici ſeu dici; & ſpecialiter juri dicenti generalem renuntiationem non valere, necnon omni privilegio impetrato ſeu etiam impetrando. In quorum omnium & ſingulorum præmiſſorum teſtimonium ſigilla præſentibus literis duximus apponenda. Actum in Capitulo noſtro anno Domini M. CCC. I. die Sabbati poſt quindenam feſti Pentecoſtes.

XXV.

LITERA JURISDICTIONIS EPISCOPI LINGONENSIS:

AD QUEM PERTINET INSTITUTIO, deſtitutio, & correctio Prioris monaſterii de Mormento; *ita ut Monaſterium ſupradictum renunciare debeat quibuſlibet privilegiis ſive indultis, ſive indulgendis.*

Ex eodem Chartulario.

UNiverſis præſentes literas inſpecturis, frater *Hugo* de *Prochando* Viſitator Generalis domorum militiæ templi in citramarinis partibus, quinque regnis Hiſpaniæ exceptis, ſalutem in Domino. Noveritis, quòd, quum ſanctiſſimus Pater & dominus *Bonifacius* Papa VIII. domum militiæ templi Jeruſalem donavit, conceſſit, univit ac annexit Monaſterio de *Mormento* Lingonenſis Diœceſis cum omnibus membris & pertinentiis ejuſdem ubilibet conſtitutis, *Nos* tanquam generalis Viſitator, ut ſupradictum eſt, bonorum omnium dictæ domus Jeruſalem in citramarinis partibus, quinque regnis prædictis exceptis, Generalis adminiſtrator, ratione ipſius domus, ac magiſtri, & fratrum ipſius, & pro ipſis, confitemur & recognoſcimus, Epiſcopum Lingonenſem, qui nunc eſt & qui pro tempore fuerit, habere & debere habere infraſcripta jura in dicto Monaſterio & ejus membris: videlicet quòd dicto monaſterio Priore vacante præceptor ejuſdem qui pro tempore fuerit dicto Epiſcopo tenebitur præſentare perſonam idoneam, cui Epiſcopus committet curam & regimen animarum fratrum, & Sororum ejuſdem Monaſterii, & quarumcumque perſonarum degentium in eodem, necnon Eccleſiarum Parochialium, in quibus fratres de Mormento per Abbatem vel Priorem ipſius Monaſterii ante impetrationem dicti privilegii inſtitui conſueverunt. In quem Priorem dictus Epiſcopus habebit omnimodam juriſdictionem, inſtitutionem, deſtitutionem & correctionem: ita quòd, ſi aliquo caſu contigerit dictum Priorem qualitercunque deſtitui, Præ-

ceptor prediċtus qui pro tempore fuerit, alium poterit Epiſcopo præſentare; & Epiſcopus ipſum, ſi fuerit idoneus, tenebitur admittere. Debet etiam Epiſcopus procurationem ſuam habere ſingulis annis in diċto Monaſterio, ſicut habebat, vel habere poterat, ante impetrationem privilegii ſupradiċti. Item quotieſcunque, qualitercunque, & quandocunque Eccleſiam de *Bruone* vacare contigerit, præceptor prædiċtus ad ipſum perſonam præſentare tenebitur; & Epiſcopus perſonam præſentatam, ſi fuerit idonea, tenebitur admittere, & ipſam inſtituere in eadem Eccleſia. Super inſtitutione verò in aliis Eccleſiis, in quibus fratres de Mormento conſueverunt inſtitui, quotieſcunque & qualitercumque eas vacare contigerit, fiet, prout ante impetrationem præfati privilegii eſt fieri conſuetum. Et in ſuprà diċtis eccleſiis, necnon in fratribus in eis inſtitutis & inſtituendis Epiſcopus habet & habebit omnia jura Epiſcopalia, quæ habebat ante impetrationem privilegii ſuprà diċti. Item in domibus de *Bellochemino*, & de ſeptem fagis præfatæ diœceſis Epiſcopus Lingonenſis habet & habebit perpetuò idem jus, quod habet in Mormento, prout ſuperius eſt expreſſum. Et hoc ultra: quia habet & habere debet in eis gardiam omnimodam, juriſdiċtionem, & juſtitiam temporalem altam & baſſam, quas habebat ante privilegium impetratum. Promittimus autem bona fide ſub obligatione omnium & ſingulorum bonorum noſtrorum & diċtæ domus Jeruſalem quorumcunque & ubilibet conſtitutorum, nos magiſtrum, fratres, noſtroſque & eorum ſucceſſores, omnia & ſingula ſupradicta perpetuò rata & firma habere, tenere & inviolabiliter obſervare; & non contra facere, vel venire aliquo ingenio, ſine cauſa, tacite vel expreſſe per nos, vel per alium in futurum. Renunciamus in hoc facto ex certa ſcientia exceptioni doli mali, vis & circumventionis, beneficio reſtitutionis in integrum, omnibus & ſingulis privilegiis à quocumque indultis ſeu etiam indulgendis, omnibus & ſingulis exceptionibus, rationibus & allegationibus juris & facti, quæ contra prædicta poſſent objici ſive dici; & ſpecialiter juri dicenti generalem renunciationem non valere. In quorum omnium & ſingulorum teſtimonium & munimen ſigillum noſtrum præſentibus literis duximus apponendũ. Datum Lingon. die Veneris in feſto beati Laurentii anno Domini M. CCC. II.

Digitized by Google

ARTICULUS SEXTUS.

LITERÆ QUIBUS DECLARATUR, PRO NEGOTIIS CORRECTIONIS EXPENSAS AB EPISCOPIS DE BONIS MONASTERII FIERI DEBERE; ET NEMINI LICERE MONACHOS CONTRA AUCTORITATEM EPISCOPORUM DEFENDERE.

I.

LITERA: QUOD EPISCOPUS PRO NEGOTIIS CORRECTIONIS MONASTERII BESUENSIS PROMOVENDIS, EXPENSAS DE BONIS IPSIUS MONASTERII FACIAT ET ADMINISTRET.

Ex Chartulario Eccleſiæ Lingonenſis.

R*Uffinus* miſeratione divina Portuenſis Epiſcopus, & Apoſtolicæ ſedis Legatus, omnibus Chriſti fidelibus, ſalutem in *Chriſto Ieſu*. Cùm nos omnes Monachos quondam *Beſuen.* culpis eorum exigentibus à Monaſterio *Beſuenſi* per ſententiam duxerimus amovendos, & adminiſtrationem ipſius Monaſterii commiſerimus venerabili patri *Hugoni* Epiſcopo Lingonenſi, conceſſimus ipſi Epiſcopo, quòd omnes expenſæ, quas ipſe fecit pro ordinatione jam dicti Monaſterii promovenda, ſeu pro ipſius Monaſterii negotiis procurandis, de bonis ipſius Monaſterii perſolvantur: & quòd ipſe Epiſcopus & Eccleſia Lingonenſis ſuper his conſervetur indemnis. In cujus rei munimentum eidem Epiſcopo præſentes literas dedimus ſigilli noſtri munimine roboratas. Datum Vienn. anno Domini M. CC. XXIII.

II.

LITERA REGIA, QUA MANDATUR DUCI BURGUNDIÆ, NE ABBATEM ET CONVENTUM BESVENSEM MANUTENEAT, VEL DEFENDAT CONTRA EPISCOPUM.

Ex eodem Chartulario.

HVgo Dux *Burgundiæ*, univerſis præſentes literas inſpecturis, ſalutem. Noveritis, quòd nos literas chariſſimi Domini *Ludovici* Dei gratia illuſtris Regis Francorum recepimus ſub hac forma: *Ludovicus* Dei gratia Francorum Rex, dilecto & fideli ſuo Duci *Burgundiæ*, ſalutem & dilectionem. Mandavimus vobis, quatenus dilecto noſtro *Guillelmo* de *Vergiaco* & hominibus noſtris præcipiatis & inhibeatis diſtrictè, ne Abbatem, & conventum, & homines villæ *Beſuenſis* manuteneant, vel deffendant contra dilectum & fidelem noſtrum Epiſcopum Lingonenſem de juſtitia & juriſdictione temporali, quam idem Epiſcopus habet in prædictis, prout in literis inclitæ recordationis Regis *Philippi* avi noſtri continetur, & ſicut de novo judicatum eſt in curia noſtra pro dicto Epiſcopo contra eos. Nos etiam prædictas literas inclitæ memoriæ *Philippi* quondam Regis Francorum vidimus in quibus continebatur expreſſe, quòd ad Epiſcopum Lingonenſem prædictorum Abbatis & Conventus & hominum villæ Beſuenſis ſpectat juriſdictio temporalis. Ex præmiſſis igitur plenius attendentes, quòd memoratus avunculus noſter Dominus *Guillelmus* de *Vergiaco*, aut aliquis alius nullam habet Guardiam aut commendiſiam in Abbatem & conventum aut homines villæ Beſuenſis, niſi de voluntate Epiſcopi Lingonenſis, ſupradictum avunculum noſtrum Dominum *Guillelmum* de *Vergiaco*, de prudentum virorum conſilio, ab omni guardia & commendiſia ſæpedictorum Abbatis, & Conventus, & hominum villæ Beſuenſis, per jus duximus amovendum. In cujus teſtimonium præſentes literas ſigilli noſtri fecimus appenſione muniri. Actum anno Domini M. CC. XXXVI. menſe Februario.

III.

III.

CHARTA DE NOIARETO, QUA MONACHI TENENTUR EPISCOPO REDDERE DECIMAM,

QVÆ EIS INIVSTE FVERAT DATA:

Et in qua Guiliſius *de* Veraçeu *pollicetur ſe nunquam fore adjutorem Monachis contra Epiſcopum.*

Ex Chartulario Eccleſiæ Gratianopolitanæ.

EGo *Guiliſius* de *Vocaçeu*, & uxor mea, & infantes mei guirpimus decimam totam, quam habemus in Parochia de *Noiareto* in manu *Hugonis* epiſcopi, ſicut prædictus epiſcopus melius intelligit ad utilitatem ſuam & ſucceſſorum ſuorum, id eſt, manſum *Girberti*, & decimam quam mater mea dedit Monachis de *Voraçeu*, & de qua decima dicit epiſcopus: injuſtè dedit Monachis mater mea præfatam. Quare illam dimitto, ut ab hac die inantea non ſim adjutor Monachis, neque ullus homo per meum conſilium, neque per meam voluntatem: & promitto Deo & Epiſcopo, ut ita teneam ſine ullo malo ingenio. Hoc factum eſt VII. Idus Septembris, anno Incarnationis Dominicæ M. C. VIII.

Sign. *Deſiderii* de *Caſſanetico*.
Sign. *Guigonis* de *Lanz*.
Sign. *Guigonis* Converſi.

Amatus hæc, qui vidi hanc donationem facere, ſcripſi.

ARTICVLVS SEPTIMVS

LITERÆ QVÆ DOCENT, QVOMODO IRRITA FIT ABBATIS APPELLATIO AD SEDEM APOSTOLICAM CONTRA AUCTORITATEM EPISCOPI.

I.

LITERA REGIA DIRECTA SUMMO PONTIFICI DE JUSTITIA ET JURISDICTIONE TEMPORALI MONASTERII ET VILLÆ BESUENSIS, QVÆ PERTINET IMMEDIATE AD EPISCOPVM LINGONENSEM.

VNDE PRORSVS IRRITA FIT ABBATIS appellatio ad Sedem Apoſtolicam.

Ex Chartulario Eccleſiæ Lingonenſis.

SAnctiſſimo Patri ac Domino *Innocentio* Dei gratia ſanctæ Romanæ Eccleſiæ ſummo Pontifici, *Philippus* eadem gratia Francorum Rex, ſalutem, ac totius honoris & reverentiæ plenitudinem. Scire volumus ſanctitatem veſtram, Pater ſanctiſſime, quòd cùm inter *Maur.* bonæ memoriæ quondam epiſcopum Lingonenſem, & Abbatem, & Eccleſiam, & Burgenſes Beſuenſ. coram nobis quæſtio verteretur, ſuper eo videlicet quòd Abbas ſe eſſe dicebat Abbatem noſtrum Regalem; & epiſcopus ècontra aſſerebat ipſum Abbatem & Eccleſiam ſuam, & Burgenſes ſuos eſſe de ſua juriſdictione temporali, & quòd id idem epiſcopus de nobis nullo mediante tenebat: Tandem ſuper hoc ab utraque parte in curia noſtra duellum fuit firmatum, & propter hoc iſti pugiles introducti

fuerunt *Imbertus* de *Siuriaco* & *Radus* de *Hochede*: & poſtmodum ad hoc res devenit, & ita actum fuit in curia noſtra, quòd idem Abbas & de ſua juſtitia, & juriſdictione temporali fuerint; & id à nobis tenuit idem Epiſcopus. Præterea id à nobis duximus intimandum, quòd Abbas Beſuenſis nobis de novo fuit conqueſtus tam pro ſe quàm pro Eccleſia ſua & ſuis, quòd *Vuillermus* Epiſcopus Lingonenſis ipſis damna plurima, & in vineis ſuis & in rebus aliis intulerat. Propter quod nos utrique parti diem aſſignavimus apud villam novam, ſcilicet S. *Martini*. Cùm autem tam idem Epiſcopus, quàm Abbas noſtra eſſent præſentia conſtituti, & Abbas rationes ſuas contra Epiſcopum induceret, reſpondit Epiſcopus, quòd pro eo quod idem Abbas ſuper hoc ad ſedem Apoſtolicam appellaverat, non eſſet ei tutum in duabus curiis litigare: & quod id facere non debebat. Unde Abbas habito conſilio appellationi ſuæ penitus renunciavit; & ſuper hoc in curia litigare promiſit, & quod ipſum in alia curia ſuper hoc amplius non trahet. Tunc vero prædictus Epiſcopus contra ipſum Abbatem propoſuit, quod, quia tam ipſe Abbas, quàm Eccleſia ſua & ſui de ſua juriſdictione & ſuorum prædeceſſorum erant, petiit à nobis, ut ipſum Abbatem ad curiam ejuſdem Epiſcopi judicandum remitteremus. Viſum autem fuit nobis & Conſilio noſtro, quod, quandiu Epiſcopus vellet & offerret ipſi Abbati juſtitiam exhibere, ad curiam ipſius pro jure capiendo & faciendo remitti deberet. Quod quidem Abbas die ſibi ab Epiſcopo aſſignata recipit. A curia autem noſtra ipſum Abbatem ad curiam Epiſcopi taliter remiſimus judicandum. Super his autem quæ ſcimus & vidimus, Pater ſanctiſſime, teſtimonium perhibemus. Actum apud ſanctum Germanum in Laya anno Domini M. CC. XXII. menſe Jul.

II.

LITERA ABBATIS ET CONVENTUS, IN QUA INTER CETERA DECLARANT SE AD ALIAM NON POSSE APPELLARE QUAM AD EPISCOPI CURIAM.

Ex eodem Chartulario.

UNiverſis præſentes literas inſpecturis, frater *Petrus* humilis Abbas & Conventus Monaſterii *Beſuenſis*, ſalutem in Domino. Noveritis, quòd Dei gratia Lingonenſis epiſcopus literas bonæ memoriæ *Philippi* illuſtriſſimi quondam Francorum Regis haberet continentes hanc ſeriem: Sanctiſſimo Patri &c. Ne oratione verborum in prænotatis literis contentorum aliquid in dubium poſſet revocari, propter quod nobis & eccleſiæ noſtræ multa poſſent incommoda provenire, nos dicimus & recognoſcimus, quod idem epiſcopus & ejus ſucceſſores habent de jure in Abbatem, Eccleſiam, Villam, & Burgenſes Beſuenſ. gardiam & reſſortum; & quod nos Abbas vel Conventus, quamdiu ei vel cuilibet epiſcopo Lingonenſi placuerit nobis exhibere juſtitiam in ſua curia, trahere non poſſimus in aliquam curiam ſecularem ſuper his, quæ pertinent ad Abbatem, vel eccleſiam, vel villam, vel homines Beſuenſes; nec etiam conqueri in alia curia quàm ſua ſuper his, quæ ſpectant ad gardiam ſuam. Habet etiam jus, quod fidelitas ei fiat & ſucceſſoribus ejus epiſcopis Lingonenſibus: quod Burgenſes conſervabunt membra, corpus, & honorem epiſcopi Lingonenſis: & quod ipſi conſervabunt & adjuvabunt ipſum epiſcopum, & ſuos & jura ipſius ad magnam vim & pœnam, & in finagio & villa Beſuenſi. Habet etiam jus habendi tam ipſe quàm ſucceſſores ejus epiſcopi Lingonenſes omnia, quæ ad præmiſſa tria pertinent, ad fidelitatem ſcilicet, gardiam, & reſortum. Ratione tamen gardiæ vel reſorti non poterit in villa Beſuenſi facere extorſionem quamlibet, niſi Abbas aut Conventus, aut Burgenſes venerint contra tria præmiſſa, gardiam ſcilicet, fidelitatem & reſortum, vel aliquod ex ipſis. Et hæc omnia facta ſunt, ſalvo eidem epiſcopo

& ejus ſucceſſoribus Epiſcopis Lingonenſibus per omnia jure ſpiritali. In cujus rei teſtimonium præſentes literas ſigillorum noſtrorum munimine duximus roborandas. Actum anno Domini M. CC. XXXIX. menſe Maio.

III.

LITERA REGIA SUPER PRÆDICTIS.

Ex eodem Chartulario.

L*Vdovicus* Dei gratia Francorum Rex, univerſis præſentes literas inſpecturis, ſalutem. Noveritis, quod literas dilectorum in Chriſto *Petri* Abbatis & Conventus Beſuenſis vidimus in hæc verba : Univerſis &c. *ut ſuprà*. Nos autem literas ſupradicti avi noſtri vidimus in forma ſupraſcripta ad petitionem tam Epiſcopi quàm Abbatis & Conventus prædictorum. In hujus rei teſtimonium præſentibus literis noſtrum fecimus apponi ſigillum, ſalvo in omnibus jure noſtro & alieno. Datum apud Meledunum anno Domini M. CC. XXXIX. menſe Maio.

Digitized by Google

ARTICVLVS OCTAVVS.

JUDICIA LATA

PRO AUCTORITATE EPISCOPI:

ET

EPISTOLÆ, QUÆ EXECUTIONEM DECLARANT.

I.

SENTENTIA AB INNOCENTIO II. LATA PRO EPISCOPO MELDENSI, IN CLERICOS, ET LAICOS VILLÆ RESBACENSIS, SVBLATO APPELLATIONIS DIFFVGIO,

Ex Chartulario Eccleſiæ Meldenſis.

INnocentius Epiſcopus ſervus ſervorum Dei, venerabili fratri ... Pariſienſi epiſcopo, & dilecto filio Abbati, ſalutem & Apoſtolicam benedictionem. Conquerente venerabili fratre noſtro ... Meldenſi Epiſcopo, noſtris eſt auribus intimatum, quòd Clerici & Laici Reſbacenſ. Epiſcopo renuunt obedire. Ne igitur ſi eorum inobedientia remaneat incorrecta, eis incentivum pariat delinquendi, diſcretioni veſtræ per Apoſtolica ſcripta mandamus, quatenus præfatos Clericos & Laicos, ut de hoc memorato Epiſcopo debitam ſatisfactionem impendant, & deinceps eidem ſicut epiſcopo ſuo prout tenentur obedientiam exhibeant & honorem; per diſtrictionem Apoſtolicam ſublato appellationis diffugio juſtitia mediante cogatis: teſtes autem qui nominati fuerunt, ſi ſe gratia, odio vel timore ſubtraxerint, per diſtrictionem Eccle-

ſiaſticam appellatione poſtpoſita compellatis veritati teſtimonium perhibere, nullis literis veritati & juſtitiæ præjudicium facientibus, ſi quæ apparuerint à ſede Apoſtolica impetratæ. Quòd ſi non ambo his exequendis potueritis intereſſe, Tu, frater Epiſcope, ea nihilominus exequeris. Datum Later. x. Kal. Junii, Pontificatus noſtri anno quinto.

II.

EPISTOLA HUGONIS

SENONENSIS ARCHIEPISCOPI.

DE OBEDIENTIA ET SUBIECTIONE, QUAM Abbas Monaſterii Reſbacenſis Epiſcopo Meldenſi promiſit, poſt ſententiam ab Alexandro III. latam.

Ex eodem Chartulario.

IN nomine ſanctæ & individuæ Trinitatis. *Hugo* Dei gratia Senonenſis Archiepiſcopus notum omnibus eſſe volo & præſentibus & futuris, quod *Briccius* Abbas Reſbacenſis eccleſiæ in præſentia Domni *Alexandri* Papæ, dum Senon. moram faceret, Dominorumque Cardinalium, me etiam præſente, ac perſonis Eccleſiæ noſtræ & Canonicis qui plures nobiſcum affuerunt, fecit profeſſionem ſuam venerabili fratri noſtro *Stephano* Meldenſi Epiſcopo, ipſiuſque & ſucceſſoribus ſuis obedientiam & ſubjectionem ore promiſit, & manu confirmavit. Hujus rei teſtes ſunt Vuillelmus &c. Actum eſt Seno. anno ab Incarnatione Domini M. C LXIV. Pontificatus ſui quinto. Datum per manum Fromundi Notarii, & Capellani noſtri.

III.

EPISTOLA BALDOVINI

NOVIOMENSIS EPISCOPI.

De eodem.

EGo *Baldovinus* Dei gratia Noviomenſis Epiſcopus, notum fieri volo tam futuris quàm præſentibus, quod Se-

non. eramus, quando *Briccius* Abbas Reſbacenſis in præſentia Domini *Alexandri* Papæ, & totius curiæ, venerabili Epiſcopo Meldenſi *Stephano* ſuiſque ſucceſſoribus obedientiam & debitam ſubjectionem ore proprio promiſit, propriaque manu confirmavit. Hujus rei teſtimonium ſicut audivimus & vidimus ita perhibemus, & in his ſcriptis redegimus, & tam ſigilli noſtri appoſitione quàm propria Epiſcopatus noſtri, & Canonicorum Eccleſiæ noſtræ, ceterorumque Clericorum noſtrorum qui tunc ibidem nobiſcum præſentes affuerunt aſtipulatione communimus. Sign. *Vuilboldi* Abbatis, ſancti Eligii Noviomenſis.

I V.

EPISTOLA PETRI EPISCOPI, ET HUGONIS DECANI PARISIENSIS,

DE EXECUTIONE SENTENTIÆ Innocentii III. *pro auctoritote Epiſcopi in Abbatem, & Monaſterium Resbacenſe.*

PEtrus Dei gratia Epiſcopus, & *Hugo* Decanus Pariſienſis, omnibus ad quos literæ pervenerunt, ſalutem in Domino. Ad univerſitatis noſtræ notitiam volumus pervenire, quod, cùm Dominus Papa nobis, & Cancellarius Pariſienſis executionem ſententiæ commiſiſſet, quam in cauſa quæ vertebatur inter dilectos noſtros...... Meldenſem electum ex una parte ...... & Abbatem & Monaſterium Reſbacenſe ex altera, ſuper ſubjectione ejuſdem Monaſterii promulgarat; Nos de bonorum prudentumque virorum conſilio ita ſumus ſententiam ſummi Pontificis executi, tertio conjudice noſtro ſe legitime excuſante, tam Abbati quàm Monaſterio Reſbacenſi auctoritate Apoſtolica injungentes, quatenus memorato electo ita in monaſterio ſubjectionem exhibeant, ut ibidem liberam habeat tanquam Diœceſanus Epiſcopus poteſtatem. Datum anno ab Incarnatione Domini M. CC. IX. menſe Auguſto.

Vide plures alias epiſtolas de eadem re, & ex eodem Chartulario,

à

à Ioanne Launoio Theologo Pariſienſi doctiſſimo deſcriptas in parte ſecunda aſſertionis inquiſitionis in monaſterii S. Medardi Sueſſion. privilegium, pro defenſione ſedis Apoſtolicæ adverſus privilegia ſubreptitia. p. 368. 369. 375 376. & in parte tertia aſſertionis p. 493. uſque ad 501. & p. 657.

V.

SENTENTIA AB INNOCENTIO II. LATA CONTRA PRESBYTERUM DE JOTRO, QUI AUDITO EPISCOPI MANDATO IN VOCEM APPELLATIONIS PRORUPERAT.

Ex Chartulis Eccleſiæ Meldenſis.

INnocentius Epiſcopus ſervus ſervorum Dei, venerabili fratri Pariſienſi Epiſcopo, & dilecto filio Abbati Latiniacenſi, ſalutem & Apoſtolicam benedictionem. Conquerente venerabili fratre noſtro Meldenſi Epiſcopo, noſtris eſt auribus intimatum, quòd *Hugo* Presbyter ſancti *Petri* Jotrenſis licet à prædeceſſore ſuo curam ſuſceperit animarum, & ei teneatur ſuper hoc reſpondere, monitus ab eo præſentiam ejus venire contempſit, & audito ejus mandato ſtatim in vocem appellationis prorupit; quod multis jam annis elapſis non fuit per ſe vel per alium proſecutus. Quocirca diſcretioni veſtræ per Apoſtolica ſcripta mandamus, quatenus eundem Presbyterum, ut ſuper hoc ipſi Epiſcopo debitam ſatisfactionem impendat, & deinceps mandatis illius obediat ut tenetur per cenſuram Eccleſiaſticam, appellatione remota, cogatis: teſtes autem qui nominati fuerint, ſi ſe gratia, odio vel terrore ſubtraxerint, per diſtrictionem Eccleſiaſticam appellatione poſtpoſita compellatis veritati teſtimonium perhibere, nullis literis veritati & juſtitiæ præjudicium facientibus, ſi quæ apparuerint à ſede Apoſtolica impetratæ. Quòd ſi non ambo his exequendis potueritis intereſſe, tu, frater Epiſcope, ea nihilominus exequeris. Datum Lateran. x. Kalend. Junii, Pontificatus noſtri anno quinto.

VI.

SENTENTIA AB INNOCENTIO II. LATA PRO AUCTORITATE EPISCOPI ADVERSUS ABBATISSAM, CLERUM, ET POPULUM JOTRENUM, SUBLATO APPELLATIONIS DIFFUGIO.

Ex eodem Chartulario.

INnocentius Epiſcopus ſervus ſervorum Dei, venerabili fratri Pariſienſi Epiſcopo,& dilecto filio Abbati Latiniacenſi, ſalutem & Apoſtolicam benedictionem. Sicut venerabilis frater noſter Meldenſis Epiſcopus in noſtra præſentia conſtitutus ſua nobis conqueſtione monſtravit, quòd Abbatiſſa Jotrenſis obedientiam, quam debet impendere cum Clericis etiam & hominibus ejuſdem villæ, ipſi Meldenſi Epiſcopo ſuo renuit obedire. Ne igitur, ſi eorum inobedientia remaneat incorrecta, eis incentivum pariat delinquendi; diſcretioni veſtræ per Apoſtolica ſcripta mandamus, quatenus Abbatiſſam, Clericos, & Laicos ſupradictos, ut ſuper hoc memorato Epiſcopo debitam ſatisfactionem impendant, deinceps eidem ſicut Epiſcopo ſuo prout tenentur obedientiam exhibeant, & honorem per diſtrictionem Eccleſiaſticam ſublato appellationis diffugio juſtitia mediante cogatis: teſtes autem qui nominati fuerint, ſi ſe gratia, odio, vel timore ſubtraxerint, per diſtrictionem Eccleſiaſticam appellatione poſtpoſita compellatis veritati teſtimonium perhibere, nullis literis veritati & juſtitiæ præjudicium facientibus, ſi quæ apparuerint à ſede Apoſtolica impetratæ. Quod ſi non ambo his exequendis potueritis intereſſe, tu, frater Epiſcope, ea nihilominus exequaris. Datum Lateran. X. Calend. Junii Pontificatus noſtri anno quinto.

Digitized by Google

VII.

EPISTOLA VVILLELMI REMORUM ARCHIEPISCOPI

DE HONORE ET REVERENTIA, ET DE OMNI jure, quod Euſtathia Abbatiſſa Eccleſiæ Iotrenſis promiſit ſemper ſe exhibituram Epiſcopo Meldenſi.

Ex eodem Chartulario.

VUillelmus Dei gratia Remorum Archiepiſcopus ſanctæ Romanæ eccleſiæ titulo ſanctæ Sabinæ Cardinalis, Apoſtolicæ ſedis legatus, Univerſis fidelibus tam futuris quàm præſentibus, ad quos literæ iſtæ pervenerint, in Domino ſalutem. Noverit univerſitas veſtra, quod cùm venerabilem fratrem noſtrum Simonem Meldenſem epiſcopum, & eccleſiam Jotrenſem ſuper benedictione Abbatiſſæ, & aliis conſuetudinibus quæſtio verteretur; tandem inter eos nobis mediantibus compoſitio facta eſt in hunc modum: Euſtathia Abbatiſſa aſſenſu Capituli ſui in præſentia noſtra publice Meld. recognovit Meldenſem epiſcopum eſſe ſuum, & villæ Iotrenſis epiſcopum, & electam Iotrenſem non debere benedici, niſi ab eo: nec etiam Clericos Iotrenſes ordinari, niſi per ipſum. Promiſit etiam ſe Meldenſi epiſcopo exhibituram omnem honorem & reverentiam, & omne jus, & omne debitum, quod prædeceſſores ſui anteceſſoribus ipſius epiſcopis exhibuerunt; & inſuper proceſſiones, primam videlicet poſt epiſcopi conſecrationem, & ceteras quoties epiſcopus à Romana ſede redierit. Huic igitur compoſitioni per nos factæ teſtimonium perhibuimus: ſigilli noſtri munus appoſuimus. Actum anno ab Incarnatione Domini M. C. LXXXIII. Datum per manum Lambini Cancellarii noſtri.

VIII.

PRIVILEGIUM EUGENII III. CONTRA ARCHIDIACONOS PARISIENSES PRO AUTORITATE EPISCOPI.

Ex Chartulis Eccleſiæ Pariſienſis.

EUgenius Epiſcopus ſervus ſervorum Dei, venerabili fratri *Theobaldo* Pariſienſi Epiſcopo, ejuſque ſucceſſoribus canonice ſubſtituendis in perpetuum. Officii noſtri debitum nos compellit ſingulis eccleſiis & Eccleſiaſticis perſonis juſtitiam conſervare, & ne qua de rebus Eccleſiaſticis inter eos in poſterum valeat oboriri diſcordia, paterna ſollicitudine providere. Eapropter, venerabilis frater in Chriſto *Theobalde* Epiſcope, paci & tranquillitati tuæ & eccleſiæ tibi à Deo commiſſæ providere volentes, præſentis ſcripti paginam ſtatuimus, ut concordia quæ inter prædeceſſorem tuum *Stephanum* bonæ memoriæ, & *Theobaldum* ejuſdem eccleſiæ Archidiaconum, per *Mathæum* Albanenſem epiſcopum, & *Joannem S. Griſochoni*, & *Petrum* tituli *Calixti* tunc Preſbyteros Cardinales, & mandato prædeceſſoris noſtri felicis recordationis Papæ *Honorii* compoſita eſt, & venerabilium fratrum noſtrorum *Gaufridi* Carnotenſis, & *Burchardi* Meldenſis epiſcoporum ſcripto firmata, inter te & ſucceſſores tuos, & Archidiaconos Pariſienſis eccleſiæ tam præſentes quàm futuros perpetuis temporibus inviolabiliter conſervetur: ut videlicet non liceat Archidiaconis in eccleſiis Preſbyteros ponere, Epiſcopi autem intererit Eccleſias ordinare per Archidiaconos tamen, ſicut per miniſtros ſuos, ita ut Epiſcopus ſacerdotibus curam animarum committat: per Archidiaconos verò Eccleſiam & res aſſignent Eccleſiæ. Archidiaconis ſacerdotes ab officio ſuſpendere nullatenus liceat ſi epiſcopus in parochia fuerit, deponere autem omnino non liceat, neque pœnitentias dare, ſed neque reconciliare niſi ex licentia debebunt Epiſcopi: excommunicare autem aliquem Clericum aut abſolvere Archidiaconis non licet, niſi per mandatum Epiſcopi. Epiſco-

pus verò, quoties expedierit, Parrochianos ſuos conveniet per Archidiaconum, & ad juſtitiam invitabit. Quam ſi contempſerint, & juſtitia dictaverit, excommunicare licebit Epiſcopo: factam verò excommunicationem Archidiaconi obſervabunt. Clericos verò ad ordines promoveri non facient Archidiaconi, niſi per mandatum & ſigillum Epiſcopi, ſi tamen in provincia fuerit: Si vero Epiſcopus ab fuerit, & Archidiaconi mandatum habebunt Epiſcopi neceſſitate urgente, & Clericos promoveri facient, & Eccleſias canonice poterunt ordinare. Collectas verò Epiſcopus abſque Archidiaconis per Parochiam eorum non faciet, niſi aut Romam veniat, aut Concilium in provincia celebretur, aut fortè Dominum Papam in Eccleſia ſua ſuſcipiat; quod tamen conſultis Archidiaconis faciet. In quibus quidem collectis, quarum expenſæ omnes erunt Epiſcopi, Archidiaconi nullam habeant portionem. In ceteris autem communibus collectis Archidiaconi, ut moris eſt, tertiam partem obtineant. Archidiaconis verò in tota parrochia collectas ſine Epiſcopo facere non licebit. Quòd ſi quis Archidiaconus de ſuo, precibus, aut ultro donare voluerit, nequaquam debebit Epiſcopus contradicere. Si quis in Parrochia Clericus, ſive Laicus Archidiaconis, aut alii injuſtitiam fecerit, & per eoſdem Archidiaconos emendari noluerit, & ſi Epiſcopus in loco fuerit & negotium ante ſe tractare voluerit, Archidiaconi uſque ad ſententiam non procedant; ſi cauſam ſuam ad Epiſcopum deferant, qui eis canonicam in omnibus obſervet juſtitiam. Si verò Epiſcopus abſens fuerit, aut audire noluerit, Archidiaconi juſtitiam canonicam faciant, ex mandato tamen Epiſcopi: & hoc in Laicos, ſalva in omnibus ſedis Apoſtolicæ auctoritate. Si quis autem contra hujus noſtræ confirmationis paginam ſciens temere venire tentaverit, ſecundo tertiove commonitus niſi reatum ſuum congrua ſatisfactione correxerit, indignatione omnipotentis Dei, & beatorum Petri & Pauli Apoſtolorum ejus incurrat, atque in extremo examine diſtrictæ ultioni ſubjaceat. Amen. Amen.

Hic eſt titulus in eiſdem Chartulis.

IX.

PRIVILEGIVM ADRIANI IV.

CONTRA ARCHIDIACONOS

Nihil aliud continens, quam quod in præcedenti Privilegio Eugenii continetur.

ADrianus Epiſcopus ſervorum Dei, venerabili fratri *Theobaldo* Pariſienſi Epiſcopo, ejuſque ſucceſſoribus canonice ſubſtituendis in perpetuum, &c.

X.

PRIVILEGIVM ALEXANDRI III.

IN EUMDEM MODUM CONTRA ARCHIDIACONOS:

ET NE ARCHIDIACONI PRESBYTEROS SIBI ſubditos nimia frequentia hoſpitiorum gravent.

Ex iiſdem Chartulis.

ALexander Epiſcopus ſervus ſervorum Dei, venerabili fratri *Mauritio* Pariſienſi Epiſcopo, ejuſque ſucceſſoribus canonice ſubſtituendis in perpetuum. Officii noſtri debitum nos compellit ſingulis Eccleſiis, &c. *ut ſuprà, uſque ad illa verba:* Ad hæc auctoritate Apoſtolica prohibemus, ne Archidiaconi Preſbyteros in ſuis Archidiaconatibus conſtitutis nimia frequentia hoſpitiorum ullatenus graventur, &c.

XI.

PRIVILEGIUM CLEMENTIS III.

CONTRA ARCHIDIACONOS,

Idem Continens quod Privilegium Alexandri.

Ex iiſdem Chartulis.

CLemens Epiſcopus ſervus ſervorum Dei, venerabili fratri *Mauritio* Pariſienſi Epiſcopo, ejuſque ſucceſſoribus canonice ſubſtituendis in perpetuum, &c.

Digitized by Google

XII.

PRIVILEGIUM CLEMENTIS III.

CONTRA ARCHIDIACONOS ORDINATIONES Eccleſiarum impedientes, et pro auctoritate Epiſcopi.

Ex iiſdem Chartulis.

CLemens Epiſcopus ſervus ſervorum Dei, venerabili fratri Pariſienſi Epiſcopo, ſalutem & Apoſtolicam benedictionem. Ad audientiam noſtram noveris perveniſſe, quòd Archidiaconi Eccleſiæ tuæ obventionum cupiditate detenti, ordinationes Eccleſiarum quarundam per ſex menſes interdum, & per annum integrum impedire conantur. Cùm igitur conſtituta Lateranenſis Concilii hujuſmodi exceſſum diſtrictius interdicant, fraternitati tuæ præſentibus literis duximus concedendum: ut ſi Archidiaconi tui de cetero malitioſe aliquid tale præſumpſerint, liceat tibi Eccleſias perſonis idoneis committere gubernandas. Nulli ergo omnino hominum liceat hanc paginam infringere, &c.

XIII.

EXECUTIO SENTENTIÆ INNOCENTII III.

PRO AUCTORITATE EPISCOPI MELDENSIS LATÆ, contra Decanum et Archidiaconos:

& compoſitio juxta hanc ſententiam facta.

Ex Chartulario Eccleſiæ Meldenſis.

P*Etrus* Dei gratia Archiepiſcopus, & ſanctæ Columbæ Abbas Senonenſis, omnibus ad quos præſentes perveniunt, in Domino ſalutem. Ad omnium volumus notitiam pervenire, nos recepiſſe Domni Papæ literas in hunc modum.

Innocentius Epiſcopus ſervus ſervorum Dei, venerabili fra-

tri Archiepiſcopo, & dilecto Abbati ſanctæ Columbæ Senonenſis, ſalutem & Apoſtolicam benedictionem. Querela venerabilis fratris noſtri Meldenſis epiſcopi nobis expoſita patefecit, quòd cùm ad eum pertineat in Meldenſi Diœceſi Decanos rurales inſtituere ac deſtituere ſicut prędeceſſorum noſtrorum temporibus eſt obtentum: Archidiaconi Meldenſis Eccleſiæ illi ſuperhoc contradicunt, aſſerentes quòd eis inconſultis non licet aliquem inſtituere in Decanum, & ſubventiones, quas Rectores Eccleſiarum ſuæ Diœceſis eidem exhibere tenentur, in grave præjudicium ejus ſibi non metuunt vendicare, duas partes meſſium ei tantummodo dimittentes. Item etiam Archidiaconi à Preſbyteris Meldenſis Diœceſis contra voluntatem & prohibitionem ipſius, pecuniam per exactiones illicitas non dubitant extorquere. Pręterea Decano Meldenſi ſuam recitavit querelam, quod cùm præbendas vacantes idoneis perſonis aſſignat, & eas mittit ad Decanum & Capitulum, ipſos in fratres & Canonicos recipiant, & Decanus eos corporaliter inveſtiat de præbendis, ſicut conſuetudo requirit; Decanus plerumque differt & impedit receptionem illorum, & ſe hac occaſione abſentat, vel aliquas frivolas cauſas malitioſas prætendit. Ut igitur quæ in Meldenſi Eccleſia pręter rectitudinis ordinem attentantur, in ſtatum debitum per officium noſtræ ſollicitudinis reformentur, diſcretioni veſtræ per Apoſtolica ſcripta mandamus, quatenus ad ipſam Meldenſem Eccleſiam accedentes, ſuper his & aliis quæ vobis hinc inde propoſita fuerunt inquiratis diligentius veritatem; & Dominum habentes præ oculis, quæ in ea corrigenda inveneritis ſecundum Dominum & juſtitiam, ſublato appellationis obſtaculo, auctoritate freti Apoſtolica corrigatis, facientes quæ decreviſtis per cenſuram Eccleſiaſticam obſervari: teſtes autem qui nominati fuerint, ſi ſe gratia, odio, vel timore ſubtraxerint, per diſtrictionem Eccleſiaſticam appellatione poſtpoſita compellatis veritati teſtimonium perhibere. Quòd ſi non ambo his exequendo potueritis intereſſe, Tu, frater Archiepiſcope, ea nihilominus exequeris. Datum Lateran. x. Kalend. Junii Pontificatus noſtri anno IV.

Accedentes itaque ad Meldenſem Eccleſiam partibus convocatis

vocatis, & in noſtra pręſentia conſtitutis, de conſenſu Epiſcopi & Archidiaconorum pro bono pacis talem ordinationem fecimus; quod rurales Decanos Meldenſis Epiſcopus Archidiaconis inconſultis poſſit eligere, inſtituere, & mutare, ſalva tamen fidelitate quam de conſervando jure Archidiaconorum conſueverunt pręſtare. In hoc etiam Archidiaconi amicabiliter conſenſerunt, ut de ſuccurſu eccleſiarum tam in meſſe quam aliis obventionibus, donec per Epiſcopum inſtituantur perſonæ, duas partes Epiſcopus, & tertiam Archidiaconi ſui recipiant: per Decanos rurales ſuccurſus debeat Eccleſiarum vacantium procurari. Super conferendis autem Eccleſiis Parochialibus Archidiaconi recognoverunt, quod nunquam vexarint ipſum, nec in vita ſua vexabunt, nec ei contradicent. Quia etiam conquerebatur Epiſcopus, quòd idoneas perſonas quibus prębendas conferebat vacantes, Decanus pro ſua voluntate inveſtire differret. Hoc itaque de aſſenſu partium temperavimus, ut Decanus ſi præſens fuerit ſine dilatione inveſtiat Canonicum ſibi ab Epiſcopo miſſum, & in capitulo Canonicum loco ſuo ſubſtituet, qui denunciabit Decano ſi abſens fuerit, ut inveſtituram Canonici ab Epiſcopo miſſi facturus accedat: & ſi infra octo dies Decanus non venerit, ſubſtitutus à Decano Canonicus auctoritate Decani inveſtiat perſonam ab Epiſcopo præſentatam. Quòd ſi Canonicus, quem Vicarium ſuum Decanus elegerit, infra octo dies quoquomodo etiam præſens inveſtituram requiſitus non fecerit, vel ipſum abeſſe contigerit: hanc prior in ordine ſacerdotum Canonicorum qui præſentes fuerint nomine ipſius Decani implebit. A petitione autem tertiæ partis demandæ, quam Epiſcopus fecerat, ad veſtrum conſilium Archidiaconi deſtituerunt. Ipſi autem Archidiaconi nullam in ſuis Archidiaconatibus demandam facient, niſi Epiſcopo aſſenſum prębente. Quod ut ratum permaneat, pręſens ſcriptum ſigillorum noſtrorum munimine fecimus roborari. Actum Meld. anno Verbi Incarnati M. CCI.

XIV.

DIFFINITIVA SENTENTIA DATA CONTRA ECCLESIAM DE CALA AB AMBIANENSI, ET TORNACENSI EPISOPIS, ET ALIIS IUDICIBUS, *PRO AUCTORITATE EPISCOPI.*

Ex iiſdem Chartulis.

EGo *Theobaldus* Ambianenſis, & *Stephanus* Tornacenſis Epiſcopi, *Hugo* S. *Dionyſii*, *Robertus S. Germani*, Abbates cognitores ex compromiſſo de conſenſu utriuſque partis ſuper cauſa quæ vertebatur inter Pariſienſem Epiſcopum & Capitulum ſuum ex una parte, & Eccleſiam de *Cala* ex altera, pręſentibus Abbatiſſa & Prioriſſa pro ecclesia ſua & proclamantibus in libertatem & exemptionem à juriſdictione Epiſcopi & eccleſiæ Pariſienſis, diligenter auditis allegationibus & inſtrumentis utriuſque partis, & privilegiis inſpectis, audita etiam in jure confeſſione Abbatiſſæ, quòd ab Epiſcopo Pariſienſi in ipſa ecclesia benedictionem accepit, & profeſſionem ſuam ſcriptam ſuper altare obtulit, & manu propria firmavit & ſubſcripſit, & obedientiam epiſcopo & eccleſiæ Pariſienſi promiſit. Cùm prima die ad pacem plurimùm laborantes nihil profeciſſemus, conſilio habito cum pluribus diſcretis viris, cùm plenè nobis de cauſa liqueat, pronunciamus Abbatiam de *Cala* nullam aliam habere libertatem vel exemptionem à jure Epiſcopi & eccleſiæ Pariſienſis, niſi quam aliæ Abbatiæ habent quæ cum iſta in privilegiis Romanorum Pontificum Eccleſiæ Pariſienſi ſubjectæ continentur, ſcilicet *Latiniacenſis*, *Foſſatenſis*, *S. Maglorii*, *S. Victoris* de *Monte Martyrum*, & de *Edera*. Appellationi autem factæ ab Abbatiſſa ad Dominum Regem, ſalva gratia Domini Regis, viſum eſt nobis non deferendum; maxime cùm fide interpoſita ab utraque parte compromiſſio firmata ſit, & à ab arbitris non ſit appellandum. Actum Pariſius anno Incarnati Verbi. M. C. XC. VI.

X V.

SENTENTIA A CÆLESTINO III. LATA PRO AUCTORITATE EPISCOPI IN ECCLESIAM CALENSEM,

ET QUIDEM CONTRA PRIVILEGIUM AB IPSA ANTEA CONCESSUM.

Ex Chartulis Eccleſiæ Pariſienſis.

CÆleſtinus Epiſcopus ſervus ſervorum Dei, venerabili fratri Atrebatenſi Epiſcopo, & dilectis filiis Abbati ſancti *Victoris*, & Priori ſancti *Martini* de *Campis* Pariſienſis, ſalutem & Apoſtolicam benedictionem. Cùm homines ſimus & humanitatis lege detenti, non debet nobis videri mirabile, ſi quod aliquando ſcrupulum contingat in noſtris actibus ſecundùm id quod humanum eſt apparere. Cùm enim olim dilectus filius *Martinus* Preſbyter Calenſis Eccleſiæ nuncius ad pręſentiam noſtram acceſſiſſet, & quoddam nobis ex parte ejuſdem eccleſiæ exhibuiſſet authenticum quorumdam prudentum virorum ſigillis & teſtimonio conſignitum, quo Calenſis Eccleſia à juriſdictione Pariſienſis Eccleſiæ ſe aſſerebat exemptam, Nos eidem ſcripto omnimodàm fidem adhibentes eidem nuncio ſuper exemptione jam dicta munitionis noſtræ literas duximus concedendas. Præcedente verò tempore cum nuncius memoratus ſuper eodem negotio conaretur à nobis privilegium impetrare, Eccleſia Pariſienſis id in ſuum pręjudicium attentatum agnoſcens, dilectum filium Magiſtrum *Thomam* ad agendum pro ſe ad Sedem Apoſtolicam deſtinavit. Nunciis igitur utriuſque Eccleſiæ in noſtra præſentia conſtitutis, dilectos filios titulo ſanctæ *Mariæ* tranſcribimus Preſbyterum, & G. ſanctæ *Mariæ* in porticu Diaconum Cardinales, conceſſimus auditores. In quorum præſentia cum inter ipſos fuiſſet aliquandiu diſceptatum, memoratus Magiſter *Thomas* per felicis recordationis *Innocentii*, *Eugenii*, *Alexandri*, & aliorum plurium Romanorum Pontificum privilegia, per benedictionem inſuper Abbatiſſæ, & Virginum conſecrationes à Pariſienſi Epiſcopo factas, Calenſem Eccleſiam Pari-

ſienſi Eccleſiæ ſubjectionem debere conſtanter nobis proponens, & à triginta annis, vel quadraginta continue eidem Epiſcopo, & Archidiacono, & prædeceſſoribus ejus in obedientia, & procurationibus tempore viſitationis, & aliis temporalibus reſpondiſſe, quoddam nobis attulit inſtrumentum dilectorum filiorum H. Dionyſii & R. S. *Germani* Pariſienſis Abbatum ſigillis & teſtimonio roboratum; ex cujus tenore didicimus, quòd cum venerabiles fratres noſtri Ambianenſis & Tornacenſis Epiſcopi, & iidem Abbates cauſæ ſupradictæ quæ inter Pariſienſem & Calenſem Eccleſias vertebatur ex compromiſſo cognitores exiſterent, receptis utriuſque Eccleſiæ literis, & pœna quingentarum librarum de obſervatione arbitrii hinc inde impoſita præſtita, & ſuper hoc & ab eadem Abbatiſſa fidei cautione, tam ipſa quàm conventu ſuo proclamantibus in exemptionem & libertatem quorumdam privilegiorum obtentu ſibi à quibuſdam Epiſcopis Pariſienſ. indultorum, iidem Epiſcopi & Abbates auditis allegationibus, authenticis diligenter inſpectis, audita & Abbatiſſæ confeſſione in jure videlicet, quòd benedictionis munera à Pariſienſi Epiſcopo recepiſſet, profeſſione & manu propria ſcripta & ſuper altare poſita, Pariſienſi Eccleſiæ ſubjectionem & obedientiam promiſiſſet, habito de pace tractatu, cum non poſſit modus compoſitionis occurrere, communicato prudentum virorum conſilio ſuper quæſtione jam dicta, Calenſem Eccleſiam condemnarunt. Et cum hoc ad audientiam chariſſimi in Chiſto filii illuſtris Regis Francorum ab Abbatiſſa appellatum fuiſſet, idem Apoſtolico minime deferentes, eo quòd jura non ſinunt ab arbitris appellare, pronunciaverunt ipſam Calenſem Eccleſiam nulla ab aliis Abbatiis libertatis prærogativa differre, quæ auctoritate privilegiorum Apoſtolicæ Sedis Pariſienſi Eccleſiæ ſunt ſubjectæ. Quia verò Abbatiſſa ſæpedicta religionem juramenti contemnere non formidans eidem ſententiæ parere contemnit, diſcretioni veſtræ per Apoſtolica ſcripta mandamus, quatenus ſi præmiſſis veritas ſuffragatur, literis exemptionis ſive executoriis, vel indulgentiis à prædictis Abbatiſſa & conventu à nobis obtentis, oppoſitione quoque ad memoratum Regem interpoſita nequaquam obſtantibus, ſublato cujuſlibet contradictionis & oppoſitionis obſtaculo, per

cenſuram Eccleſiaſticam memoratam Calenſem Eccleſiam Pariſienſi tanquam matrici Eccleſiæ faciatis eſſe ſubjectam. Si verò aliter res ſe habuerit, partibus ad veſtram præſentiam convocatis, audiatis quæ hinc inde duxerint proponenda; & cauſam ipſam Apoſtolica remota fine Canonico terminetis; & faciatis quod decreveritis per cenſuram Eccleſiaſticam à partibus inviolabiliter obſervari. Quòd ſi omnes his nequiveritis exequendis intereſſe, duo veſtrûm nihilominus ea exequentur. Datum Lateran. IX. Cal. Decemb. Pontificatus noſtri anno VI.

XVI.

SENTENTIA A VUILLELMO CANONICO MELDENSI ET PETRO CANONICO IOTRENSI LATA PRO AUCTORITATE EPISCOPI CONTRA ABBATISSAM ET CONVENTVM DE IOTRO

Ex Chartulario Eccleſiæ Meldenſis.

MAgiſtri *Vuillelmus* Canonicus Meldenſis, & *Petrus* Canonicus Iotrenſis, omnibus præſentes literas inſpecturis, in Domino ſalutem. Noverint univerſi, quòd cum contentio eſſet inter venerabilem Patrem P. Dei gratia Meldenſem Epiſcopum ex una parte, & religioſas Dominas Abbatiſſam & Conventum de *Iotro* ex altera, ſuper eo quod dicebat Epiſcopus dictam Abbatiſſam & Conventum ipſum impedire, ne provideret Leproſiæ de *Sameron* in ſua diœceſi ſitæ, conſervando bona ſive eleemoſynas dictæ leproſiæ, & ne ibidem Magiſtrum inſtitueret, qui dictæ domui in ſpiritualibus & temporalibus provideret, & partes ſuper his in nos compromiſiſſent: Nos auditis rationibus utriuſque partis, facta diligenti inquiſitione, ſententialiter pronunciavimus inſtitutionem Magiſtri in dicta Leproſia qui in ſpiritualibus & temporalibus eidem leproſiæ provideat, ad dictum Epiſcopum pertinere, præfatis Abbatiſſæ & Conventui perpetuum ſuper his ſilentium imponentes; partes verò expreſſæ ſententiam iſtam ratam habuerunt & approbaverunt. In cujus rei memoriam præſentes literas ſigillo-

rum noſtrorum munimine duximus roborandas. Actum anno Domini M. CC. XXVIII.

XVII.

SENTENTIA A PETRO MORINENSI EPISCOPO ET PHILIPPO S. ANDOMARI DECANO LATA DE OBSERVANDIS SENTENTIIS EPISCOPI A CAPITULO.

Ex eodem Chartulario.

PEtrus Dei gratia Morinenſis Epiſcopus, & *Philippus* ſancti *Andomari* Decanus, univerſis præſentes literas inſpecturis, in Domino ſalutem. Notum facimus quòd cùm controverſia eſſet inter venerabilem Patrem Dei gratia Meldenſem Epiſcopum ex una parte, & Capitulum Meldenſe ex alia, ſuper eo quòd idem Epiſcopus dicebat contra Capitulum quòd mandatum ejus in Eccleſia Meldenſi ceſſare teneretur, & ſuper eo quòd ipſe dicebat quòd ſi aliquem excommunicaret, & Capitulo mandaret quod ipſum faceret denunciari excommunicatum, per Hebdomadarium modis omnibus teneretur obedire eidem: tandem nobis præſentibus in Capitulo Meldenſi ad hoc ſpecialiter convocato, ſicut ex ipſius Capituli confeſſione cognovimus anno Domini M. CC. XXX. die Martis poſt feſtum beati *Matthæi* Apoſtoli ita convenit inter partes, quod dictum Capitulum promiſit dicto Epiſcopo quod quotieſcunque ſuppoſuerit interdicto civitatem Meldenſem, & ab Epiſcopo fuerit Capitulum requiſitum, vel per ipſum Epiſcopum, vel per literas ſuas, vel per certum ejus nuncium, quod ceſſet in Eccleſia Cathedrali, ceſſabit: & quotieſcunque ab eo fuerit requiſitum, vel per ipſum Epiſcopum, vel per literas ſuas, vel per certum ejus nuncium, quod excommunicatum vel excommunicatos auctoritate ſua per civitatem denunciari faciat, auctoritate ſua per Hebdomadarium excommunicatum vel excommunicatos in Eccleſia Cathedrali faciet denunciari. De Preſbytero vero de *Domuncul.* quem auctoritate cujuſdam privilegii ſui Capitulum ſuſpenderat, & excommunicaverat de jure, ut dicebat Capitulum, de facto

ſolum, & non de jure, prout dicebat idem Epiſcopus, convenit inter dictos Epiſcopum & Capitulum; ita quòd Capitulum ipſum Preſbyterum ſuper his in pace dimiſit, promittens quod in poſterum occaſione earumdem ſententiarum nec preſbyterum nec Epiſcopum moleſtabit, vel aliquam contra eos movebit quæſtionem. In cujus rei teſtimonium & memoriam perpetuam præſentes literas ſigillorum noſtrorum munimine fecimus roborari. Actum Meldis anno Domini M. CC XXX. die Martis poſt feſtum beati Mathæi Apoſtoli.

XVIII.

EPISTOLA RENAUDI SANCTI FARONIS, ALBERTI BEATÆ MARIÆ IN CAGIA, ET JOANNIS CAMERÆ FONTIS ABBATUM.

De eodem.

UNiverſis præſentes literas inſpecturis, *Renaudus* ſancti *Faronis*, *Albertus* beatæ *Mariæ* in *Cagia*, & *Joannes Cameræ Fontis* Abbates, æternam in Domino ſalutem. Notum facimus quòd &c. *ut ſuprà.*

XIX.

EPISTOLA GUILLELMI SENONENSIS ARCHIEPISCOPI.

De eodem.

GVillelmus Dei gratia Senonenſis Archiepiſcopus, univerſis præſentes literas inſpecturis, in Domino ſalutem. Notum facimus quod *&c. ut ſuprà.* Actum anno Domini M. CC. XXX. Menſe Octobri.

XX.

SENTENTIA A PETRO MELDENSI EPISCOPO LATA ADVERSUS CAPITULUM DE SUA JURISDICTIONE

IN PRESBYTERUM DE GIEVRES.

Ex Chartulario Eccleſiæ Meldenſis.

P. Dei gratia Meldenſis Epiſcopus, omnibus præſentes literas inſpecturis, in Domino ſalutem. Notum facimus quod cùm contentio eſſet inter nos ex una parte, & Capitulum Meld. ex alia, ſuper juriſdictione in Preſbyterum de *Gievres* quem utraque pars dicebat ſe habere, & Capitulum promiſit in verbo veritatis, quod ſtabit dicto & ordinationi noſtræ, ſuper hoc facta prius legitima inquiſitione tam de jure utriuſque partis quàm de uſu habito in parochia de *Martelly*, de qua Parochia de *Gievres* exivit: Nos facta legitima inquiſitione ſuper prædictis, dictum noſtrum & ordinationem anno Domini M. CC. XXXI. pronunciavimus in hunc modum: In nomine Patris & Filii & Spiritus ſancti, Amen. Cum contentio eſſet inter nos ex una parte, & Capitulum Meldenſe ex alia ſuper juriſdictione in Preſbyterum de *Gievres*, quam utraque pars dicebat ſe habere, & Capitulum promiſit in verbo veritatis, quod ſtabit dicto & ordinationi noſtræ, ſuper hoc facta prius legitima inquiſitione tam de jure utriuſque partis quàm de uſu habita in Parochia de *Marteilly*, de qua Parochia de Gievres exivit: Nos facta legitima inquiſitione ſuper prædictis, cùm conſtet per jus commune juriſdictionem in Preſbyterum prædictum ad Meld. Epiſcopum pertinere, licet Capitulum probaverit ſe aliquanto tempore uſum fuiſſe dicta juriſdictione, non tamen tanto tempore quod præſcriptionem inducat, nec alias ſufficienter probaverit ad ſe dictam juriſdictionem pertinere, dicimus & ordinamus juriſdictionem in Preſbyterum de *Gievres* eſſe Epiſcopi Meldenſis, ſuper ea dicto Capitulo in perpetuum ſilentium imponentes. Actum anno Domini M. CC. XXXI, menſe Februar.

XXI.

XXI.

SENTENTIA A GREGORIO IX. LATA ADVERSUS MAGISTRUM ET FRATRES DOMUS LEPROSORUM S. LAZARI MELDENS.

Qui obedientiam & reverentiam ſuo Epiſcopo exhibere denegabant.

Ex eodem Chartulario.

GRegorius Epiſcopus ſervus ſervorum Dei, dilectis filiis Archidiacono, Theſaurario, & Officiali Laudunenſi, ſalutem & Apoſtolicam benedictionem. Venerabilis frater noſter Meldenſis Epiſcopus ſua nobis expoſuit quæſtione, quod magiſter & fratres domus Leproſorum ſancti Lazari Meldenſis, & quidam alii Clerici & Laici ſuæ civitatis & diœceſis debitam ei obedientiam & reverentiam denegant exhibere. Ideoque diſcretioni veſtræ per Apoſtolica ſcripta mandamus, quatenus, ſi eſt ita, dictos magiſtrum & fratres ac alios, ut eidem epiſcopo obediant, ut tenentur, monitione præmiſſa, per cenſuram Eccleſiaſticam, appellatione remota, prævia ratione cogatis. Quod ſi non omnes his exequendis potueritis intereſſe, duo veſtrûm ea nihilominus exequentur. Datum Aſſiſii XII. Calend. Octob. Pontificatus noſtri anno IX.

XXII.

DE EODEM.

G. Archidiaconus, G. Theſaurarius, & Magiſter Officialis Laudunenſis, à Domino Papa Judice delegati, omnibus præſentes literas inſpecturis, ſalutem in Domino. Notum facio quod cùm quæſtio verteretur coram nobis autoritate Apoſtolica inter venerabilem patrem P. Dei gratia Meld. Epiſcopum ex una parte, & *Adam* qui habebatur pro magiſtro domus Leproſorum Meld. & fratres domus ejuſdem ex altera, ſuper eo quod dicebat idem Epiſcopus, quod debebat ponere &

perficere Magiſtrum in eadem domo, & erat in poſſeſſione ponendi magiſtrum ibidem: tandem de dicta querela inter partes compoſitum eſt in hunc modum, quod dicti fratres eligent unum Magiſtrum de domo eadem qui amminiſtrabit negotia dictæ domus, & ipſum Epiſcopo præſentabunt. Qui ſi idoneus videatur Epiſcopo, approbabitur ab eodem; ſi verò ab initio ſcilicet in ipſius præſentatione non videatur idoneus eidem Epiſcopo, ipſum abſque contradictione & litigio poterit reprobare: ſi verò poſtquam ab initio approbatus fuerit ab Epiſcopo, poſtea minus idoneus apparuerit eidem Epiſcopo, ipſum poterit amovere; ratione tamen prævia efficaci arbitrio ejuſdem Epiſcopi relinquenda. Dictus verò Epiſcopus ſecularem vel regularem perſonam pro voluntate ſua dictæ domui præficiet in Magiſtrum. Cui magiſtro facto ab Epiſcopo prædicti Magiſter & fratres obedient, & ejuſdem conſilio & mandato regentur, & coram eodem Magiſtro de expenſis dictæ domus, & de his quæ ad domum pertinent computabunt, quando idem Magiſter ab Epiſcopo factus viderit expedire. Nos verò prædictam compoſitionem inter dictas partes factam ratam & gratam habentes, ipſam autoritate Apoſtolica nobis commiſſa ad petitionem dictarum partium confirmamus. In cujus rei teſtimonium præſentes literas ſigillorum noſtrorum munimine fecimus roborari. Actum anno Domini M CC. XXXVI. menſe Octobri.

XXIII.

SENTENTIA PRO JURIBUS EPISCOPALIBUS LATA ADVERSUS ABBATISSAM, ET CONVENTUM MONASTERII FARE-MONASTERII ORDINIS SANCTI BENEDICTI, AC CLERUM ET POPULUM LOCI EJUSDEM MELDENSIS DIOECESIS.

Ex Chartulario Eccleſiæ Meldenſis.

UNiverſis præſentes literas inſpecturis, *Guillelmus* miſeratione divina ſancti *Euſtachii* Diaconus Cardinalis, ſalutem in Domino. Noverit univerſitas veſtra, quòd ſuborta

olim quæſtione inter venerabilem Patrem Epiſcopum Meldenſem ex una parte, & religioſas mulieres Abbatiſſam & conventum Monaſterii *Fare-Monaſterii* ordinis ſancti *Benedicti*, ac Clerum & Populum loci ejuſdem Meldenſis diœceſis ex altera, ſuper eo quòd eidem Epiſcopo tanquam Diœceſano denegabant de juribus Epiſcopalibus reſpondere: tandem *Ioannes Prædicamens* Clericus procurator memorati Epiſcopi, contra Magiſtrum *Ioannem* de *Torciaco* Clericum Procuratorem Abbatiſſæ & conventus, Cleri, & Populi prædictorum, coram venerabili patre Domino *Hugone* titulo ſanctæ Sabinæ Preſbytero Cardinali, à Domino Papa partibus auditore conceſſo, libellos obtulit ſub hac forma: Proponit *Ioannes Prædicamens* Clericus Procurator Epiſcopi Meldenſis nomine ipſius Epiſcopi contra Procuratorem Abbatiſſæ & conventus *Fare-Monaſterii* nomine ipſarum, quòd dictum monaſterium ſitum eſt in dioceſi Meldenſi, & Abbatiſſa & Conventus prædictus denegant eidem Epiſcopo obedire & intendere in juribus Epiſcopalibus, prout debent. Quare petit prædictus Procurator nomine ipſius Epiſcopi jura Epiſcopalia adjudicari ipſi Epiſcopo in prædicto Monaſterio, & in Abbatiſſa & conventu prædictis, ac procuratorem ipſarum & ipſas compelli, & ſententialiter condemnari, quod de cetero eidem Epiſcopo obediant & intendant in omnibus juribus Epiſcopalibus, ſicut Epiſcopo & Dioceſano, ſuo ſalvo jure addendi, & cetera. Item proponit *Ioannes Prædicamens* Clericus Procurator Epiſcopi Meldenſis nomine ipſius Epiſcopi contra procuratorem Cleri *Fare-Monaſterii* nomine ipſius Cleri, quòd dictus Clerus Epiſcopi, Clerici & ipſa villa ſunt in Meldenſi diœceſi conſtituti, & eidem Epiſcopo in juribus Epiſcopalibus in his, quæ ad juriſdictionem Epiſcopalem pertinent vel ſpectant, denegant obedire & intendere, prout debent. Quare petit prædictus procurator nomine ipſius Epiſcopi, dictum procuratorem nomine dicti Cleri, & ipſum Clerum compelli & ſententialiter condemnari, quòd de cetero eidem Epiſcopo obediant, & intendant in omnibus juribus Epiſcopalibus, & in his quæ ad juriſdictionem Epiſcopalem pertinent in ſpiritualibus, & temporalibus; prout intendere debent & obedire Epiſcopo & Diœceſano ſuo, ſalvo jure ad-

dendi, & cetera. Item proponit *Ioannes Prædicamens* Clericus Procurator nomine ipſius Epiſcopi, ipſum Procuratorem vel ſyndicum nomine dicti Populi, & ipſum Populum compelli, & ſententialiter condemnari, quòd de cetero eidem Epiſcopo obediant & intendant in ſpiritualibus, & in his quæ ad juriſdictionem Epiſcopalem pertinent vel ſpectant: prout debent intendere & obedire Epiſcopo, & Dioceſano ſuo, ſalvo jure addendi, & cetera. Lite igitur ſuper præmiſſis libellis per prænominatos procuratores coram eodem Cardinali legitime conteſtata, præſtito ab eiſdem juramento de veritate dicenda, poſitionibus & reſponſionibus hinc inde factis, datis articulis, & quibuſdam teſtibus ſuper eiſdem receptis, negotium ipſum fuit poſtmodum venerabili patri P. Epiſcopo Albanenſi à Domino Papa audiendum commiſſum, de mandato cujus aliis nihilominus teſtibus receptis, & coram eodem atteſtationibus publicatis, rubricis & à partibus factis, nos Dominus Papa in ipſius cauſæ audientia ſubrogavit. Rubricis verò examinatis prædictis, dum jam eſſet in negotio concludendum, memorata Abbatiſſa diem clauſit extremum: ita quòd oportuit nos ſuperſedere negotio memorato. Tandem cùm eſſet prædicto Monaſterio de alia Abbatiſſa proviſum, Abbatiſſa ipſa, & conventus, Clerus, & Populus prædicti, ac magiſter *Ioannes* de *Tortiaco* qui litem fuerat conteſtatus, ad procedendum in eodem negotio legitime citati fuerunt; cumque poſt longum tempus comparuerit magiſter *Henricus* Clericus conſtitutus procurator ab Abbatiſſa & conventu *Fare-Monaſterii* tantum, non à magiſtro *Ioanne* de *Torciaco* qui hanc litem fuerat conteſtatus, nemine tunc vel poſt prædictis Clero & Populo comparente, licet idem magiſter *Ioannes* requiſitus pluries per ſe, vel per alium, negotium prædictum perſequi recuſaſſet, idem Magiſter *Henricus* coram nobis exempla quorumdam privilegiorum ut dicebat exhibuit. Nos verò, his quæ dictus Magiſter *Henricus* dicebat exemplis privilegiorum diligenter inſpectis, auditis etiam quæ partes coram nobis proponere voluerunt, ac ſuper his omnibus facta relatione Domino Papæ & fratribus ſuis, fideliter de ejuſdem Domini Papæ mandato habito eorumdem fratrum conſilio, adjudicamus præfato *Ioanni Prædica-*

Digitized by Google

mens Procuratori memorati Epiſcopi nomine ipſius Epiſcopi, ac ipſi Epiſcopo jura Epiſcopalia in prædicto monaſterio *Fare Monaſterii*, & in Clero, & Populo loci ejuſdem: & prædictum magiſtrum *Ioannem* de *Torciaco* qui litem fuerat conteſtatus, ac Magiſtrum *Henricum* Clericum qui poſtmodum à jam dictis Abbatiſſa & conventu procurator fuit conſtitutus nomine ipſarum, necnon Abbatiſſam & conventum, prædictum etiam magiſtrum *Ioannem* de *Torciaco* nomine Cleri, & Populi, ac ipſos Clerum & Populum abſentes per contumaciam, ipſorum abſentiam Dei replente præſentia, ſententialiter condemnamus, ut memorato Epiſcopo tanquam Diœceſano ſuo in omnibus juribus Epiſcopalibus de cetero obediant & intendant. Ex proviſione autem prędicti Domini Papæ, & fratrum ſuorum conſilio dicimus & ordinamus, quòd ſi quis ſacerdos, vel quivis alius Clericus, ſeu Laicus *Fare-Monaſterii* per præfatum Epiſcopum vel ejus Officialem fuerit puniendus, ſi pœna pecuniaria imponi debeat, quam alias Epiſcopus, vel ejus Officialis, ſeu vicarius debent habere, illi ſecundum uſum & conſuetudinem proprie imponatur, & tota obveniat Monaſterio antedicto. Item ſi Clericus vel Laicus *Fare-Monaſterii*, vel alterius cujuſque loci contra Preſbyterum, Clericum, vel Clericos *Fare-Monaſterii* quæſtionem movere intendat; licitum ſit ei qui litem movere intendit coram Abbatiſſa *Fare-Monaſterii*, vel coram dicto Epiſcopo Dioceſano loci ejuſdem, ſive coram Officiali, ſeu Vicario ejuſdem Epiſcopi proponere quæſtionem. Et ſi is qui agit coram dicta Abbatiſſa, non coram dicto Epiſcopo, vel Officiali, ſeu vicario ipſius Epiſcopi, eligat litigare; memorata Abbatiſſa cognitionem habeat inter prædictas perſonas, non de cauſis criminalibus, ſed de his cauſis civilibus tantum, de quibus judex ſecularis inter Laicos ſibi ſubditos jus dicere poſſet: ita tamen, quòd liceat cuilibet partium in cauſa coram eadem Abbatiſſa mota ad jam dictum Diœceſanum, vel Officialem, ſeu Vicarium ejuſdem Dioceſani tanquam ad ſuperiorem legitimam interponere appellationem. In hujus autem rei memoriam & perpetuam firmitatem, præſentem ſententiam per manum magiſtri *Marci* Clerici noſtri ſcribi fecimus, & Sigilli noſtri appenſione muniri. Lata verò eſt hæc ſententia Peruſii in hoſpitio

noſtro præſentibus viris venerabilibus Domino *Guiffredo* Patracenſi, & Magiſtro *Ioanne* Paduano, electis Magiſtris *Roberto* de *Angentio*, & *Angelo* de *Vrbe*, Advocatis curiæ Romanæ Magiſtro *Theobaldo* de *Monte* Canonico Sueſſionenſi, & Magiſtro *Ioanne* de *Molins* Clerico, ac aliis pluribus, IV. Calend. Novemb. anno Domini M. CC LII. Pontificatus Domini *Innocentii* Papæ IV. anno X. Indictione XI.

XXIV.

EPISTOLÆ INNOCENTII IV.

PRO EADEM SENTENTIA CONFIRMANDA.

INnocentius Epiſcopus ſervus ſervorum Dei, venerabili fratri Epiſcopo Meldenſi, Salutem, & Apoſtolicam benedictionem. Ea quæ judicio vel concordia terminantur, firma debent & illibata perſiſtere; & ne in recidivæ contentionis ſcrupulum relabantur, Apoſtolico convenit præſidio communiri. Cùm igitur in cauſa quæ vertebatur inter te ex una parte, & Abbatiſſam & conventum Monaſterii *Fare-Monaſterii* ordinis ſancti *Benedicti*, ac Clerum, & Populum ejuſdem loci tuæ Dioceſeos ex altera, ſuper eo quod ipſi tibi tanquam Dioceſano denegabant de juribus Epiſcopalibus reſpondere, primo dilectum filium noſtrum fratrem *Hugonem* titulo ſanctæ *Sabinæ* Preſbyterum Cardinalem, ac tandem lite coram eo ſuper his legitime conteſtata, præſtitoque à Procuratoribus partium juramento de veritate dicenda, & poſitionibus & reſponſionibus factis ad eas, & quibuſdam teſtibus ſuper eiſdem receptis, venerabilem fratrem noſtrum Epiſcopum Albinenſem, & demum dilectum filium noſtrum G. ſancti *Euſtathii* Diaconum Cardinalem conceſſerimus auditores: idem G. Cardinalis cognitis cauſæ meritis, & juris ordine obſervato, definitivam pro te ſententiam promulgavit; prout in literis inde confectis plenius continetur, quam Apoſtolico petiiſti munimine confirmari. Nos itaque tuis ſupplicationibus inclinati ſententiam ipſam provide latam, non obſtante appellatione ab ipſa ſententia ad nos à parte altera in-

terpoſita, quam reputamus frivolam, autoritate Apoſtolica confirmamus, & præſentis ſcripti patrocinio communimus, tenorem literarum ipſarum præſentibus de verbo ad verbum inſeri facientes qui talis eſt: Univerſis &c. *ut ſuprà.* Nulli ergo omnino hominum liceat hanc paginam noſtræ confirmationis infringere, vel ei auſu temerario contraïre. Si quis autem hoc attentare præſumpſerit, indignationem omnipotentis Dei & beatorum Petri & Pauli Apoſtolorum ejus ſe noverit incurſurum. Datum Peruſii III. Calend. Decemb. Pontificatus noſtri anno x.

DE EADEM SENTENTIA.

INnocentius epiſcopus ſervus ſervorum Dei, venerabili fratri Epiſcopo Meldenſi, ſalutem & Apoſtolicam benedictionem. Cùm in cauſa quæ inter te ex parte una, & Abbatiſſam, & conventum Monaſterii *Fare - Monaſterii* ordinis ſancti *Benedicti* & Clerum, & Populum ejuſdem loci tuæ Dioceſos ex altera, ſuper eo quod ipſi tibi tanquam Dioceſano ſuo denegabant reſpondere de juribus Epiſcopalibus vertebatur: primo dilectum filium titulo ſanctæ Sabinæ Presbyterum, & poſtmodum venerabilem fratrem epiſcopum Albinenſem, ac demùm filium noſtrum *Guillelmum* ſancti *Euſtathii* Diaconum Cardinalem dederimus partibus auditores: idem G. Cardinalis cognitis cauſæ meritis, & juris ordine obſervato, de ſpeciali mandato noſtro & fratrum noſtrorum conſilio, definitivam pro te ſententiam promulgavit, ac ordinavit ex proviſione noſtra, & fratrum ipſorum conſilio, ut ſi quis ſacerdos vel quivis alius Clericus, ſeu Laicus *Fare-Monaſterii* per te, vel Officialem, aut Vicarium tuum fuerit puniendus, ſi pœna pecuniaria eidem imponi debeat, quam alias tu, vel Officialis, ſive Vicarius tuus deberet habere, illi ſecundùm uſum & conſuetudinem patriæ imponatur, & tota obveniat Monaſterio memorato. Ad hæc licitum ſit Clerico, vel Laico *Fare-Monaſterii*, vel alterius cujuſcumque loci ejuſdem Dioceſis qui contra Presbyterum, Clericum, vel Clericos *Fare Monaſterii* quæſtionem movere intendit, coram Abbatiſſa dicti Monaſterii, vel coram te, aut Officia-

li ſeu Vicario tuo eandem proponere quæſtionem. Et ſi is qui agit, non coram te, ſeu Officiali, vel Vicario tuo eadem Abbatiſſa elegit litigare; Abbatiſſa prædicta cognitionem habeat, non de cauſis criminalibus, ſed de his civilibus cauſis tantum, de quibus judex ſecularis poſſet inter Laicos ſibi ſubditos judicare: ita tamen quod licitum ſit cuilibet partium in cauſa mota coram Abbatiſſa præfata ad te, vel Officialem, aut Vicarium tuum tanquam ad ſuperiorem legitime appellare, prout in literis inde confectis, munitis ſigillo dicti G. Cardinalis, & confirmationis veſtræ munimine plenius continetur. Verum quia dubitas quod eadem Abbatiſſa & Conventus non velint ſententiam hujuſmodi, obſervare fraternitati tuæ de ipſorum fratrum conſilio præſentium autoritate concedimus, ut ſi jam dictas Abbatiſſam & Conventum contra ipſam ſententiam aliquo tempore litigare, ac eas ad litigandum admitti contigerit, ipſæ dictæ proviſionis commodo careant: & in nullo eis ſuffragetur proviſio memorata. Nulli ergo omnino hominum liceat hanc paginam noſtræ conceſſionis infringere, vel ei auſu temerario contraïre. Si quis autem hoc attentare præſumpſerit indignationem omnipotentis Dei & beatorum Apoſtolorum ejus ſe noverit incurſurum. Datum Peruſii XIII. Calend. April. Pontificatus noſtri anno X.

DE EADEM SENTENTIA.

INnocentius Epiſcopus ſervus ſervorum Dei, venerabili fratri Epiſcopo Meldenſi, ſalutem & Apoſtolicam benedictionem. Cum cauſam quæ dudum inter te ex parte una, & dilectas in Chriſto filias Abbatiſſam & Conventum *Fare-Monaſterii* ordinis ſancti *Benedicti*, necnon & Clerum & Populum loci ejuſdem tuæ Dioceſeos ex altera vertebatur, ſuper eo quod tibi nolebant tanquam Dioceſano de juribus Epiſcopalibus reſpondere, dilecto filio noſtro G. ſancti Euſtathii Diacono Cardinali duxerimus committendam: idem Cardinalis auditis & intellectis diligenter quæ fuerunt hinc inde propoſita coram ipſo, eiſque nobis & fratribus noſtris fideliter recitatis, Abbatiſſam, & Conventum, & Clerum, & Populum ſupradictos,

ſupradictos, qui tibi de cetero tanquam Diœceſano ſuo obediant & intendant, cognitis ejuſdem cauſæ meritis, & juris ordine obſervato, de ſpeciali mandato noſtro & fratrum noſtrorum conſilio ſententialiter condemnavit; prout in literis ejus inde confectis noſtra confirmatione munitis diciturplenius contineri. Nos igitur tuis devotis ſupplicationibus inclinati, ut omnia jura Epiſcopalia tibi per Cardinalem adjudicata prædictum in Abbatiſſam, Conventum, ac Clerum, & Populum præfatos, tam autoritate noſtra quàm tua exercere libere valeas, autoritate præſentium tibi concedimus facultatem: contradictores autem per cenſuram Eccleſiaſticam appellatione remota compeſcas, non obſtante ſi aliquibus à Sede Apoſtolica ſit indultum, quòd interdici, ſuſpendi, vel excommunicari non poſſint per literas Apoſtolicas, niſi expreſſam fecerint de indulto hujuſmodi mentionem. Datum Aſſiſii XII. Calend. Julii. Pontificatus noſtri anno X.

XXV.

SENTENTIA LATA DE ELECTIONE MAGISTRI DOMUS S. LAZARI PROPE PARISIUS, QUÆ AD EPISCOPUM PERTINET SICUT ET CONFIRMATIO.

Ex Chartulis Eccleſiæ Pariſienſis.

ANno Domini M. CC. LXX. die Dominica ante feſtum Inventionis Sanctæ Crucis deceſſit Dominus *Stephanus* Canonicus ſancti *Clodoaldi* Magiſter Leproſariæ ſancti *Lazari* Pariſienſis, Die lunæ in craſtino acceſſit ad dictam domum Dominus *Stephanus* Epiſcopus; qui poſt recommendationem animæ ipſius defuncti, vocatis omnibus & ſororibus dictæ domus tam ſanis quàm Leproſis in curia dicti loci, dedit eis in magiſtrum & Proviſorem dictæ domus Dominum *Sanſonem* magiſtrum filiarum dicti Pariſienſis. Murmurantibus autem aliquantulum ibidem propter hoc prædictis fratribus, accidit poſt paucos dies, quòd ipſi ſupplicaverunt Domino *Stephano* Epiſcopo prædicto, ut fratrem *Robertum* de *Villeta S. Lazari* fratrem dictæ domus, quem, ut aſſerebat, nomi-

n verunt inter ipſos autoritate imò temeritate propria magiſtrum ſuum, idem Dominus Epiſcopus confirmaret in Magiſtrum ſeu Priorem eorumdem: & quòd tam de jure communi quàm de conſuetudine obſervata ad ipſum Dominum Epiſcopum Pariſienſem pertinebat ordinatio & proviſio Magiſtri inſtituendi in dicta domo S. *Lazari*, prout prædeceſſor ſuus bonæ memoriæ, & quondam Epiſcopus Pariſienſis uſus fuerat, ſicut evidenter apparebat per literas ſuas patentes, in quibus continebatur quòd ipſe inſtituerat Magiſtrum in eadem domo prædictum Dominum *Stephanum* Magiſtrum eorum nuper defunctum, Dominus *Stephanus* Epiſcopus ſupplicationem eorum non admiſit; & quia etiam non potuerunt docere quòd ad ipſos de jure vel de conſuetudine pertineret electio ſeu ordinatio Magiſtri. Poſtmodum verò habuerunt recurſum ad Magiſtros Curiæ Regis Franciæ, ipſo Domino Rege *Ludovico* tunc eunte ad partes tranſmarinas, fingentes quòd dicta domus eorum eſſet in cuſtodia & protectione Regia. Unde accidit, quod quadam die Sabbati videlicet ante feſtum S. *Vrbani* Dominus *Matthæus* Abbas ſancti *Dionyſii* in Francia qui gerebat tunc viros ipſius Domini Regis venit apud ſanctum *Clodoaldum*, & in præſentia ſua præſentibus Domino Epiſcopo Pariſienſi prædicto Magiſtro *Guillano* de *Nova Villa* Clerico, & conſiliario ipſius Domini Regis, Magiſtro *Roberto* de *Bertencourt* Officiali Pariſienſi, Magiſtro *Guillelmo* de *Caro loco* ...... Canonico Pariſienſi, ac multis aliis Preſbyteris & diſcretis viris, dicti fratres dictæ domus *Galterus* & *Hugo* præſente prædicto *Roberto* de *Villeta* ſancti *Lazari* innovarunt ſupplicationem prædictam: petentes per quaſdam literas ſigillatas, ut dicebant, ſigillo domus prædictæ, quod Dominus Epiſcopus admitteret nominationem, ſeu electionem quæ facta fuerat de prędicto Roberto; & quod confirmaret eamdem. Demum quia prædictum ſigillum nullam fidem faciebat, & quia inauditum erat in partibus iſtis, quod Leproſi haberent electionem, ſeu eligerent autoritate propria Magiſtros in domibus ſuis. Item cum non docerent quod de jure vel conſuetudine habuiſſent unquam electionem Magiſtri è domo ſua. Item quia domus Leproſorum & domus pauperum Dei omnes ſunt in protectione & cuſtodia Epiſcopi,

& curam animarum gerit tam in ſpiritualibus quàm in temporalibus; prænominati fratres S. Lazari Pariſienſis multum fuerunt reprehenſi tam ab Abbate, quàm ab illis qui erant in illo conſilio in petitione quam faciebant. Unde mandatum fuit & præſcriptum propter hoc Prępoſito Pariſienſi ex parte Magiſtrorum Curiæ Regis, & de fratribus & de domo S. *Lazari* Pariſienſis prędictis, quòd ſe non intromitteret ſuper hoc contra Epiſcopum Pariſienſem occaſione prædicta: ſed faceret Epiſcopus ſuper ordinatione & proviſione dictæ domus quod crederet expedire. Tandem verò ſupradicti fratres & dictus *Robertus* ex parte ſua, & omnium aliorum fratrum dictæ domus, quia perſona dicti *Sanſonis* quam Dominus Epiſcopus dederat eis in Magiſtrum, non erat eis ſatis grata, ſed aliquantulùm odioſa, ſupplicaverunt quòd idem Dominus Epiſcopus daret eis alium Magiſtrum ad voluntatem ſuam. Dominus autem Epiſcopus pacem cordium dictorum fratrum ſervare cupiens, utendo jure ſuo & Eccleſiæ Pariſienſis, mutavit eis Magiſtrum, & dedit eis in Magiſtrum Dominum *Simonem* Preſbyterum ſanctæ *Trinitatis* de *Caſtro forti* quem cum gratiarum actione receperunt, & obediverunt ei unanimiter tam in ſpiritualibus quàm in temporalibus pacifice & quiete. Qui intravit anno Domini M. CC. LXX. in craſtino Nativitatis beati Joannis Baptiſtæ.

XXVI.

SENTENTIA EXCOMMUNICATIONIS AB EPISCOPO MELDENSI LATA IN MINISTRUM MAGNÆ DOMUS DEI MELDENSIS, ET SORORES QUÆ VISITATIONEM EPISCOPI RECUSABANT,

Quam demum juramento prius præſtituto receperunt.

Ex Chartulario Eccleſiæ Meldenſis.

IN nomine Domini, Amen. Pateat univerſis per præſens publicum inſtrumentum, quod anno Domini M. CC. XCI. indictione V. Pontificatus Domini *Nicolai* Papæ IV. anno IV.

octava die menſis Octobris exeuntis, videlicet die Mercurii ante feſtum beatorum *Simonis* & *Iudæ* Apoſtolorum, ante horam primam dictæ diei, reverendus pater ac Dominus Dominus *Adam* miſeratione divina Meldenſis epiſcopus, in pręſentia mei *Ioannis* infra ſcripti publici Notarii & teſtium ſubſcriptorum ad hoc ſpecialiter vocatorum & rogatorum ad magnam domum Dei Meldenſis cauſa viſitationis perſonaliter accedens, & eandem domum Dei in Eccleſia in qua celebrabatur miſſa intrans, inprimis miſſa prius celebrata, vocavit fratrem *Henricum* miniſtrum dictæ domus. Qui miniſter coram eodem Domino Epiſcopo veniens, monuit dictus Dominus Epiſcopus eumdem miniſtrum in virtute obedientiæ qua ſibi tenebatur aſtrictus, & ſub pœna ſuſpenſionis & excommunicationis, ut eumdem Dominum Epiſcopum, ut tenebatur, ad viſitandum in eadem domo reciperet, ut decebat; fratreſque & ſorores dictæ domus ad hoc convocaret, & venire faceret, in locum aliquem dictæ domus ad hoc aptum. Qui miniſter reſpondit, quòd de hoc faceret quicquid deberet, & poſſet quantùm in ſe erat. Quo facto idem miniſter propter præmiſſa à dicto Domino Epiſcopo per aliquantulum temporis recedens, ſatis cito ſolus ad eumdem Dominum Epiſcopum redux fuit. Quæ videns idem Dominus Epiſcopus vocari fecit & moneri ſufficienter per Officialem ſuum Meldenſem fratres dictæ domus, videlicet *Guillelmum*, *Erardum*, *Petrum*, & *Guillelmum Normannum*, ut coram eodem Domino Epiſcopo in refectorio dictæ domus perſonaliter propter hoc comparerent: monuit eoſdem præfatus Epiſcopus ſub pœna prędictæ; ut eidem reſponderent de ſtatu dictæ domus, ſuſtentatione pauperum, & pręcipue de ſpiritualitate ejuſdem loci, ac aliis in dicta domo reformandis; cui reſpondit primò dictus miniſter, quod paratus erat obedire Regi, Epiſcopo & alii cuicunque obedire teneretur. Pręfatæ verò ſorores reſponderunt, quod ipſæ erant de obedientia majoris miniſtri ſui ordinis, & miniſter domus ejuſdem; & ob hoc dicebant, quod dicto Domino Epiſcopo reſpondere verebantur. Dicti verò fratres, excepto dicto fratre *Erardo*, licet ter moniti ab Officiali prędicto, monitionibus ejuſdem tunc cum monebantur parere contempſerunt; & his actis prędictus Dominus Epiſ-

Digitized by Google

copus pluries monuit præfatum miniſtrum, & ſorores præſentes coram eodem, ac demum eos monuit in hac forma: *Nos Adam* Dei gratia Meldenſis Epiſcopus, cauſa viſitationis ad domum Dei Meldenſis, prout ex officii noſtri debito tenemur, accedentes in virtute obedientiæ primo, ſecundo, & tertio monemus vos miniſtrum & ſorores dictæ domus *Agnetem* de *Jeetro*, *Iſabellum* de *Meldis*, *Alidum* de *Paris*, & *Alidum* de *Marceilliaco* ſufficienter de adventu noſtro, octo diebus jam elapſis, ut nos prout nobis incumbit ad viſitandum in dicta domo & ad exercendum ibidem viſitationis officium prout decreverit & faciendum fuerit, libere admittatis. Quod ni feceritis, ſeu ſi facere contradixeritis, ſeu plus debito diſtuleritis, vos in his ſcriptis & quibuſlibet veſtrûm ſuſpendimus: & ſi in hoc veſtro obſtinato propoſito perſeveraveritis ulterius, ſeu ſi nos ad prǫmiſſa ut decuerit non admiſeritis, ſeu ulterius diſtuleritis, in vos & veſtrûm quemlibet, in quoſlibet alios contradictores & rebelles excommunicationis ſententias promulgamus. Qua monitione facta dicti miniſter, & ſorores, & dictus frater *Erardus*, in eodem refectorio, deliberato conſilio inter ipſos, monitioni dicti Domini Epiſcopi unanimiter paruerunt; & eumdem Dominum Epiſcopum ad viſitandum in eadem domo pacifice & ſine contradictione aliqua receperunt; & tactis ſacroſanctis Evangeliis, prius juramento ab eiſdem prǫſtito, eidem de ſtatu dicto domus tam de ſpiritualibus quàm de temporalibus, de vita, converſatione, ſtatu & ſuſtentatione pauperum, ſecundùm quod eoſdem interrogare voluit, reſponderunt. Quo facto dictus Dominus Epiſcopus dormitorium dictarum ſororum de earum voluntate & aſſenſu in perſona propria viſitavit: deinde eodem Domino epiſcopo de dicto dormitorio revertente viſitavit pauperes infirmos jacentes in eadem domo, & tranſiens per domum ubi jacebant pauperes prǫdicti, aſcendit in dormitorium fratrum dictæ domus & cameram miniſtri ejuſdem loci, viſitando ut decuit cameram & dormitorium. Quo facto dicto Domino Epiſcopo de dictis dormitorio & camera recedente, & deſcendente, & ſedente in clauſtro domus ejuſdem, prædicti fratres domus prǫdictæ, deliberatione poſthabita inter ipſos de conſilio & præcepto miniſtri dictæ domus, dictum

Dominum Epiſcopum juxta monitionem & mandatum receperunt, ipſiuſque Domini Epiſcopi correctionibus, injunctionibus & præceptis pacificè, unanimiterque paruerunt, & hęc & alia ad viſitandum pertinentia prout ſuo incumbebat officio in eadem domo complevit, & fecit Dominus Epiſcopus antedictus, & de his hominibus præcepit mihi notario infra ſcripto publicum inſtrumentum. Actum Meldis in domo Dei prædicta præſentibus venerabilibus viris & diſcretis Magiſtro *Bernardo* de *Chatalano*, Domino *Stephano* de ſancta *Celinia*, Magiſtris *Petro* de *Meſſa*, *Ioanne* de *Pruvino* dicto de *Caſtro*, Domino *Ioanne* de *Bannoto* Canonicis Meldenſ. Magiſtro *Girardo* Pagi Canonico S. *Vrſini* Bituricenſis, Dominis *Radulpho* de *Varedis*, Joanne de *Croiaco*, *Theobaldo*, de *Triabardouli* Eccleſiarum Rectoribus, *Arnulpho* Capellano Capellaniæ domus Epiſcopalis Meldenſis, *Ioanne* de *Gintayo*, *Ioanne* de *Tilloy*, *Ioanne Boulain*, *Mathioto* de *Gambes Mareſcallo*, *Adam* de ſancto *Mederiaco*, *Ioanne Braquin*, *Ioanne Petit*, & pluribus aliis teſtibus Clericis & Laïcis ad hoc vocatis ſpecialiter, & rogatis anno, Indict. Pontificatus & die & menſe prædictis. Et ego *Ioannes Saumelli* Clericus Meldis commorans Apoſtolica autoritate Notarius publicus præmiſſis unà cum teſtibus ſupraſcriptis præſens interſui, & præmiſſa de mandato dicti Domini Epiſcopi manu propria fideliter ſcripſi, & in publicam formam redegi, & rogatus meum ſignum appoſui conſuetum, ne præmiſſorum memoria deperiret.

XXVII.

JURISDICTIO EPISCOPI MELDENSIS IN ARCHIDIACONOS PHILIPPI SENONENSIS ARCHIEPISCOPI AUCTORITATE METROPOLITANA COMPROBATA: LITERISQUE PHILIPPI ET JOANNIS REGUM FRANCORUM CONFIRMATA.

Ex regeſto cameræ Computorum, in quo continentur literæ Joannis Regis Francorum per annos 1351. 1352. 1353.

JOannes Dei gratia Francorum Rex, notum facimus univerſis tam præſentibus quàm futuris, nos inclitæ recordationis

chariſſimi Domini, & genitoris noſtri vidiſſe literas, formam quæ ſequitur continentes.

Philippe par la grace de Dieu Roy de France ſavoir faiſons à tous preſens & avenir, Nous avoir veu les lettres cy-deſſous tranſcriptes, contenantes la fourme qui s'enſuit.

Univerſis præſentes literas inſpecturis, *Ioannes* Dei gratia Meldenſis Epiſcopus, & *Hugo* de *Nealpha* Archidiaconus Briæ in ecclesia Meldenſi, ſalutem in Domino ſempiternam. Cùm inter nos Epiſcopum prædictum ratione noſtri Epiſcopatus Meldenſis ex una parte, & nos Archidiaconum prædictum ex altera, diſcordia eſſet mota ſuper juriſdictione Eccleſiaſtica, quam nos Archidiaconus prædictus nomine dicti Archidiaconatus Briæ dicebamus nobis in dicto Archidiaconatu competere, in caſu preventionis, quando nos Archidiaconus aut gẽtes noſtræ pro nobis præveniebamus dictum Dominum Reverendum Meldenſem Epiſcopum, & ejus gentes in caſibus in dicto Archidiaconatu Briæ evenientibus, ſeu ſe offerentibus, quibuſdam tantùm caſibus, perſonis, & locis exceptis dicto Domino epiſcopo reſervatis, nobis epiſcopo prædicto nomine quo ſupra contrarium aſſerentibus: tandem habita ſuper hoc deliberatione pluries cum peritis, affectantes pacem & tranquillitatem; attendentes etiam inter cetera, quòd propter diverſitates curiarum & juriſdictionum noſtrarum, bonum juſtitiæ in parte noſtræ Diœceſis Meldenſis tangente Archidiaconum prædictum, ſicut magiſtra rerum experientia edocet, multipliciter perturbatur, necnon evidentem utilitatem noſtræ Meldenſis ecclesiæ totiuſque epiſcopatus, & Archidiaconatus prædictorum, inter nos Epiſcopum & Archidiaconum pro nobis & ſucceſſoribus noſtris, nominibus quibus ſupra, pro bono pacis, tranquillitatis, & concordiæ ordinationem in perpetuum valituram: fecimus, facimus, concordavimus, & concordamus de conſenſu expreſſo Capituli Meldenſis in modum, qui ſequitur ſecundam formam, videlicet quod nos Archidiaconus, & noſtri ſucceſſores Archidiaconi Briæ aliqua præventione in juriſdictione & caſibus nobis competentibus perpetuo non utemur; & juriſdictionem, quæ nobis competit, & noſtris ſucceſſoribus competere poteſt, quoquòmodo transferimus &

transſundimus in dictum Dominum reverendum Meldenſem Epiſcopum, & ſucceſſores ſuos Meldenſes Epiſcopos; adeoque ut curia dicti Archidiaconi Briæ cum omni juriſdictione, exercitio, & emolumento ad Archidiaconum Briæ jure ſuo Archidiaconali ratione dictę curię juriſdictionis & exercitii prędictorum quocumque modo ſpectantibus uniatur, & ſit unita de cetero & ex nunc Curiæ Epiſcopali Meldenſi, & in eam curiam Epiſcopalem Meldenſem transfundatur: ita quod ſola Epiſcopalis Meldenſis curia remaneat, Archidiaconali ut dictum eſt penitus ſublata, abſque eo quod nos Archidiaconus prædictus aut noſtori ſucceſſores in dicto Archidiaconatu poſſimus dictum Dominum reverendum Meldenſem Epiſcopum & ejus ſucceſſores Epiſcopos aliquo modo impedire, quin & ipſi reverendi ſoli & in ſolidum utantur plenarie totali juriſdictione Eccleſiaſtica in toto Archidiaconatu Briæ prædicto, ſalvo, retento, & reſervato ſolummodo nobis Archidiaconis & noſtris ſucceſſoribus Briæ, quòd nos Archidiac. poſſimus, & noſtri Archidiaconi poſſint viſitare & procurare, ut conſuevimus, & noſtri prædeceſſores conſueverunt, & prout eſt ab antiquo conſuetum, & jura volunt: & quòd nos poſſimus, & noſtri ſucceſſores Archidiaconi Briæ poſſint perſonas Eccleſiaſticas & ſeculares ante præſentem compoſitionem ſeu ordinationem nobis Archidiacono ſubjectas per cenſuram Eccleſiaſticam compellere, ad obediendum nobis & ſucceſſoribus noſtris Archidiaconis in dictis viſitationibus, & procurationibus debitis, & ratione viſitationum & procurationum prædictarum; prout ab antiquo eſt conſuetum, & jura volunt; nec non & matricularios Eccleſiarum Archidiacono Briæ ſubjectorum, & illos qui de dictis matriculariis ſe intromiſerunt compellere per cenſuram Eccleſiaſticam, ad reddendum compotum & rationem dictarum matriculariarum, prout & ſecundum quod Archidiaconi Briæ hactenus facere conſueverunt, & jura volunt; necnon & debitores qui dicto Archidiaconatui Briæ tenentur & tenebuntur compellere ad ſolvendum nobis Archidiacono, & noſtris ſucceſſoribus Archidiaconis qui pro tempore fuerint, redditus & jura qui & quæ quolibet anno dicto Archidiaconatui ratione dicti Archidiaconatus à quibuſcumque perſonis ante præſentem compoſitionem

nem nobis Archidiacono ſubjectis debentur, & debebuntur, prout & ſecundùm quod hactenus extitit obſervatum. Reſervatum etiam nobis Archidiacono, & ſucceſſoribus noſtris Archidiaconis, quòd in viſitando poſſimus & noſtri ſucceſſores poſſint in locis quæ viſitabimus die viſitationis inquirere de caſibus, de quibus & contra perſonas nobis Archidiacono ſubjectas, contra quas Archidiaconi Briæ prędeceſſores noſtri ante præſentem compoſitionem ſeu ordinationem cognoſcere poterant & debebant. Sed ea quæ nos Archidiaconus, & noſtri ſucceſſores Archidiaconi Briæ in viſitando per noſtram inquiſitionem reperiemus, nos ſub ſigillo noſtro, & ſucceſſores noſtri ſub ſigillis ſuis Officiali dicti Domini reverendi veraciter, fideliter, & per juramenta noſtra, ad quæ præſtanda nos & noſtri ſucceſſores aſtringemur, & quod juramentum quilibet Archidiaconus in ſua prima receptione nobis, ſi præſentes fuerimus, aut vicariis noſtris pro nobis in noſtra abſentia facere tenebitur, referemus, & referre tenebimur abſque exactione quacumque accipienda: & dictus Officialis dicti Domini reverendi qui pro tempore fuerit dictam inqueſtam, ſi non ſit completa, perficiet & complebit, & eam completam fideliter abſque favore aliquo, aut fraude, & prout fuerit rationis, judicabit, abſque eo quod dictus Officialis aliquas emendas remittere aut quittare poſſit: quod jurabit & jurare tenebitur quilibet Officialis in ſua receptione ſeu inſtitutione, dum fuit in officialatu inſtitutus: & emendarum indicatarum per officialem dicti Domini reverendi qui pro tempore fuerit provenientium, ex relatione noſtra Archidiaconi aut ſucceſſorum noſtrorum in caſibus, de quibus, & contra perſonas, contra quas nos Archidiaconus ante præſentem compoſitionem cognoſcere poteramus, ut præmiſſum eſt, nos Archidiaconus & ſucceſſores noſtri Archidiaconi per manum ſigilliferi Curiæ dictorum Epiſcoporum, tertiam partem fideliter, juramento dicti ſigilliferi ſuper hoc interveniente (quod juramentum præſtare quilibet ſigillifer in ſua novitate tenebitur Archidiacono, qui pro tempore fuerit, dum fuerit requiſitus, omni fraude ceſſante) habebimus & percipiemus; ita tamen quòd ſi contingat in dictis cauſis ex dictis relatis provenientibus appellari ab audientia dicti epiſcopi, &

ſucceſſorum ſuorum Epiſcoporum, & eorum Officialium; nos Archidiaconus & ſucceſſores noſtri in defenſione, & pro defenſione dictarum cauſarum appellationum contribuemus, & contribuere tenebimur pro rata noſtra, videlicet pro tertia parte: & ſi contingat appellantes in dictis cauſis appellationum ſuccumbere, & ipſos in expenſas condemnari, nos Archidiaconus & ſucceſſores noſtri Archidiaconi habebimus, & percipiemus, & percipere debebimus tertiam partem dictarum expenſarum, omni fraude ceſſante: & ſi contingat in prædictis retentis, & reſervatis nobis Archidiacono & noſtris ſucceſſoribus Archidiaconis, aut occaſione prędictorum reſervatorum appellari à nobis & noſtris ſucceſſoribus Archidiaconis, quòd poſſit & liceat ad nos Epiſcopum prædictum, & ad ſucceſſores noſtros Epiſcopos, aut ad noſtram & eorum Curiam Meldenſem appellari, ſi & dum Sedes Epiſcopalis Meldenſis, aut Curia Meldenſis ab appellantibus eligatur: & pro emolumento ſigilli Curiæ Archidiaconalis prædictæ, nos Epiſcopus prædictus, & noſtri ſucceſſores Epiſcopi Meldenſes quolibet anno ſolvemus perpetuò, & ſolvere tenebimur dicto Archidiacono Briæ & ejus ſucceſſoribus qui pro tempore fuerint, aut eorum nuncio, literas quittatorias..... ducentas libras Turonenſis monetæ pro tempore currentis in villa Meldenſi, quatuor terminis, anno quolibet, videlicet quinquaginta libras Turon. die Dominica, quà cantatur: *Quomodo*: & quinquaginta libras Turon. die Dominica poſt feſtum Nativitatis beati *Ioannis Baptiſtæ*, & quinquaginta libras Turon. die Dominica poſt feſtum omnium ſanctorum, & alias quinquaginta libras Turon. in feſto Epiphaniæ Domini. Quæ omnia & ſingula prædicta nos Epiſcopus prędictus pro nobis, & ſucceſſoribus noſtris Epiſcopis, pro parte noſtra promiſimus & promittimus bona fide fideliter obſervare, & integre adimplere, & in aliquo non contraire in futurum ſub hypotheca, & obligatione noſtræ Curiæ Meldenſis, necnon & omnium bonorum, & rerum noſtrarum, & dicti noſtri Meldenſis Eipſcopatus mobilium & immobilium, quorumcumque, præſentium & futurorum ubicumque exiſtentium, volentes & conſentientes nos Epiſcopus pro nobis & noſtris ſucceſſoribus Epiſcopis, quòd ſi contingat nos aut

noſtros ſucceſſores Epiſcopos deficere in ſolutione prædictæ ſummæ pecuniæ terminis ſupradictis, aut in aliquo prædictorum terminorum, nos aut ſucceſſores noſtri incidamus in pœnam decem ſolidorum Turon. pro qualibet die, qua poſt quemlibet terminum elapſum retardabitur ſolutio prædicta. Quæ pœna dicto Archidiacono, & ſucceſſoribus ſuis, pro ſuis intereſſe & damno applicabitur & ſolvetur: & quoad ſolutionem prædictæ ſummæ pecuniæ terminis prænotatis, & prædictæ pœnæ, ſi committatur, nos & ſucceſſores noſtri compellamur, ſi neceſſe fuerit, per captionem temporalitatis noſtræ, & rerum mobilium ex dicta temporalitate provenientium in toto aut in parte illa, quam & prout dictus Archidiaconus & ejus ſucceſſores magis eligere voluerunt, per præpoſitum Pariſienſem de cujus reſſorto in temporalitate noſtra nos Epiſcopus ſumus, & noſtri prædeceſſores Epiſcopi fuerunt ab antiquo, cui præpoſito Pariſienſi dictam temporalitatem quoad hoc ſupponimus per præſentes: & verſa vice eodem modo & forma nos Archidiaconus prædictus pro nobis & ſucceſſoribus Archidiaconis promiſimus, & promittimus pro parte noſtra omnia & ſingula prædicta, in quantum ea nos & ſucceſſores noſtros Archidiaconos tangunt & tangere poſſunt, bona fide & fideliter obſervare, & ea integre adimplere, nec in aliquo contraïre ſub pœna ſimili prædicta, & ſub obligatione omnium bonorum & reddituum dicti Archidiaconatus Briæ, quæ & quos quoad hoc juriſdictioni & coactioni præpoſiti Pariſienſis ſupponimus per præſentes, non obſtantibus pactionibus, ordinationibus, conventionibus, juribus, conſuetudinibus, ſtatutis, & privilegiis, gratiis, & aliis quibuſcunque, quæ præſenti ordinationi & concordiæ poſſent in aliquo contraire. Et ut præſens ordinatio debitam in perpetuum obtineat firmitatem, præſentem paginam propter hoc ſic confectam ſigillorum noſtrorum fecimus appenſione muniri. Quare reverendo in Chriſto Patri ac Domino Domino Dei gratia Senonenſi Archiepiſcopo, nos partes prædictæ cordialiter ſupplicamus, quatenus hujuſmodi noſtris ordinationibus, concordiis, & compoſitionibus benigniter conſentire, & ea omnia & ſingula ſua autoritate & decreto dignetur confirmare. Datum anno Domini

M CCC. XL. die Lunæ poſt Dominicam qua cantatur: *Lætare Jeruſalem.*

Et nos Decanus & Capitulum Meldenſis Eccleſiæ, de quorum conſenſu & conſilio præmiſſa concordata, ordinata, & facta fuerunt, attendentes in his utilitatem Epiſcopatus & Eccleſiæ Meldenſis, & Archidiaconatus Briæ prædictorum, prout ſuperſcripta ſunt, ob cauſas in præſentibus literis contentas rata & grata habentes, inquantùm ad nos ſpectat & pertinet, laudamus, approbamus, & confirmamus. In cujus rei teſtimonium ſigillum noſtri Capituli unà cum ſigillis reverendi in Chriſto Patris Domini Meldenſis Epiſcopi, & Archidiaconi Briæ prædictorum præſentibus literis duximus apponendum. Datum in Capitulo noſtro anno Domini M. CCC. XL. die Lunæ poſt Dominicam qua cantatur: *Iſti ſunt dies.* Item unes autres lettres annexées en icelles contenantes cette forme.

Univerſis præſentes literas inſpecturis, *Philippus* Dei gratia, Senonenſis Archiepiſcopus, ſalutem in Domino ſempiternam. Noveritis, quòd nos compoſititionem, ordinationem, & concordiam inter venerabilem fratrem noſtrum *Ioannem* Meldenſem Epiſcopum, & *Hugonem* Archidiaconum Briæ in Eccleſia Meldenſi pro ſe ſuiſque ſucceſſoribus factas, necnon omnia & ſingula in literis in quibus noſtræ præſentes ſunt annexæ contenta, prout ſuprà ſcripta ſunt, ob cauſas in eiſdem literis contentas rata & grata habentes laudamus, approbamus, autoritateque noſtra Metropolitana tenore præſentium ad perpetuam roboris firmitatem ex certa ſcientia confirmamus, ac etiam in his noſtram autoritatem interponimus pariter & decretum. In quorum teſtimonium ſigillum noſtrum præſentibus literis duximus apponendum. Datum & actum Pariſius in domo noſtra Archiepiſcopali XXVIII. die Junii anno Domini M. CCC. XLI.

Toutes leſquelles choſes deſſus dittes & chacunes d'icelles ſelon ce qu'elles ſont cy-deſſus contenuës & diviſées, nous ayans fermes & agreables icelles, voulons, loons, greons, ratiffions, & approuvons, & de noſtre autorité Royale, de certaine ſcience, & de grace eſpeciale par la teneur de ces lettres confermons, ſauf en autres choſes noſtre droit, & en

toutes l'autry, & que ce ſoit ferme choſe & eſtable à tous jours nous avons fait mettre noſtre ſcel à ces preſentes lettres. Ce fut fait l'an de grace M. CCC. XLV. au mois de Decembre.

Nos autem omnia & ſingula in præſcriptis literis contenta, rata habentes, & grata, ea volumus, laudamus, approbamus, & de gratia ſpeciali & autoritate Regia noſtra, tenore præſentium confirmamus, ſalvo in omnibus jure noſtro, & etiam quolibet alieno, mandantes præpoſito Pariſienſi qui nunc eſt, & qui pro tempore fuerit, aut ejus locum tenebit, & propter dictam ſubmiſſionem ſibi factam committimus, quatenus præmiſſa omnia & ſingula teneri, & inviolabiliter obſervari faciat juxta formam & tenorem dictarum literarum præſcriptarum: Et ſi dictus Epiſcopus, ſeu ejus gentes in obſervatione præmiſſorum fuerint rebelles aut remiſſi, quòd eos ad hoc viis & juris remediis compellat, prout noverit ipſos juriſdictioni & coactioni ſuæ fuiſſe ſubmiſſos, ac etiam obligatos. Quod ut firmum & ſtabile perpetuò perſeveret, noſtrum præſentibus literis fecimus apponi ſigillum. Datum Pariſius anno Domini M. CCC. LI. menſe Martio.

XXVIII.

SENTENCE DE REQUESTE

CONTRE L'ABBE' DE S. MICHEL DE TONNERRE,

ET LES PRIEVRS DEPPENDANTS D'ICELLE, *Sic legitur in Chartul.*

TOVCHANT LA VISITATION.

Ex Chartulario Eccleſiæ Lingonenſis.

A Tous ceulx qui ces preſentes Lettres verront, les gens tenans les Requeſtes du *Roy* noſtre *Sire* au Palais à Paris, Commiſſaires en cette partie, ſalut. Sçavoir faiſons que aujourd'huy ſont venus & comparus en jugement pardevant nous, freres *Georges* Abbé de ſaint *Michel* les *Tonnere*, *Iehan Comparol* Prieur de *Bar* ſur Sene, *Machieir Mariot* Prieur d'*Ancy* le *Vieux*, *Iehan Vivot* Prieur de ſaint *Vivemer*, &

Eſtienne May Prieur *Dupuis*, tous membres deppendans de ladite Abbaie, demandeurs & complaingnans en matiere de nouvelleté par Maiſtre des *Fuſiſs* leur Procureur, & ledit frere *George Pot* en perſonne & ſoy faiſant ſoit deſdits Prieurs deſſus nommez, & par leſquels il a promis de faire ratifier dedans le temps cy-aprés declaré d'une part: & *L'Eveſque* & *Duc de Langres Pere de France* deffendeur & oppoſant par Maiſtre *Iehan Conrand* ſon Procureur, d'autre part. Leſquelles parties eſtoient en procés pardevant nous, ſur ce que leſdits demandeurs diſoient, que audit Abbé appartient ſeul de viſiter & procurer les Prieurs de ladite Abbaye, & à ces tiltres & moyens eſtoient iceulx demandeurs, & en poſſeſſion, & ſaiſine; c'eſt à ſçavoir ledit Abbé de procurer & viſiter chaqu'un an & autrement, quand le cas le requiert, les Prieurs & Prieurés deppendants de ladite Abbaye de ſaint *Michel*: meſmement ces Prieurs & Prieurés deſſuſdits, & leſdits Prieurs de eſtre viſités & procurés par leur Abbé en poſſeſſion: & faiſant que audit Abbé ſeul, & en premiere inſtance, & non à autre appartient la procuration, la viſitation, punition, & correction deſdits Prieurs & Religieux en poſſeſſion & ſaiſine; que ſi ledit deffendeur s'eſtoit efforcé, ou efforçoit de troubler leſdits demandeurs en leurſdites poſſeſſion & ſaiſine, ou aucunes d'icelles, de luy faire reparer amendes par juſtice, & le tout remettre au premier eſtat & deu. Mais ces choſes nonobſtant ledit deffendeur & oppoſant ou ſes Vicaires & Official depuis an & jour encore eu regard au commencement de ce premier proces qui fut le vingt ſixiême jour de Janvier M. CCCC. LXXXIII. s'eſtoit efforcé de viſiter, prendre & empeſcher procuration deſdits Religieux, Prieurs, & d'un chacun d'eulx en les troublant en leurdite poſſeſſion; & à cette cauſe leſdits demandeurs avoient fait une complainte à l'encontre dudit deffendeur, lequel s'eſtoit oppoſé, & pour dire ces cauſes d'oppoſition luy fut donné jour pardevant nous, auquel jour leſdites parties comparurent, iceulx demandeurs avoient fait leurs demandes & requis eſtre maintenus & gardés és poſſeſſions & ſaiſines deſſus d'icelles: & au contraire ledit deffendeur & oppoſant pour ces cauſes d'oppoſition diſoit que comme Ordinaire & Dioceſain luy appartenoit & appartient, eſtoit,

& eſt en bonne poſſeſſion & ſaiſine de viſiter ou faire viſiter par ſes Vicaires leſdits Prieurs & Prieurés de Bar ſur Seine, d'Ancy le Vieux, de ſaint Vivemer, & Dupuis membres depandans d'icelle Abbaye de ſaint Michel, punir, corriger leſdits Prieurs, & y faire ce qu'il appartient à cauſe de viſitation, en poſſeſſion & ſaiſine de prendre & avoir procuration à cauſe de ladite viſitation, & en pecune nombrée ſelon la faculté deſdits Prieurs tout le moins une fois l'an, quand il viſitera en perſonne, ou par ſes Vicaires fera viſiter, en poſſeſſion & ſaiſine de contraindre par monitoires, excommunications & cenſures Eccleſiaſtiques, les Prieurs deſd. Prieurés à ſouffrir ladite viſitation, payer icelle procuration, en poſſeſſion, & ſaiſine que leſd. Religieux, Prieurs, ſoit que ledit Abbé viſite leſdits Prieurs, ou face viſiter (ce que ne peut ou doit empeſcher la viſitation & procuration dudit defendeur) en poſſeſſion & ſaiſine, que ſi leſdits demandeurs s'eſtoient efforcez ou efforçoient faire le contraire, de le contredire & empeſcher le tout, & remettre au premier eſtat & deu. Et ſur ce leſdites parties ont eſté appointées à eſcrire par memoire, & depuis bailler leurs eſcritures; leſquelles eſcritures ont eſté accordées, en la preſence deſquelles parties elles ont eſté leuës, aprés ce que ledit Abbé pour ce preſent en ſadite perſonne, iceluy Abbé ſoit portant & faiſant fort deſdits Prieurs, & promettant pour ratifier ledit conſentement dedans le jour de Paſque à peyne de cent eſcus d'or à icelle appliquez au profit dudit.... veu leſdits tiltres & enſeignements dudit defendeur, ils ne vouloient plus perſiſter audit procez: *Nous* de leur conſentement avons maintenu & gardé, maintenons & gardons ledit defendeur & oppoſant en leſdites poſſeſſions & ſaiſines, c'eſt à ſçavoir & poſſeſſion & ſaiſine de viſiter ou faire viſiter par ſes Vicaires leſdits Prieurs & Prieures de Bar ſur Seine, & autres membres deſpandants d'icelle Abbaye de ſaint *Michel*, toutes les fois que le cas le requiert, punir, corriger leſdits Religieux, & y faire ce que appartient à cauſe de la viſitation & en poſſeſſion & ſaiſine, de prendre & avoir procuration à cauſe de ladite viſitation en pecune nombrée, ſelon la faculté deſdits Prieurs une fois en l'an, quand il viſitera en perſonne, ou ſes Vicaires y fera viſiter, moyennant diſpence ſur ce par luy obtenuë: en poſſeſ-

ſion & ſaiſine de pouvoir punir par luy ou ſeſdits Vicaires; contraindre par monitoire & Excomuniments, & Cenſures Eccleſiaſtiques leſdits Prieurs à ſouffrir à ladite viſitation & obeïr à icelle procuration, en poſſeſſion & ſaiſine à ce que leſdits Religieux, Abbé, & Convent, ſoit que ledit Abbe viſite ou face viſiter leſdits Prieurs ou Prieurés, ne doivent, ne peuvent empécher la viſitation & procuration dudit defendeur & oppoſant: Et en poſſeſſion & ſaiſine, que ſi leſdits demandeurs s'étoient efforcez ou efforçoient faire le contraindre, de le contredire, debattre, & empeſcher, & le tout faire reparer & remettre au premier eſtat & deu. Et avons levé & oſté, levons & oſtons la main du *Roy* noſtredit *Sire* & tout autre empechement mis & oppoſé eſdites choſes contenuës pour le debut deſdites parties, pour & au profit dudit defendeur & oppoſant; Et outre avons condamné & condamnons leſdits demandeurs & complaignants es deſpens dudit defendeur & oppoſant tant du conſentement deſdites parties à la ſomme de douze livres pariſ. pour une fois par noſtre Sentence, jugement, & Arreſt. Si donnons en mandement & commettons par ces preſentes au premier Huiſſier de Parlement, Huiſſier Sergent deſdites Requeſtes ou autre Sergent Royal ſur ce requis, que à la Requeſte dudit defendeur ces preſentes accompliſſe & mette à execution de point en point ſelon leur forme & teneur, en ce qui requiert ou requerra execution: En contraignant à ce faire & ſouffrir leſdits demandeurs & tous autres qui pour ce ſeront à contraindre par toutes voyes & manieres deuës & raiſonnables, de ce faire luy donnons pouvoir, mandons & commandons à tous les Juſticiers, Officiers & ſujets du *Roy* noſtredit *Sire*, que à luy en ce faiſant ſoit obeis. En teſmoins de ce nous avons fait mettre à ces preſentes le ſceel de la Cour deſdites Requeſtes. Donné à Paris le XXII. jour de Fevrier l'an M. CCC. LXXXVII.

ARTICULUS

Digitized by Google

ARTICVLVS NONVS.
CONCLVSIO.

ADVERSVS PRIVILEGIA, QVÆ MONACHOS non tantum ab Epiſcoporum vigilantia, ſed etiam à Regia poteſtate eximunt.

ECcleſiæ Gallicanæ diſciplina de Epiſcoporum vigilantia & auctoritate in Monachos, veris certiſſimiſque monumentis, quæ ad ejuſdem Eccleſiæ jus libertatemque pertinent propoſita; concludere licet nullius ponderis eſſe privilegia, in quibus Monachi non tantum ab Epiſcoporum vigilantia, ſed etiam à Regia poteſtate eximuntur. Sic autem in libro qui inſcribitur: *Antiquitez & recherches de l'Abbaye de ſaint Denys en France l. 3. cap. 3.* Dagobertus Rex Francorum omnes Epiſcopos, Abbates, Duces, Comites &c. ita alloquens exhibetur: *Quapropter per hoc præceptum, quod ſpecialius decernimus, & in perpetuum volumus eſſe manſurum, jubemus atque conſtituimus, ut neque Nos neque ſucceſſores noſtri, neque quilibet Epiſcopus, vel Archiepiſcopus, nec quicumque de judiciaria poteſtate accinctus, in ipſam ſanctam baſilicam, vel immanentes in ipſa, niſi per voluntatem Abbatis & ſuorum Monachorum ullam unquam habeat poteſtatem.* Et Eugenius Papa in epiſtola ad Odonem primum Abbatem S. Genovefæ: *Conſtituimus quoque, ut nulli Archiepiſcopo, vel Epiſcopo, niſi tantum Romano Pontifici Eccleſia ipſa ſubjaceat.*

Primum quidem quod ſpectat illud decretum, quo Dagobertus ipſe & ſe ſpoliat & ſucceſſores ſuos legitima in Monachos poteſtate, quid abſurdius dici poteſt? quid à Regia mente & dignitate magis eſt alienum? Si igitur ſacra Regum auctoritas ita Abbatum arbitrio aut potius ludibrio permiſſa eſt; nonne profecto illud ſæpius contingeret, quod ait Poeta Comicus,

CCccc

Quod cavere poſſis ſtultum admittere eſt;
Malo Ego nos proſpicere, quàm hunc ulciſci acceptâ injuriâ.

Privilegium verò, quod Monachos ab Epiſcoporum vigilantia & auctoritate eximit, nullum eſſe facilè quiſque ex prçclaris Eccleſiaſticæ Diſciplinæ monumentis intelligere poteſt. Primò enim liquet hoc privilegium Eccleſiæ Gallicanæ ſtatutis, nec non univerſalium Conciliorum Canonibus quibus hæc confirmantur, prorſus repugnare. Verùm tale privilegium irritum eſſe, non ſolum juris libertatiſque Eccleſiæ Gallicanæ defenſores pronunciant, ſed etiam ſummi Pontifices in ſuis epiſtolis ſuprà relatis, in quibus aperte declarant ſuas auctoritatis epiſtolas, ſuaque privilegia & quidem cujuſdam Eccleſiæ ſtatutis contraria, nulla eſſe; eaque à ſynodis eſſe abroganda ipſimet præcipiunt. Deinde iſto privilegio totus ordo Monaſticus Regularis ſubvertitur, ſanctiſſima jusjurandi violatur religio, totaque Hierarchia Eccleſiaſtica perturbatur. Etenim Monachi & Abbates ſuper ſancta Evangelia jurant ſe juxta Regulam S. Benedicti, & Auguſtini &c. & ſecundum ſtatuta Patrum, quorum obſervantia facit Catholicos, omnem Epiſcopo exhibituros obedientiam. In ſuperioribus capitibus protulimus aliquot hujuſmodi juramenta. Sed hîc alia ex variis ſchedis collecta à D. Ferone Doctore doctiſſimo & Socio Sorbonico, ac benevole mecum communicata, non abs re erit proponere, præſertim verò Abbatum ordinis S. Benedicti & S. Auguſtini juramenta, quo pateat Abbates & Monachos talium privilegiorum defenſione fieri perjuros, ſuæ profeſſionis proditores, & Catholicæ Religionis deſertores.

Cap. 2. art. 4.

I. Iuramentum Reinaudi Abbatis Eleemoſinæ Ciſtercienſis Ordinis.

Ego frater *Reinaudus* Abbas Eleemoſinæ Ciſtercienſis ordinis, ſubjectionem, reverentiam, & obedientiam à ſanctis Patribus conſtitutam, ſecundum regulam *S. Benedicti*, tibi, domine *Petre*, pater Epiſcope, tuiſque ſucceſſoribus Canonice ſubſtituendis, & ſanctæ ſedi Carnotenſi, ſalvo ordine meo, perpetuò me exhibiturum promitto.

Digitized by

II. Iuramentum Danielis Abbatis Eleemoſinæ Ciſtercienſis ordinis.

Ego frater *Daniel* Abbas Eleemoſinæ Ciſtercienſis ordinis, ſubjectionem, reverentiam, & obedientiam à ſanctis Patribus conſtitutam, ſecundum regulam *S. Benedicti*, Tibi, Domine Matthæe Epiſcope, tuiſque ſucceſſoribus Canonice ſubſtituendis, & ſanctæ ſedi Carnotenſi, ſalvo ordine meo, perpetuò me exhibiturum promitto.

III. Iuramentum Guidonis Abbatis Eleemoſinæ Ciſtercienſis ordinis.

Ego frater *Guido* Abbas Eleemoſinæ Ciſtercienſis ordinis *S. Benedicti*, ſubjectionem, reverentiam & obedientiam à ſanctis Patribus conſtitutam, ſecundum regulam ſancti *Benedicti*, Tibi, Pater *Matthæe* Epiſcope Carnotenſis, tuiſque ſucceſſoribus canonice ſubſtituendis, & ſanctæ ſedi Carnotenſi, perpetuò me exhibiturum promitto, ſalvo ordine meo; & hoc propria manu conſigno.

IV. Iuramentum Roberti Abbatis Eleemoſinæ Ciſtercienſis ordinis.

Ego frater *Robertus* Abbas Eleemoſinæ Ciſtercienſis ordinis *S. Benedicti*, ſubjectionem, reverentiam & obedientiam à ſanctis Patribus conſtitutam, ſecundum regulam *S. Benedicti*, Tibi, pater *Matthæe* Epiſcope Carnotenſis, tuiſque ſucceſſoribus Canonice ſubſtituendis, & ſanctæ ſedi Carnotenſi, perpetuò me exhibiturum promitto; & hoc propria manu conſigno.

V. Iuramentum Danielis Abbatis Eleemoſinæ Ciſtercienſis ordinis.

Ego frater *Daniel* Abbas Eleemoſinæ Ciſtercienſis ordinis, ſubjectionem, reverentiam, & obedientiam à ſanctis Patribus conſtitutam, ſecundum regulam *S. Benedicti*, Tibi, Domine *Matthæe* Epiſcope, tuiſque ſucceſſoribus Canonice ſubſtituendis, & ſanctæ ſedi Carnotenſi, ſalvo ordine meo, perpetuò me exhibiturum promitto; & hæc propria manu conſigno.

VI. Iuramentum Amelinæ Abbatiſſæ S. Cyrici ordinis S. Benedicti.

Ego *Amelina* Abbatiſſa ſancti *Cyrici* ordinis *S. Benedicti*,

Digitized by Google

Profiteor me debere, & promitto me exhibituram huic ſanctæ Matri Eccleſiæ beatæ *Mariæ* Carnotenſi, reverentiam, ſubjectionem, & obedientiam, ſecundum inſtituta ſanctorum Patrum; ſic me Deus adjuvet, & hæc ſancta: & in ſignum hujuſmodi rei & teſtimonium, hanc ſcripturam propria manu conſigno.

VII. Iuramentum Odelinæ Abbatiſſæ Cœnobii beati Cyrici.

Ego *Odelina* humilis cœnobii beati Cyrici Abbatiſſa, promitto tibi, pater *Reginalde*, & ſucceſſoribus tuis, atque matri Eccleſiæ Carnotenſi, debitam ſubjectionem, atque obedientiam, ſecundum inſtituta ſanctorum Patrum, & manu propria conſigno.

VIII. Iuramentum Euſtachiæ Abbatiſſæ S. Aviti de Caſtriduno.

Ego *Euſtachia* humilis Abbatiſſa ſancti *Aviti* de *Caſtriduno*, promitto tibi, pater *Matthæe*, tuiſque ſucceſſoribus Epiſcopis, atque ſanctæ matri Eccleſiæ Carnotenſi, debitam ſubjectionem atque obedientiam, ſecundùm inſtituta ſanctorum Patrum; ſic me Deus adjuvet, & hæc ſancta, & hæc propria manu conſigno.

IX. Iuramentum Annæ Abbatiſſæ beati Aviti Caſtridunenſis.

Ego Anna humilis Abbatiſſa beati *Aviti* Caſtridunenſis, promitto venerabili patri R. Carnotenſi Epiſcopo, & ſucceſſoribus ejus, atque matri Eccleſiæ Carnotenſi, debitam ſubjectionem atque obedientiam, ſecundum inſtituta ſanctorum Patrum.

X. Iuramentum Adelais Cœnobii beati Aviti Abbatiſſæ.

Ego *Adelais* humilis cœnobii beati *Aviti* Abbatiſſa, promitto tibi, Pater *Gaufride*, & ſucceſſoribus tuis, atque matri Eccleſiæ Carnotenſi debitam ſubjectionem atque obedientiam, ſecundum inſtitutionem ſanctorum Patrum.

XI. Iuramentum Iſabellis Abbatiſſæ S. Aviti juxta Caſtridunum Ordinis S. Benedicti.

Ego ſoror Iſabellis Abbatiſſa *S. Aviti* juxta Caſtridunum

ordinis *S. Benedicti*, ſubjectionem & obedientiam à ſanctis Patribus conſtitutam, ſecundum regulam ſancti *Benedicti* tibi pater Matthæe Epiſcope tuiſque ſucceſſoribus in Eccleſia Carnotenſi Canonice ſubſtituendis & ſanctæ ſedi Carnotenſi, perpetuò me exhibituram promitto, & hæc manu propria confirmo.

XII. Iuramentum Elizendis Abbatiſſæ S. Aviti *de Caſtriduno ordinis ſancti Benedicti.*

Ego ſoror *Elizendis* Abbatiſſa *S.* A*viti* de Caſtriduno ordinis ſancti *Benedicti*, ſubjectionem & obedientiam à ſanctis Patribus conſtitutam ſecundum Regulam *S. Benedicti*, Tibi, Pater *Matthæe* Epiſcope Carnotenſis, tuiſque ſucceſſoribus Canonice ſubſtituendis, & ſanctæ ſedi Carnotenſi, ſalvo ordine meo, perpetuò me exhibituram promitto, & hæc propria manu conſigno.

XIII. Iuramentum Abbatis A*lbæ Curiæ ordinis ſancti* A*uguſtini.*

Ego frater Abbas A*lbæ Curiæ* ordinis *S.* A*uguſtini*, ſubjectionem, reverentiam, & obedientiam à ſanctis Patribus conſtitutam, ſecundùm regulam *S.* A*uguſtini*, tibi Pater *Matthæe* Epiſcope Carnotenſis, tuiſque ſucceſſoribus Canonice ſubſtituendis, & ſanctæ ſedi Carnotenſi, perpetuò me exhibiturum promitto, ſalvo ordine meo, & hæc propria manu conſigno.

XIV. Iuramentum Radulfi Abbatis Albæ Curiæ.

Ego frater *Radulfus* Abbas *Albæ Curiæ*, promitto Reverendo patri *Matthæo* Epiſcopo Carnotenſi, & huic ſanctæ Eccleſiæ Carnotenſi, debitam obedientiam; & hæc propria manu ſigno & confirmo.

XV. Iuramentum Stephani A*bbatis* A*lbæ Curiæ ordinis ſancti Auguſtini.*

Ego frater *Stephanus* Abbas A*lbæ Curiæ* ordinis *S.* A*uguſtini*, ſubjectionem, reverentiam, & obedientiam à ſanctis Patribus conſtitutam ſecundùm regulam S. Auguſtini &c. *ut ſuprà.*

XVI. *Iuramentum Guidonis Abbatis S. Petri Carnotenſis ordinis ſancti Benedicti.*

Ego frater *Guido* Abbas *S. Petri* Carnotenſis ordinis *S. Benedicti*, ſubjectionem, reverentiam, & obedientiam à ſanctis Patribus conſtitutam, ſecundum regulam *S. Benedicti*, Tibi, pater *Matthæe* Epiſcope Carnotenſis, tuiſque ſucceſſoribus Canonice ſubſtituendis, & ſanctæ ſedi Carnotenſi, ſalvo ordine meo, perpetuò me exhibiturum promitto; & hæc propria manu conſigno.

XVII. *Iuramentum Garini Abbatis beati Launomenſis Bleſenſis Ordinis ſancti Benedicti.*

Ego frater *Garinus* Abbas beati *Launomenſis* Bleſenſis ordinis *S. Benedicti*, ſubjectionem, reverentiam, & obedientiam à ſanctis Patribus conſtitutam, Tibi, Pater *Matthæe* Epiſcope Carnotenſis, tuiſque ſucceſſoribus Canonice ſubſtituendis, & ſanctæ ſedi Carnotenſi, perpetuò me exhibiturum promitto; & hæc manu propria conſigno.

XVIII. *Iuramentum Ragnaudi Cœnobii beati Launomari Abbatis.*

Ego *Ragnaudus* humilis cœnobii beati *Launomari* Abbas, promitto tibi, Pater *Gaufride*, & ſucceſſoribus tuis, atque matri Eccleſiæ Carnotenſi, ſubjectionem atque obedientiam ſecundum inſtituta ſanctorum Patrum.

XIX. *Iuramentum Ioannis Abbatis S. Launomari Bleſenſis.*

Ego frater *Ioannes* Abbas humilis ſancti *Launomari* Bleſenſis, promitto tibi, Pater *Henrice*, & ſucceſſoribus tuis, atque ſanctæ matri Eccleſiæ Carnotenſi, debitam ſubjectionem, atque obedientiam, ſecundum inſtituta ſanctorum Patrum; & hæc propria manu conſigno.

XX. *Iuramentum Margaritæ Abbatiſſæ B. Mariæ de Aqua Ciſtercienſis ordinis.*

Ego ſoror *Margarita* Abbatiſſa B. *Mariæ* de *Aqua* Ciſter-

cienſis ordinis, ſubjectionem, reverentiam, & obedientiam à ſanctis Patribus inſtitutam ſecundum regulam *S. Benedicti*, Tibi, pater *Matthæe* Epiſcope Carnotenſis, tuiſque ſucceſſoribus Canonice ſubſtituendis, & ſanctæ ſedi Carnotenſi, ſalvo ordine meo, perpetuo me exhibiturum promitto; & hoc manu propria conſigno.

XXI. *Iuramentum Stephani Abbatis de Tyronio ordinis ſancti Benedicti.*

Ego frater *Stephanus* Abbas de *Tyronio* ordinis *S. Benedicti*, reverentiam, ſubjectionem, & obedientiam à ſanctis patribus conſtitutam ſecundum regulam ſancti *Benedicti*, Tibi pater *Matthæe* Epiſcope Carnotenſis, tuiſque ſucceſſoribus canonice ſubſtituendis, & ſanctæ ſedi Carnotenſi, perpetuò me exhibiturum promitto; & hoc propria manu conſigno.

XXII. *Iuramentum Stephani Abbatis beatæ Mariæ de Burgo medio Bleſenſis ordinis ſancti Auguſtini.*

Ego frater *Stephanus* Abbas B. *Mariæ* de *Burgo medio* Bleſenſis ordinis *S. Auguſtini*, ſubjectionem, reverentiam & obedientiam à ſanctis Patribus conſtitutam, ſecundum regulam *ſancti Auguſtini*, Tibi, Pater *Matthæe* Epiſcope Carnotenſis, tuiſque ſucceſſoribus Canonice ſubſtituendis, & ſanctæ ſedi Carnotenſi, ſalvo ordine meo, perpetuò me exhibiturum promitto; & hoc propria manu conſigno.

XXIII. *Iuramentum Petri Abbatis ſancti Vincentii in nemore ordinis ſancti Auguſtini.*

Ego *Petrus* Abbas *S. Vincentii* in nemore ordinis S. *Auguſtini*, ſubjectionem, reverentiam, & obedientiam à ſanctis Patribus conſtitutam, ſecundum regulam S. *Auguſtini*, Tibi, pater *Matthæe* Epiſcope Carnotenſis, tuiſque ſucceſſoribus Canonice ſubſtituendis, & ſanctæ ſedi Carnotenſi, ſalvo ordine meo, perpetuò me exhibiturum promitto; & hæc propria manu conſigno.

XXIV. *Iuramentum Nicolai cœnobii beati Vincentii Abbatis.*

Ego *Nicolaus* humilis cœnobii B. *Vincentii* dictus Abbas, promitto tibi, pater *Raginalde*, & ſucceſſoribus tuis atque ſanctæ matri Eccleſiæ Carnotenſi, debitam ſubjectionem, & obedientiam ſecundum inſtituta ſanctorum Patrum, & propria manu conſigno.

XXV. Iuramenta Thomaſſæ Abbatiſſæ de Claretis Ciſtercienſis Ordinis.

Ego ſoror Thomaſſa Abbatiſſa de *Claretis* Ciſtercienſis ordinis, ſubjectionem, reverentiam, & obedientiam à ſanctis Patribus conſtitutam ſecundum regulam beati *Benedicti*, Tibi, Pater *Matthæe* Epiſcope, tuiſque ſucceſſoribus Canonicè ſubſtituendis, & ſanctæ Sedi Carnotenſi, ſalvo ordine meo, me perpetuò exhibituram promitto; & hæc propria manu conſigno.

XXVI. Iuramentum Guillelmi Abbatis B. Mariæ de Stella Ordinis S. Auguſtini.

Ego frater *Guillelmus* Abbas B. *Mariæ* de *Stella* Ordinis S. *Auguſtini* ſubjectionem, reverentiam, & obedientiam à ſanctis Patribus conſtitutam ſecundum regulas S. *Auguſtini*, Tibi, Pater *Matthæe* Epiſcope Carnotenſis, perpetuò me exhibiturum promitto; & hoc propria manu conſigno.

XXVII. Iuramentum Gaufridi beatæ Trinitatis de Stella Abbatis.

Ego *Gaufridus* B. *Trinitatis* de *Stella* Abbas, promitto tibi, Pater *Galtere*, & ſucceſſoribus tuis, atque matri Eccleſiæ Carnotenſi debitam ſubjectionem atque obedientiam ſecundum inſtituta ſanctorum Patrum; ſic me Deus adjuvet, & hæc ſancta: & manu propria ſubſcribo.

XXVIII. Iuramentum Guillelmi Abbatis S. Trinitatis de Stella.

Ego frater *Guillelmus* Abbas S. *Trinitatis* de *Stella* promitto tibi,

tibi, Pater *Matthæe*, & ſucceſſoribus tuis Epiſcopis, & ſanctæ Matri Eccleſiæ Carnotenſi, debitam ſubjectionem & obedientiam ſecundùm inſtituta ſanctorum Patrum. Sic me Deus adjuvet, & hoc propria manu conſigno.

XXIX. *Iuramentum Iacobi Abbatis B. Mariæ Columbenſis Ordinis S. Benedicti.*

Ego frater *Iacobus* Abbas B. *Mariæ* Columbenſis Ordinis S. *Benedicti*, ſubjectionem, reverentiam, & obedientiam à ſanctis Patribus conſtitutam ſecundum regulam S. *Benedicti*, tibi, Pater *Petre* Epiſcope Carnotenſis, tuiſque ſucceſſoribus Canonice ſubſtituendis, & ſanctæ Sedi Carnotenſi, perpetuò me exhibiturum promitto, & hoc manu propria conſigno.

XXX. *Iuramentum Henrici beatæ Mariæ Columbenſis Abbatis.*

Ego *Henricus* humilis B. *Mariæ* Columbenſis Abbas, promitto tibi, Pater *Galtere*, & ſucceſſoribus tuis, atque matri Eccleſiæ Carnotenſi, debitam ſubjectionem; atque obedientiam ſecundum inſtituta ſanctorum Patrum. Sic me Deus adjuvet, & hæc ſancta &c.

XXXI. *Iuramentum Otranni B. Mariæ Columbenſis Abbatis.*

Ego frater *Otrannus* humilis B. *Mariæ* Columbenſis Abbas, promitto tibi, Pater *Hugo*, & ſucceſſoribus tuis, atque matri Eccleſiæ Carnotenſi, debitam ſubjectionem, atque obedientiam ſecundùm inſtituta ſanctorum Patrum. Sic me Deus adjuvet, & hæc ſancta; & hoc propria manu conſigno.

Hæc eſt conſtans, una, & eadem jusjurandi Religio, ſecundùm regulam SS. Benedicti & Auguſtini conſtituta, quæ Abbates & Monachos facit Catholicos, fidei ſuæ & profeſſionis conſervatores. Cujuſnam ergo ſunt auctoritatis illa privilegia? Quæ nullus Abbas nulluſque Monachus tueri poteſt; quin fiat perjurus, profeſſionis ſuæ proditor, & Religionis Catholicæ deſertor: quin præterea ingratus ſit, optimorum nempe quæ ſupra retulimus privilegiorum ſive bene-

ficiorum à ſummis Pontificibus atque à viris Religioſis conceſſorum immemor, ſententiarum denique ab ipſiſmet Summis Pontificibus, à Regibus, & ab ampliſſimo æquiſſimoque Senatu Pariſienſi prolatarum irriſor exiſtat contumelioſus, ac proinde tam civilis quàm Eccleſiaſtici juris.

His rationibus motus, decretum præ cæteris, quod nomen *Dagoberti* præ ſe fert, non ſolummodo irritum, imo potius falſum eſſe ſuſpicatus ſum. Unde non ampliùs hæſi, cùm varias gemmas quærens in theſauro viri clariſſimi Anthonii de *Vyon* Domini *d'Herouval*, Juris Libertatiſque Eccleſiæ Gallicanæ ſtudioſiſſimi, apographum invenerim, ex quo cuilibet erudito liceat judicare, quid in hoc Dagoberti privilegio inſt veri, & quid falſi. Quod ut ſit manifeſtum, Præceptum Dagoberti, prout jam editum eſt, & in apographo exhibetur, utrumque accuratè repræſentabo.

Digitized by Google

PRÆCEPTUM DAGOBERTI.

EDITUM IN LIBRO qui inſcribitur : Antiquitez & recherches de l'Abbaye de ſaint Denys en France *lib. 3. cap. 3. ſub hoc titulo.*

AUTRE CHARTE DU Roy Dagobert par laquelle il ordonne que ny luy, ny les Roys ſes ſucceſſeurs, ny quiconque Archeveſque, ny Eveſque, ny quiconque Iuge ayent jamais aucune puiſſance ſur la ſaincte Egliſe de ſaint Denys, ny ſur ceux qui y demeurent, ſi ce n'eſt de la volonté de l'Abbé & des Religieux.

DAgobertus Rex Francorum vir illuſter, *omnibus Epiſcopis, Abbatibus, Ducibus, Comitibus, Centenariis, cæteriſque agentibus noſtris præſentibus ſcilicet & futuris.* Oportet Clementiæ principali & inter cæteras petitiones illud quod pro ſalute animæ aſcribitur, & pro divino nomine poſtulatur

PRÆCEPTUM DAGOBERTI.

EX APOGRAPHO viri Clariſſimi de Vyon Domini d'Herouval veritatis cultoris ſtudioſiſſimi, cujus beneficentia numquam ſatis prædicanda eſt.

DAgobertus Rex Francorum vir illuſter, *Mummolo præfecto, Gondoëno, Uverpeno, Drucłoaldo, Audino, Charimundo, & Chariulfo Comitibus, vel omnibus agentibus præſentibus & futuris.* Oportet clementiæ principali inter cæteras petitiones illud quod pro ſalute aſcribitur, & pro divino

poſtulatur placabili auditu ſuſcipere & proculdubio ad effectum perducere, quatinus de caducis rebus præſentis ſæculi æterna vita conquiratur, juxta præceptum Domini dicentis: facite vobis amicos de mammona iniquitatis. Ergo de mammona iniquitatis juxta ipſius dictum, nos oportet mercari æterna & cæleſtia, ut dum eccleſiæ Chriſti impertimur congrua beneficia, retributionem Dominum ex hoc habere mereamur in æterna tabernacula. Igitur venerabilis Aigulphus Abbas de baſilica peculiaris patroni noſtri domini Dionyſii Martyris ubi ipſe pretioſus Dominus in corpore requieſcit, clementiam regni noſtri ſupplicavit, ut juxta hoc quod ante hos dies in Compendio noſtro in noſtro generali placito tractavimus, ita nunc *in univerſali noſtra Synodo pariſius congregata*, per propriam noſtram auctoritatem ſub immunitatis nomine denuo pro rei firmitate circa ipſum ſanctum locum vel homines qui ſe cum ſubſtantia eorum vel rebus ad ipſam ſanctam baſilicam tradere & devovere voluerunt, hoc nos in Dei nomine

no nomine poſtulatur, placabili auditu ſuſcipere, & proculdubiò ad effectum perducere, quatinus de caducis rebus ſeculi æterna conquirantur, juxta præceptum Domini dicentis: Facite vobis amicos de mammona iniquitatis. Ergo de mammona iniquitatis, juxta ipſius dictum, nos oportet mercari æterna & cæleſtia, ut dum Sacerdotibus Chriſti impertimur congrua beneficia, retributorem Dominum ex hoc habere mereamur in æterna tabernacula. Igitur venerabilis Agulphus Abbas de Baſilica peculiaris patroni noſtri domni Dionyſii martyris, ubi ipſe pretioſus Domnus in corpore requieſcit, clementiam regni noſtri ſupplicavit, ut juxta hoc quod ante hos dies in compendio in noſtro generali placito tractavimus, ita nunc per propriam noſtram auctoritatem, ſub immunitate nominis noſtri denuò pro rei firmitate circa ipſum ſanctum locum vel homines qui ſe cum ſubſtantia eorum, vel rebus ad ipſam ſanctam baſilicam tradere & devovere voluerunt, hoc nos in Dei nomine præſtare & confirmare circa ipſum ſanctum locum dignaremur

ne præſtare & confirmare circa ipſum ſanctum locum dignaremur. Ideo cognoſcat magnitudo ſeu utilitas veſtra, quod ita nos pro reverentia ipſorum ſanctorum, vel pro quiete Monachorum ibidem Deo famulantium, promptiſſima voluntate denuo conceſſiſſe & in omnibus confirmaſſe viſi ſumus. Quapropter per hoc præceptum, quod ſpecialius decernimus, & in perpetuum volumus eſſe manſurum, jubemus atque conſtituimus, ut *neque nos neque ſucceſſores noſtri, neque quilibet Epiſcopus, vel Archiepiſcopus, nec quicumque de judiciaria poteſtate accinctus in ipſam ſanctam baſilicam, vel immanentes in ipſa, niſi per voluntatem Abbatis & ſuorum Monachorum ullam unquam habeat poteſtatem: ſed ſit hæc ſancta Mater Eccleſia videlicet peculiaris Patroni noſtri Domini & magni Dionyſii libera & abſoluta ab omni invaſione vel inquietudine omnium hominum cujuſcumque ordinis vel poteſtatis eſſe videantur.* In curtes verò præfatæ baſilicæ Domni Dionyſii ubi & ubi in quaſcũque regiones vel pagos in regno Deo propicio noſtro quod à die præſente pars ipſius Monaſterii poſſidere & dominari videtur

remur. Ideo cognoſcat magnitudo ſeu utilitas veſtra, quod ita nos pro reverentia ipſorum Sanctorum, vel pro quiete Monachorum, ibidem Deo famulantium, promptiſſima voluntate denuo conceſſiſſe, & in omnibus confirmaſſe, veſtra compareat ſolertia. Quapropter per hoc præceptum quod ſpecialius decernimus, & in perpetuo volumus eſſe manſurum, jubemus atque conſtituimus, ut *neque vos neque juniores ſeu ſucceſſores veſtri in perpetuo, nec quilibet de judiciaria poteſtate accinctus*, in curtes præfatæ baſilicæ Domni Dionyſii, ubi & ubi in quaſcunque regiones vel pagos in regno, Deo propitio noſtro, quod à die præſente pars ipſius Monaſterii poſſidere & dominari videtur, vel quod ad Deum timentibus hominibus per legitima cartarum inſtrumenta ibidem fuit conceſſum, aut in antea erit additum vel delegatum, nec ad cauſas audiendum, nec ad fidejuſſores tollendos, nec ad freda vel pannos exigendum, & ad manſiones vel paratas faciendum, nec ullas redibitiones requirendum, infra immunitatem S. Dionyſii ingredi vel requirere quoquo tempore

videtur, vel quod à Deum timentibus hominibus per legitima cartarum inſtrumenta ibidem fuit conceſſum, aut in antea erit additum vel delegatum, nec ad cauſas audiendum, nec ad fidejuſſores tollendos, nec ad freda vel bannos exigendum, & ad manſiones vel paratas faciendum nec ullas redibitiones requirendum infra immunitatem ſancti Dionyſii ingredi vel requirere quoquo tempore præſumatur, ſed quidquid exinde fiſcus noſter poterat exactare, omnia & ex omnibus pro mercedis noſtræ augmento, ſub integra & firmiſſima immunitate à die præſente concedimus ad ipſum ſanctum locum, & imperpetuo confirmamus. Si autem quiſpiam hanc noſtram auctoritatem vel immunitatem infringere voluerit, & alios ad hoc conduxerit, unuſquiſque pro ſemetipſo libras 30. ex auro puriſſimo partibus S. Dionyſii componat, & ut dictum eſt, quidquid exinde fiſcus noſter ad partem noſtram ſperare poterat, in luminaribus, vel ſtipendiis Monachorum, ſeu & in eleemoſynis pauperum ipſius Monaſterii, perenniter per noſtra oracula ad integrum ſit conceſſum

tempore non præſumant: ſed quidquid fiſcus noſter exinde poterat exactare, omnia & ex omnibus pro mercedis noſtræ augmento, ſub integra & firmiſſima immunitate à die præſente concedimus. Et ſi quiſpiam hanc noſtram auctoritatem vel immunitatem infringere voluerit, & alios ad hoc conduxerit, unuſquiſque pro ſemetipſo libras XXX. ex auro puriſſimo partibus S. Dionyſii coactus componat, &, ut dictum eſt, quidquid exinde forſitan fiſcus noſter ad partem noſtram ſperare poterat, in luminaribus vel ſtipendiis Monachorum, ſeu & in alimoniis pauperum ipſius Monaſterii perenniter per noſtra oracula ad integrum ſit conceſſum atque indultum; ita ut melius delectet pro ſtabilitate regni noſtri, vel pro quiete, & quibuſlibet leudis noſtris Domini miſericordiam attentiùs deprecari. Ut hæc auctoritas noſtris & futuris temporibus circa ipſum ſanctum locum perenniter firma & inviolata permaneat, per omnia tempora illæſa cuſtodiatur atque conſervetur, & ab omnibus optimatibus noſtris & Judicibus publicis & privatis melius ac certius credatur, manus

ceſſum atque indultum, ita ut eis melius delectet pro ſtabilitate regni noſtri, vel pro quiete, & quibuſlibet leudis noſtris Domini miſericordiam attentiùs deprecari. Et ut hæc auctoritas noſtris & futuris temporibus circa ipſum ſanctum locum perenniter firma & inviolata permaneat, vel omnia tempora illæſa cuſtodietur atque conſervetur, & ab omnibus optimatibus noſtris, & Judicibus publicis & privatis melius ac certius credatur, manus noſtræ ſubſcriptionibus ſubter eam decrevimus roborare, & de annulo noſtro juſſimus ſigillare.

Dagobertus Rex ſubſcripſit. *Palladius Epiſ. ſ. Taurinus Epiſ. ſ. Eligius Epiſ. ſ. Silvinus Epiſ. ſ. Orado Epiſ. ſ. Clarus Epiſ. ſ. Gondoënus Comes S. Dado obtulit. Iohannes Epiſ. ſ. Richoaldus Epiſ. ſ. Etherius Epiſ. ſ. Laudomerus Epiſ. ſ. Landericus Epiſ. ſ. Acterius Epiſ. ſ. Mommolus præfectus ſ. Data 4. Kalend. Aug. anno 10. regni noſtri Pariſius in Dei nomine feliciter. Amen.*

manus noſtræ ſubſcriptionibus ſubter eam decrevimus roborare, & de annulo noſtro juſſimus ſigillare.

Dagobertus Rex ſubſcripſit. *Dado obtulit. Datum ſub die* IIII. *Kal. Aug. anno* XI. *regni noſtri. Compendio in Dei nomine feliciter. Amen.*

Sed, inquiet aliquis, apographo autographum præferri debet. Reſpondeo, utrumque eſſe apographum. Non enim exiſtimo id quod Jacobus Doublet Monachus S. Dionyſii edidit, ab ipſo confictum fuiſſe, ſed potius ex carta nimium

depravata deſcriptum. Porro noſtrum apographum hoc præſtat, quod pertineat ad virum potiſſimum hiſce in rebus integerrimum atque in dijudicandis veris à falſis codicibus Mſſ. omnium exercitatiſſimum: deinde quòd conſtet ex chartulario Monaſterii S. Dionyſii accuratiſſime exſcriptum fuiſſe: poſtremo, & illud eſt præcipuum, quod nihil contineat quod ſit aut abſurdum, aut Eccleſiaſticæ Diſciplinæ repugnans; cum viri eruditi eccleſiaſticæ Diſciplinæ monumentorum veritatem non ex ſolo charactere codicum Mſſ. dijudicent, verùm longe magis quia genuinam quæ tunc temporis vigebat diſciplinam referunt.

In fine hujus ultimi capitis obſervet lector, ſi quædam inter præclara Eccleſiaſticæ Diſciplinæ monumenta edita reperiantur in obſervationibus J. B. Soucheri ad epiſtolas Ivonis &c. ad ea quæ nondum edita ſunt omnino pertinere, & in codicibus Mſſ. adeo inter ſe connexa eſſe; ut, cùm maximam ſibi invicem lucem afferant, illa omitti non potuerint.

FINIS.

THEODORI

THEODORI
SANCTISSIMI ET DOCTISSIMI
ARCHIEPISCOPI
CANTUARIENSIS
VIGILANTIA
PASTORALIS
ADVERSUS CALUMNIATORES DEFENSA.

TANTA fuit Theodori ſanctiſſimi & doctiſſimi Archiepiſcopi Cantuarienſis Vigilantia Paſtoralis, quam flagitabat Eccleſiarum neceſſitas, ut apud omnes haberetur teſte Beda lib. 5. cap. 8.

Princeps Pontificum, felix, ſummuſque Sacerdos.

Hinc quidam homines naturâ maledici, inter quos præſertim Balæum & Centur. Magdeburg. nominabo, calumniandi anſam imperitè ſumpſerunt, & ſingularem ipſius animi magnitudinem, eximiamque charitatem velut arrogantiæ ſummæ inſimularunt; quaſi quicquid Epiſcopus agit extra limites ſuæ parochiæ pro bono & neceſſitate omnium Eccleſiarum, crimini ſemper deputandum ſit. Sed cùm Theodori Vigilantia Paſtoralis ampliſſimis laudibus & quidem à Synodis celebrata non minùs extolli debeat, quàm adverſus calumniatores defendi: operæ pretium eſt pluribus ſanctiſſimorum Epiſcoporum exemplis præſtantiſſimis oſtendere, hoc ad maximam Eccleſiæ antiſtitum pertinere charitatem, quam omnium Eccleſiarum neceſſitas flagitat, *ut*, inquit J. Chryſoſtomus in Homilia de S. Euſtathio, *non de illa tantùm ſolliciti eſſe debeant Eccleſia, quæ à Spiritu ſancto illis com-*

miſſa eſt, ſed etiam de quavis in orbe terrarum conſtitutâ. Quod Petrus Aurelius Hierarchiæ vindex acerrimus etſi quibuſdam teſtimoniis jam probaverit in aſſertione pro epiſtola illuſtriſſ. ac reverend. Galliæ antiſtitum pag. 35. & 36. non fore tamen injucundum exiſtimavi; ſi in honorem Vigilantiæ Paſtoralis, cujus laude magnopere delector, & pro defenſione ſanctitatis Theodori, Patrum traditionem uſque ad ipſum deductam accuratè repræſentarem. Exordium igitur ducam ab exemplis primorum Epiſcoporum, qui fuerunt Apoſtolorum diſcipuli.

CAPUT PRIMUM.

De Ignatio ſecundo poſt Petrum Antiochenorum Epiſcopo.

» EUſebius libro III. cap. XXXVI. Ignatius multorum ſermonibus noſtrâ » etiam ætate celebratus ſecundus poſt Petrum Antiochenſem Eccle» ſiam ſortitus eſt. Hic & fidem Chriſti è Syria ad urbem Romam per» ductus &c. Et cùm ſub accuratiſſimâ ſatellitum cuſtodiâ duceretur, ſin» gularum nihilominus civitatum quas ingrederetur, Eccleſias ſermonibus » & exhortationibus ſuis confirmans, monebat imprimis ut ſibi à pravis » hæreticorum opinionibus caverent, quæ tunc primùm in lucem emer» gere cùm cœpiſſent, copioſiùs pullulabant. Hortatuſque eſt ut Apoſto« lorum traditionibus tenaciter inhærerent: quas quidem ad certiorem po» ſteritatis notitiam teſtimonio ſuo confirmatas ſcriptis mandare neceſſa» rium duxit. Unde Joannes Chryſoſtomus in Homilia, quam in laudem ipſius recitavit, eum præcipuè laudat, quòd ipſius Epiſcopatus omni» bus Eccleſiis & Orientis & Occidentis profuerit. Quartam, inquit, » coronam adjungam quæ ſe nobis offert ex hoc Epiſcopatu. Quænam » eſt iſta? quòd ipſe nimirum patriam noſtram gubernavit. Siquidem » eum quem toti orbi terrarum præfecit, Petrum, cui claves cœlorum » dedit, cujus arbitrio & poteſtate cuncta permiſit, hunc ibi longo tem» pore juſſit commorari. Quamobrem univerſo orbi ex altera parte » reſpondet civitas noſtra. Et infra: Quemadmodum Judæi cùm Paulum » vinctum Romam mittendum curarunt, opinati ſunt illum ſe ad mortem » mittere, attamen Judæis illic habitantibus miſerunt præceptorem: ſic » etiam planè in Ignatio factum eſt. Neque enim ſolis Romæ habitanti» bus, verum etiam omnibus in toto illo itineris ſpatio civitatibus inter» jectis admirabilis magiſter extitit, præſentem vitam contemnendam do» cens, & ea quæ cernuntur, pro nihilo ducenda, futura autem diligenda, » & oculos in cœlum tollendos, nihilque quod in hac vita poſſit accide» re, quantumvis grave, formidandum. Hæc enim & his plura reipſa » factiſque comprobans iter faciebat, *tanquam ſol quidam ab Orien» te exoriens, & ad occaſum currens; imò verò ſole ipſo multò ſplendidior.* » Sol enim è ſuperioribus partibus currebat ſenſibilem oculis lucem im» pertiens: Ignatius autem deorſum ſplendebat, intelligibile doctrinæ

lumen animis infundens. Et ille quidem in Occidentis partes inferiores « deſcendens abſconditur ac noctis tenebras confeſtim obducit. Hic autem ad occaſus partes accedens, ſplendidiùs in illis eluxit, & de omnibus in tota illa via eſt optimè meritus; cumque Romam perveniſſet, « jam ipſam urbem docuit philoſophari. Et paulò poſt. Vos per gratiam « Dei nulla amplius egebatis inſtitutione, cùm eſſetis in fide radicati & fundati. At illi qui Romæ tunc habitabant, cùm illic magna vigeret impietas, « majore auxilio indigebant. «

CAPUT II.

De Polycarpo Apoſtolorum Diſcipulo, & Smyrnæorum Epiſcopo.

IRenæus teſtatur non ſolùm Smyrnæorum Eccleſiam, ſed omnes quæ erant in Aſia Eccleſias ab ipſo fuiſſe edoctas. Sic libr. III. adverſus hæreſes cap. III. Et Polycarpus autem non ſolùm ab Apoſtolis edoctus, « & converſatus cum multis ex eis qui Dominum noſtrum viderunt: Sed « etiam ab Apoſtolis in Aſia in eâ quæ eſt Smyrnis Eccleſiâ conſtitutus « Epiſcopus, quem & nos vidimus in prima noſtra ætate. Multum enim « perſeveraverat, & valde ſenex glorioſiſſimè & nobiliſſimè martyrium « faciens exivit de hac vita. Hic docuit ſemper quæ ab Apoſtolis didicerat, quæ & Eccleſiæ tradidit, & ſola ſunt vera. Et teſtimonium his « perhibent quæ ſunt in Aſia Eccleſiæ omnes. Quod idem luculentiùs declarat epiſtola Eccleſiæ illius quam Polycarpus regebat nomine ad Eccleſias Ponti ſcripta de ipſius martyrio apud Euſebium lib. IV. hiſtor. Eccl. cap. XV. Polycarpus ſe Chriſtianum eſſe profeſſus eſt. Quo audito ſtatim univerſa multitudo gentilium ac Judæorum qui Smyrnam « incolebant, incredibili furore & ingenti ſtrepitu acclamavit: *hic eſt* « *doctor Aſiæ, & pater Chriſtianorum.* «

Quare ipſi tanquam viro Apoſtolico, fideliſſimo ac celeberrimo Eccleſiæ paſtori gregem Antiochenæ Eccleſiæ à S. Ignatio commendatum eſſe refert Euſebius libr. III. cap. XXXVI. his ſcilicet verbis: Iiſdem « temporibus florebat in Aſia Polycarpus Apoſtolorum diſcipulus, qui à « familiaribus ac miniſtris Domini, Smyrnenſis Eccleſiæ Epiſcopatum acceperat &c. Quem cùm Apoſtolicum virum eſſe planè cognoſceret, ipſi « tanquam bonus ac fidelis paſtor, gregem Antiochenæ Eccleſiæ commendavit: rogans ut omni curâ ac diligentiâ illum fovere vellet. «

Unde Hieronymus in catalogo ſcriptorum Eccleſiaſticorum de tanto viro hæc ſcribit: *Polycarpus Ioannis Apoſtoli diſcipulus, & ab eo Smyrnæ Epiſcopus ordinatus, totius Aſiæ princeps fuit.*

Sic primi Epiſcopi Apoſtolorum diſcipuli ceteros alios ſuo exemplo docuerunt hoc maximæ eſſe charitatis antiſtitum Eccleſiæ, ut non de illa tantùm quæ à Spiritu ſancto illis commiſſa eſt, ſed etiam, quantùm poſſint, de quavis in orbe terrarum conſtitutâ ſolliciti ſint.

CAPUT III.

De Dionyſio Corinthiorum Epiſcopo.

„ EUſebius libr. IV. hiſt. cap. XXIII. Ac primùm quidem de Dionyſio „ dicendum eſt, qui Corinthiorum Eccleſiæ epiſcopatum geſſit, nec ſo„ lùm populis ſibi commiſſis, verùm etiam aliarum regionum & urbium in„ colis, divinos labores prolixè communicavit: omnium commodis utilita„ tique inſerviens, in catholicis illis, quas ad diverſas Eccleſias ſumpſit, „ epiſtolis.

„ Hieronymus in catalogo ſcriptorum Eccleſiaſticorum. Dionyſius Co„ rinthiorum Eccleſiæ Epiſcopus tantæ eloquentiæ & induſtriæ fuit, ut non „ ſolùm ſuæ civitatis & provinciæ populos, ſed & aliarum urbium & pro„ vinciarum Epiſcopos epiſtolis erudiret.

CAPUT IV.

De Theophilo Antiochenſium Epiſcopo, & de pluribus aliis tunc temporis totius Eccleſiæ luminibus.

„ EUſebius libr. IV. cap. XXIV. Porro cùm nihilo minus hac etiam „ tempeſtate hæretici zizaniorum inſtar ſinceram Apoſtolicæ doctrinæ „ ſementem labefactarent, Eccleſiarum toto orbe paſtores, eos tanquam „ feras atque immanes belluas ab ovili Chriſti fugare atque arcere pro„ perabant: partim hortando & commonendo fratres, partim adverſus ip„ ſos hæreticos fortiter colluctando: quos vel propoſitis cominùs inter„ rogationibus & confutationibus vivâ duntaxat voce; vel libris accura„ tiſſimè conſcriptis opiniones eorum refellentes, confutabant. Theophi„ lus igitur unà cum ceteris adverſus illos hæreticos depugnavit &c. „ Inter ceteros illos Epiſcopos, hi ſummâ laude viguerunt, Philippus „ Gortinenſis Eccleſiæ Epiſcopus, Melito Sardianus, & Apollinaris Hie„ rapolitanus Epiſcopi, quorum labores Eccleſiæ Catholicæ utiliſſimos unà „ cum ipſorum elogiis recenſet Euſebius cap XXV. XXVI. XXVII. ejuſ„ dem libri.

CAPUT V.

De Serapione Antiocheno Epiſcopo.

DE communi Eccleſiæ cauſa tantam adhibuit curam Serapio vir egregiæ virtutis & doctrinæ, ut non dubitarent complures Epiſcopi clariſſimi ejus epiſtolis ſive cenſuris Eccleſiaſticis ſubſcribere. Teſtis eſt epiſtola, quam ad Caricum & Ponticum ſcripſit adverſus Cataphry-

Digitized by Google

garum hæreſim, & de qua hęc refert Euſebius libr. v. hiſt. Eccleſ. cap. xix. In eadem Serapionis epiſtola leguntur ſubſcriptiones variorum « Epiſcoporum. Quorum unus ſubſcripſit in hunc modum: Aurelius Cyre- « nius martyr opto vos bene valere. Alter autem hoc modo: Ælius Pu- « blius Julius Develti coloniæ Thraciæ Epiſcopus: teſtor Deum qui in « cœlis eſt, quòd beatus Sotas qui eſt Anchiali, dæmonium Priſcillæ eji- « cere voluit, ſed Hypocritæ nequaquam permiſerunt. Sed & aliorum « complurium Epiſcoporum idem cum illis ſentientium ſubſcriptiones pro- « priis ipſorum manibus appoſitæ, in illâ quam dixi epiſtolâ leguntur. «

CAPUT VI.

De Irenæo Lugdunenſis Eccleſiæ Epiſcopo, & de aliis Epiſcopis.

NOn ſolùm ſuæ Eccleſiæ, ſed & omnium Eccleſiarum utilitati pacique conſuluiſſe probant literæ, de quibus ita Euſebius libr. v. hiſt. Eccleſ. cap. xxiv. Verùm hæc non omnibus placebant Epiſcopis. « Proinde victorem ex adverſo hortati ſunt, ut ea potius ſentire vellet « quæ paci & unitati charitatique erga proximum congruebant. Exſtant « etiamnum eorum literæ, quibus victorem acerbiùs perſtringunt. Ex quo- « rum numero Irenæus in epiſtola quam ſcripſit nomine fratrum quibus « præerat in Gallia &c. Victorem tamen decenter admonet, ne integras « Dei Eccleſias morem ſibi à majoribus traditum cuſtodientes, à com- « munione abſcindat. Et infrà. Ac Irenæus quidem nomini ſuo verè « reſpondens, nec ſolo nomine ſed etiam vitæ inſtituto ac propoſito paci- « ficus, pro Eccleſiarum pace hæc monuit & allegavit. «

Quamobrem Irenæus præ ceteris tanquam Eccleſiæ Gallicanæ paſtor vigilantiſſimus laudatur à Theodoreto dialog. I. *Audi viros Apoſtolicam ſonantes doctrinam. Noſti Irenæum, qui Polycarpi auditor & diſcipulus fuit, & præcipuum lumen Gallorum Occidentalium.*

CAPUT VII.

De Narciſſo & Alexandro Epiſcopis Hieroſolymorum.

EUſebius libr. vi. hiſt. cap. xi. Viſione tanquam divino admoni- « tus oraculo Alexander, cùm ex Cappadocia in qua primùm Epiſco- « pus fuerat ordinatus, Hieroſolyma profectus fuiſſet, tùm orandi, tùm « locorum viſendorum gratiâ: fratres illius Eccleſiæ humaniſſimè eum ex- « cipientes, reverti poſthæc in patriam non ſiverant. Alia quippe reve- « latio etiam ipſis per ſomnum viſa fuerat, & vox quædam evidentiſſi- « ma, ab iis qui ſanctitate inter ipſos eminebant, audita. Significabat « enim ipſis ut extra portas civitatis egreſſi, deſtinatum ſibi à Deo Epiſ- « copum ſuſciperent. Quod cùm illi conſentientibus vicinarum Eccleſia- «

» rum Epiſcopis feciſſent, manere deinceps eum apud ſe coëgerunt. Sanè » idem Alexander in ſuis ad Antinoitas epiſtolis quæ etiamnum exſtant, Epiſ- » copatus quem cum Narciſſo collega geſſit, meminit his verbis quæ ad » calcem epiſtolæ leguntur. Salutat vos Narciſſus, &c. qui unà mecum de » rebus Eccleſiæ ſollicitus, hortatur vos mecum ut idem omnes ſentiatis. Ex tranſlatione Epiſcopatus Alexandri, ſed præſertim ex precibus Alexandri & Narciſſi pro rebus Eccleſiæ, colligo utrumque quantùm in ſe fuerit omnium Eccleſiarum utilitati providiſſe, ſecundùm illud quod Joannes Chryſoſtomus profert in laudem Euſtathii Antiocheni: ex ip- » ſiuſmet verbis: Si enim, inquit, pro univerſa Eccleſia fundendæ ſunt » preces, quæ à finibus ad fines uſque pertinet orbis terrarum, multò » magis & ejus univerſæ gerere curam oportet, & de omnibus pariter eſſe » ſolicitum, omnibus providere.

CAPUT VIII.

De Babyla Antiocheno Epiſcopo.

PRæclara eſt oratio Joannis Chryſoſtomi adverſus Gentiles, in qua probat philoſophorum facta, quæ Greci tantopere jactitant, nullam prorſus mereri laudem, ſi cum virtute Babylæ Epiſcopi comparentur, qui optimum ceteris Epiſcopis reliquit exemplum; quô diſcant Eccleſiæ antiſtitem publica utilitate debere omnia ſua facta metiri: peneſque eum reſidere totius orbis curam ac prefecturam. Sic verò disertè iſta deſcribit Joannes Chryſoſtomus in libro de S. Babyla & adverſus gen- » tiles. Magnus quidam atque admirabilis vir, ſi modo viri nomine » deſignare illum fas eſt, noſtri hujus gregis curam gerebat. Babylas huic » nomen erat. Is igitur per eos dies Chriſti Eccleſiam à Spiritus gratia » ſibi concreditam quum haberet, Heliam atque hujus æmulum Joannem » non dico præteriit, ne invidioſo admodùm verbo utar, ſed uſque adeo » eſt aſſecutus, ut ne tantillum quidem illorum generoſorum pectorum liber- » tati conceſſerit. Neque enim paucarum civitatum tetrarcham, neque » gentis unius regem, ſed eum qui imperio ſuo plurimam totius orbis par- » tem contineret, ipſum hunc, inquam, homicidam, de quo nobis eſt » ſermo, eundem multarum, immenſi item exercitus Dominum, eundem, » quoquo te vertas, tùm ab imperii amplitudine tùm à morum ferocitate » terribilem, quaſi vile quoddam ac nullius pretii mancipium ſic à Dei » templo Dei exegit: tanta adeò cum conſtantia atque animi præſentia, » cum quanta paſtor ſcabioſam ac morbidam ovem ab ovili excludit, dum » prohibet ne laborantis ovis morbus ad reliquum quoque gregem conta- » gione ſerpat. &c. Ergo ipſum imperatorem ſtatim is qui illius impe- » rio parebat rexit, & ei, qui omnium dominator erat, ſubditus jura de- » dit. &c. Cetera illa quæ Greci jactabundè efferunt, Philoſophis ſuis » attribuentes, facilè commonſtrant vanam gloriam, temeritatem, &

Digitized by Google

puerilis cogitationis opera eſſe. Neque enim temerè apud nos dolio «
quis accepto ſe ipſe incluſit, neque vili ac lacero panno obtectus ſic per «
forum ingreſſus eſt. &c. Labor enim is, ex quo nullum lucrum manat, «
nullam prorſus laudem meretur. Etenim exiſtunt etiam hodie quidam «
homines, quorum alii acutos clavos comedunt, alii calceos mandunt & «
deglutiunt: alii ad alia his longè flagitioſiora male conſulti ſe conferunt. «
Opera porro hujuſmodi multò ſunt admirabiliora, quàm vel dolium il- «
lud, vel panni illi viles ac laceri; ſed ea tamen minimè probamus &c. «
Bonum enim virum oportet publica utilitate facta ſua omnia metiri, & «
aliorum vitam emendatiorem reddere. &c. Age verò num quoddam lu- «
crum Babylæ libertas peperit? Tum enim injurium imperatorem, qua- «
tenus ſacerdoti fas eſt, punivit: principum altos compreſſit: divinis le- «
gibus, dum violarentur, opem tulit: ſupplicium pro injuſtè occiſo exe- «
git ſuppliciorum omnium graviſſimum iis quidem certè qui mente ſana «
ſunt. &c. Itaque eò noſtra redeat, unde aberravit oratio. Ergo Baby- «
las, ut dictum eſt, tum eos qui nondum Chriſti fidem receperant, com- «
peſcuit: tum eos, qui jam receperant, religioſiores etiamnùm reddidit, «
non privatos homines modò, ſed & milites & militum duces & præ- «
fectos &c. Futurorum poſthac & ſacerdotum & regum animos, horum «
quidem demiſit, illorum autem extulit, planum faciens totius terræ & «
eorum, quæ in terra fiunt, curam ac præfecturam veriſſimè reſidere pe- «
nes Epiſcopum. «

CAPUT IX.

De Cypriano Eccleſiæ Carthaginenſis Epiſcopo.

PReſbyteri & Diaconi Romæ conſiſtentes in epiſtola quam Cypria-
no ſcribunt, ita illius vigilantiam erga omnes Eccleſias commen-
dant. Quod autem pertinet ad Privatum Lambeſitanum pro tuo more «
feciſti, qui rem nobis ſollicitam nunciare voluiſti. Omnes enim nos «
decet pro corpore totius Eccleſiæ, cujus per varias quaſque provincias «
membra digeſta ſunt, excubare. In hunc locum iſtius epiſtolæ xxx. «
edit. Rigalt. vir. Clariſſimus iſta animadvertit: *Hæc, inquit, pertinent ad ſollicitudinem Cypriani erga omnes Eccleſias, & ad unum Epiſcopatum.*

Porro hujus ſollicitudinis communis ratio eſt unitas Eccleſiæ, quam pluribus in locis deſcribit S. Cyprianus, ac præſertim in epiſtola LV. ad Antonianum de Cornelio & Novatiano. Et cùm ſit à Chriſto una Ec- «
cleſia per totum mundum in multa membra diviſa, item Epiſcopatus «
unus, Epiſcoporum multorum concordi numeroſitate diffuſus. Et libro «
de unitate Eccleſiæ Catholicæ: *Epiſcopatus unus eſt, cujus à ſingulis in ſolidum pars tenetur.*

Eadem ratio mirificè exponitur in epiſtola, quæ inter epiſtolas Cy-

« priani inſcribitur LXVII. Idcircò enim, frater cariſſime, copioſum
» corpus eſt ſacerdotum concordiæ mutuæ glutino atque unitatis vinculo
» copulatum, ut ſi quis ex collegio noſtro hæreſim facere, & gregem
» Chriſti lacerare & vaſtare tentaverit, ſubveniant ceteri, & quaſi paſto-
» res utiles & miſericordes oves dominicas in gregem colligant. Et pau-
» lò poſt. Nam etſi paſtores multi ſumus, unum tamen gregem paſcimus,
» & oves univerſas quas Chriſtus ſanguine ſuo & paſſione quæſivit, col-
» ligere & fovere debemus.

Quantùm verò S. Cyprianus ſtuduerit totius Eccleſiæ bono conſulere, & univerſas oves, quas Chriſtus ſanguine ſuo & paſſione redemit, colligere & fovere, S. Gregorius Nazianzenus eximiè prædicat in oratione
» XVIII. quam in laudem ipſius habuit. Paſtor, inquit, deinde creatur,
» ac paſtorum optimus & probatiſſimus. Neque enim Carthaginenſi tan-
» tùm Eccleſiæ, nec Aphricæ ab eo & propter eum nunc claræ & cele-
» bri præficitur; verùm etiam Occiduis omnibus regionibus, ac prope
» etiam Orientali omni atque Auſtrali & Septemtrionali oræ.

CAPUT X.

De Venantio à Timiſa, & Claro à Muſcula Epiſcopis.

IN Concilio Carthaginenſi de baptizandis hæreticis apud S. Cypria-
» num. Confeſſor Venantius à Timiſa dixit: Si maritus peregrè pro-
» ficiſcens amico ſuo commendaſſet uxorem ſuam cuſtodiendam; commen-
» datam ſibi ille quantâ poſſet diligentiâ conſervaret, ne ab aliquo caſti-
» tas ejus & ſanctitas adulteraretur. Chriſtus Dominus & Deus noſter
» ad patrem proficiſcens ſponſam ſuam nobis commendavit.
» Confeſſor Clarus à Muſcula dixit: Manifeſta eſt ſententia Domini
» noſtri Jeſu Chriſti Apoſtolos ſuos mittentis, & ipſis ſolis poteſtatem à pa-
» tre ſibi datam permittentis, quibus nos ſucceſſimus, eadem poteſtate Ec-
» cleſiam Domini gubernantes. Itaque hi Epiſcopi de ſeipſis non dubitant apertè teſtari Eccleſiam Domini fuiſſe ſibi commendatam; eademque poteſtate, quâ Apoſtoli quibus ſucceſſerunt, eſſe gubernandam.

CAPUT XI.

De Dionyſio Eccleſiæ Alexandrinæ Epiſcopo.

IN ſuis epiſtolis, quarum nobis ſuperſunt fragmenta pretioſiſſima, ubique ipſe ſignificat quanto flagraret ſtudio ad procurandam pacem, omniumque Eccleſiarum utilitatem. Sed ſuæ erga univerſam Eccleſiam vigilantiæ præcipuum eſt argumentum epiſtola illa, in qua ut Novatum à ſchiſmate pernicioſiſſimo deterreat, eum monet Eccleſiæ præſuli non glorioſum eſſe pro ſuâ unius animâ, ſed pro omni Eccleſiâ martyrium pa-

Digitized by Google

pati. Sic apud Euſebium libro VI. Eccl. hiſt. cap. XLV. Immò illud meo « quidem judicio illuſtrius fuiſſet. Hîc enim pro ſuâ unius anima : illic pro « omni Eccleſiâ martyrium quis ſuſtinet. «

CAPUT XII.

De Euſebio Eccleſiæ Cæſarienſis Epiſcopo.

COnſtantinus Imperator in epiſtola ad Euſebium, quam ille refert « libr. III. de vita Conſtantini cap. LXI. Tu quidem beatum te in « hoc ipſo exiſtimare debes, qui totius propemodùm orbis teſtimonio, « *dignus univerſæ Eccleſiæ Epiſcopatu judicatus ſis.* Nam cùm omnes te « apud ſe Epiſcopum eſſe ambiant, hanc tuam felicitatem ſine controver- « ſia adaugent. «

Vetus auctor in paſſione ſancti Valeriani. Celebre enim habetur, « ſanctæ recordationis Euſebium hiſtoricum, Cæſarienſis urbis Epiſco- « pum, egregiæ vitæ beatiſſimum ſacerdotem, Eccleſiaſticâ quoque inſti- « tutione doctiſſimum, & præcipuâ ſollicitudine venerandum per omnem « orbem &c. Dei itaque gratiam toto orbe diffuſam fidelis cultor excoluit, « dum velut exiguo tritici ſemine copioſæ meſſes agri fertilitate gignuntur, « & multiplicatâ ubertate proficiunt. «

CAPUT XIII.

De Oſio Eccleſiæ Cordubenſis Epiſcopo.

AThanaſius in apologia de fuga ſua. Nam de magno & graviſſimæ « ætatis viro, eodemque confeſſore Oſio, qui verè Oſius, id eſt « ſanctus, ſuperfluum arbitror mentionem facere. Non enim quicquam « latere poteſt in viro illo tantæ claritudinis. *In qua enim ſynodo ille non* « *dux & anteſignanus fuit?* Quem non ille recta tuendo in ſententiam ſuam « pertraxit? *Quæ Eccleſia illius præſidentiæ non pulcherrima monumenta re-* « *tinet.*

In epiſtola ad ſolitariam vitam agentes. Neque *quod pater eſſet Epiſ-* « *coporum*, reveriti ſunt.

CAPUT XIV.

De Lucifero Calaritano, & Euſebio Vercellenſi Epiſcopis.

SOcrates libr. III. Eccleſ. hiſtor. cap. V. Eodem tempore Lucifer & « Euſebius, Imperatoris juſſu ab exilio revocati ſunt: quorum Lucifer « quidem, Calaris quæ urbs eſt Sardiniæ, erat Epiſcopus : Euſebius verò « Vercellarum, quæ civitas eſt Ligurum in Italia, ut etiam antea dixi. Ambo «

B

„ itaque ex ſuperiori Thebaide ab exilio redeuntes , conſilium inter ſe inie-
„ runt, quonam modo Eccleſiaſticis legibus ſubvenirent, nec eas violari im-
„ punè paterentur. Et cap. VI. Placuit igitur, ut Lucifer quidem Antio-
„ chiam proficiſceretur; Euſebius autem Alexandriam: ut unà cum Athanaſio
„ Synodum congregantes Eccleſiæ dogmata confirmarent.
„ Ruffinus libr. XI. hiſt. cap. XXX. Euſebius verò circumiens *Orientem at-*
„ *que Italiam medici pariter & Sacerdotis fungebatur officio*; ſingulas quaſ-
„ que Eccleſias adjuratâ infidelitate, ad ſanitatem rectæ fidei revocabat, &c.
„ Itaque duo iſti viri velut magnifica quædam mundi lumina, Illyricum, Ita-
„ liam, Galliaſque ſuo ſplendore radiarunt.

Quamvis nimiam Luciferi ſeveritatem valdè doleamus, non poſſumus tamen non laudare amorem, quo uterque flagraret, ut non ſolùm in propria, ſed & in omni Eccleſiâ fides morumque ſanctitas conſervaretur atque confirmaretur.

CAPUT XV.

De Hilario Pictavienſi Epiſcopo.

„ SEverus Sulpitius libr. II. hiſtoriæ ſacræ. Illud apud omnes conſtitit,
„ *unius Hilarii beneficio Gallias noſtras piaculo hæreſis liberatas.*
„ Fortunatus in libro I. de S. Hilarii vita. Quo cognito de S. Hilario,
„ quoniam tantum, etſi voluiſſet, latere non potuit: quippe neceſſarium,
„ ut alienas tenebras in lucem transferret: concordante favore populi, aut
„ potiùs Dei ſpiritu proclamante, vir olim myſteriis deputatus, aliquando
„ ſacris altaribus ſacerdos electus eſt. Creſcebat in eo quotidiè opinio, fa-
„ mulatrix virtutum: nec erat fama ejus contenta, *circumjectas tantùm*
„ *Gallias illuſtrare, ſed exteras nationes & Reges implebat, meritorum gratiâ*
„ percurrente: idque actum eſt, ut *in toto orbe velociter beati pontificis glo-*
„ *ria militaret.* Et poſteà: Nam penè *totum mundum gravi errore confu-*
„ *ſum*, factis ſæpius in Gallia Synodis, *per Hilarium fuiſſe ad viam* ve-
„ ritatis adductum, confitetur lingua multorum. Et infrà: Ipſe conditi
„ ſal ingenii, fons loquendi, theſaurus ſcientiæ, lux doctrinæ, defenſor Ec-
„ cleſiæ, hoſtium oppugnator.

CAPUT XVI.

De Philogonio Eccleſiæ Antiochenæ Epiſcopo.

„ JOannes Chryſoſtomus in homilia de beato Philogonio. Quantum
„ autem ſit pietatis argumentum, quòd Deus Philogonium tanto magiſtratu
„ dignum judicarit, audi, quid Chriſtus excitatus à morte dicit Petro. Poſt-
„ quam enim illum interrogaſſet, Petre amas me? Iſque reſpondiſſet: Tu
„ Domine ſcis quod amo te: non dixit Chriſtus, abjice pecunias, jejunium
„ exerce, macera te laboribus, mortuos excita, dæmones abige, nihil vel

Digitized by Google

ſtorum vel aliorum miraculorum rectéque factorum in medium adduxit; ſed omnibus illis prætermiſſis dicit illi: Si diligis me, paſce oves meas. Itaque ſi quis voluerit illi commendatus eſſe, *curam habeat ovium illius, publicam quærat utilitatem, fratrum ſuorum ſaluti proſpiciat*: Nullum enim officium hoc Deo charius eſt. & ob id alibi dicit: Simon, Simon expetivit te ſatanas, ut cribraret te tanquam triticum, ſed ego rogavi pro te ne deficiat fides tua. Quod igitur hujus ſollicitudinis curæque præmium mihi rependis? Sed quam tandem poſcit repenſationem? Eandem curam, quam nobis impendit, repoſcit. Nam & tu, inquit, aliquando converſus confirma fratres tuos. Sic & Paulus ait: Imitatores mei eſtote, ſicut & ego Chriſti. Quomodò factus Chriſti imitator? Omnibus per omnia placens, non quærens ſuam ipſius utilitatem, ſed multorum, ut ſalvi fierent. Rursùs alio loco dicit: Etenim Chriſtus non ſibi ipſi placuit, ſed multis: neque prorsùs alia res eſt, quæ perindè declaret doceatque, quis ſit fidelis & amans Chriſti, quàm ſi fratrum curam agat, proque illorum ſalute gerat ſollicitudinem. Affirmat itaque Joannes Chryſoſtomus maximum pietatis & charitatis Philogonii eſſe argumentum; quód ipſi ſicut Petro oves Chriſti commiſſæ fuerint. Quare quemlibet hortatur, ut ſi quis voluerit Deo eſſe commendatus, curam habeat ovium Chriſti: publicam quærat utilitatem: eademque charitate, quâ Petrus, omnium fratrum ſuorum ſaluti proſpiciat. Unde omnes charitate præſtantes Epiſcopos vocat Petri ſucceſſores, quibus ſicut Petro, Chriſtus oves ſuas commiſit. Sic enim libr. II. de ſacerdotio cap. I. Neque enim tum volebat teſtatum eſſe, quantùm à Petro amaretur; ſiquidem id multis nobis argumentis conſtabat: verùm hoc ille tùm agebat, ut & Petrum & ceteros nos edoceret, quantâ benevolentiâ ac charitate erga ſuam ipſe Eccleſiam afficeretur: ut hac ratione & nos quoque ejuſdem Eccleſiæ ſtudium curamque toto animo ſuſciperemus. Quanam item de cauſa idem ille ſanguinem effudit ſuum, *Certè ut oves eas acquireret, quarum curam tum Petro tum Petri ſucceſſoribus committebat.* Jure igitur ac meritò ſic loquebatur Chriſtus, Quiſnam fidelis ſervus & prudens, quem Dominus ſuper familiam ſuam conſtituit.

CAPUT XVII.

De Euſtathio Eccleſiæ Antiochenæ Epiſcopo.

JOannes Chryſoſtomus in homilia de S. Euſtathio. Illo itaque tempore Eccleſiam, quæ apud nos eſt, regebat beatus iſte, ac morbus exortus eſt quaſi peſtis quædam infeſta ab Ægypti regionibus, qui per urbes interjectas graſſatus in noſtram urbem impetum facere properabat. At ille vigilans & attentus; omniaque prævidens quæ imminebant, ingruens bellum arcebat: & tanquam ſapiens aliquis medicus priuſquam morbus urbem, in quâ reſidebat, invaſiſſet, medicamenta comparabat, ac ſacram hanc navem multâ cum ſecuritate gubernabat; quoquoverſus circumcur-

„ ſans, nautas, vectores, navigantes omnes concitans & curans, ut vigilarent „ & attenderent, quaſi jam inarderent eam piratæ, ac fidei theſaurum contenderent deprædari. Neque verò hic tantùm hanc curam adhibuit, ſed in omnes partes mittebat, qui docerent, qui cohortarentur, qui diſputarent, qui hoſtibus aditum omnem intercluderent. *Probè ſiquidem à ſpiritus gratiâ fuerat edoctus Eccleſiæ præſulem non de illa tantum ſollicitum eſſe debere, quæ à ſpiritu ſancto illi commiſſa eſt, ſed etiam de quavis in orbe terrarum conſtitutâ; atque hoc ille ſacris è precibus colligebat. Si enim pro universâ Eccleſiâ, inquit, fundendæ ſunt preces, quæ à finibus ad fines uſque pertinet orbis terrarum, multò magis & ejus universæ gerere curam oportet, & de omnibus pariter eſſe ſollicitum, omnibus providere.*

Joannes Chryſoſtomus poſteà inquirens, cur Deus permiſerit Euſtathium è ſua Eccleſia expelli; reſpondet eandem eſſe rationem, propter quam Apoſtoli, qui è ſua patria expulſi omnia virtute vicerunt: totiuſque orbis magiſtri effecti ſunt. Sed Chryſoſtomum audiamus, qui iſta „ ſic egregiè profert: Verumenimverò dicendum nobis eſt, quâ de causâ „ permiſerit illum Deus hinc expelli. Reſpirare cœperat non ita pridem „ Eccleſia, neque mediocrem ipſi conſolationem illius regimen afferebat: „ undique illam muniebat, & hoſtium impetus propulſabat. Cur igitur „ eſt ejectus, & hoc illis permiſit, qui hinc eum ablegarunt, Deus? Quam „ tandem ob cauſam? &c. Verè namque ſive cum paganis, ſive cum miſeris „ Judæis diſſeramus, ad divinam virtutem oſtendendam hoc ſufficit, quod „ infinitis exagitata bellis fides ſuperaverit, & universo terrarum orbe repugnante, cunctiſque duodecim illos homines magnâ contentione repellentibus: Apoſtoli, inquam, illi brevi tempore virgis cæſi, vexati, innumera mala perpeſſi eos, à quibus hæc inferebantur, potuerint proſpero ſucceſſu devincere. Propterea beatum etiam Euſtathium in exilium abduci permiſit Deus, ut veritatis nobis virtutem, & hæreticorum imbecillitatem ampliùs demonſtraret. Itaque peregrè profecturus urbem quidem dimittebat: *at charitatem non* dimittebat: neque quòd ab Eccleſia expellebatur, à præſulis etiam munere, vel à cura veſtri, quam gerebat, alienum ſeipſum putabat, ſed tum ampliùs curabat & ſollicitus erat. „ Ideò vocatos omnes admonebat, ut ne ſuccumberent, neve lupis cederent, aut illis gregem proderent, ſed intus manerent: ut os illis obſtruerent, eos convincerent, ac ſimpliciores fratres confirmarent.

„ Et paulò poſt in hæc verba Apoſtoli: Attendite vobis, & universo „ gregi. His, inquit, inſtructus cùm fuiſſet beatus Euſtathius diſcipulos „ ſuos admonebat: Quæ nimirùm ſapiens hic quoque, ac generoſus magiſter cùm audiiſſet, opere ſermonem implevit.

„ Sozomenus libr. v. Eccleſ. hiſtor. cap. XIII. Hunc Euſtathius, is qui „ olim Antiochenam Eccleſiam rexerat, ordinavit. Namque is, cùm Jovianus ipſum ab exilio revocaſſet, clam eo tempore Conſtantinopoli morabatur, homouſianos docens, atque exhortans ut in eadem de divinitate „ ſententiâ permanerent.

Digitized by Google

CAPUT XVIII.

De Athanaſio Eccleſiæ Alexandrinæ Epiſcopo.

S. Baſilius in epiſtola LII. *Tantam geris omnium Eccleſiarum curam, quantam ejus, quæ tibi peculiariter à Domino noſtro credita eſt.*

In epiſtola XLVIII. Arbitramur prudentiæ tuæ eſſe, ut excellentem de conſervandis Eccleſiis ſollicitudinem habeat. Ad Occidentales Epiſcopos mitte, qui calamitates, quibus occupamur ac premimur, illis exponant: inſtrue illos formâ narrandi, quâ utantur: eſto Samuel Eccleſiis.

Deinde rogat eum, ut de Eccleſia Antiochena curam gerat, quaſi ipſius Eccleſiæ proprius eſſet Epiſcopus. Antiochenæ ſanè Eccleſiæ ſtatus manifeſtè à tua pietate pendet, ut alios quidem ædifices: alios verò compeſcas, atque Eccleſiæ vires per unanimem conſenſum reſtituas. Quod enim juxta eos qui medicorum ſapientiſſimi ſunt, curandi initium ab illis ſumere debeas, qui periculoſiſſimè laborant, nemo eſt qui te meliùs intelligat. Cujus rei hanc ſuprà rationem protulit: Quis ad conſiderandam fratrum neceſſitatem condolentis affectu magis præditus? Quis univerſo Occidenti honorabili canicie venerabilior?

Gregorius Nazianzenus in oratione XXI. In magnum hunc ſacerdotum ordinem cooptatur, atque in eorum, qui appropinquanti Deo appropinquant, numerum aſcribitur: ſacroſanctæ ſtationis & ordinis honore afficitur: cunctiſque Eccleſiaſticorum graduum muneribus deinceps perfunctus (ut quæ media ſunt reſecem) Alexandrino populo, quod idem eſt ac ſi dixiſſem *univerſo terrarum* orbi præficitur.

Sozomenus libr. III. hiſt. Eccleſ. cap. XXI. Athanaſius igitur cùm in Ægyptum veniſſet, quotquot Arii opinionem tueri cognoverat, a ſacerdotio removit. Iis verò quos ipſe exploraverat, Eccleſiarum adminiſtrationem & concilii Nicæni fidem commendabat, admonens eos ut omni ſtudio eam retinerent. Idem quoque eo tempore feciſſe dicitur, cùm per alias provincias tranſiret, ſicubi fortè contigerat Eccleſias ab Arianis Sacerdotibus obtineri. Certè & hoc crimen ei objecerunt adverſarii, quod *in urbibus nullatenus ad ipſum pertinentibus ordinationes feciſſet.* Verùm cùm invitis adverſariis impetraſſet, & ob familiaritatem Conſtantis Auguſti nequaquam contemnendus videretur, majore quàm anteà in honore apud omnes erat.

Si Athanaſio glorioſum fuit, etquidem extrà limites ſuæ parochiæ ordinationes facere; quid non liceat quando id Eccleſiarum neceſſitas flagitat? Maximè cùm, inquit S. Epiphanius in epiſtola ad Joannem Epiſcopum Hieroſolymorum, *Nulla ſit diverſitas in ſacerdotio Dei, ubi utilitati Eccleſiæ providetur.* Nam etſi ſinguli Eccleſiarum Epiſcopi habent ſub ſe Eccleſias, quibus curam videntur impendere; tamen *præponitur omnibus charitas Chriſti, in qua nulla ſimulatio eſt.* Eſt apud Hieron. epiſt. 60.

CAPUT XIX.

De Epiſcopis Synodi Hieroſolymitanæ.

IN epiſtola Synodi Hieroſolymitanæ pro Athanaſio ſcriptâ ad Collegas per Ægyptum & Libyam conſtitutos, apud Sozomenum libr. III, „ hiſtor. Eccleſ. cap. XXII. Ecce enim nos qui Eccleſiaſticæ pacis causâ om- „ nia facimus, & qui cum dilectione veſtrâ conſpiramus, priores, illum „ complexi ſumus: & initâ cum eo communione, has ad vos ſalutationes & „ gratulationes noſtras per illum miſimus, ut intelligatis, nos charitatis vin- „ culo ei conjunctos eſſe.

CAPUT XX.

De Baſilio Cæſareæ Cappadociæ Epiſcopo, & VI. aliis.

„ BAſilius ipſe in epiſtola LXI. Quemadmodum nos concordiam & uni- „ tatem veſtram, quâ mutuò inter vos iſthic fruimini, inter propria nobis „ bona deputamus: ita & vos oportet in hiſce diſſidiis, quibus premimur, „ nobiſcum collaborare, ita ut non ideo mutuam inter nos cohæſionem, fa- „ ctâ propter locorum diſtantiam ſeparatione deſeramus: ſed quoniam „ ſpiritus communione vivimus, ad unius corporis conſenſum mutuò nos „ complectimur.

„ In epiſtola LXX. Dominus noſter Jeſus Chriſtus, quoniam omnem „ Eccleſiam Dei, ſuum ipſius corpus nominari voluit, & unumquemque „ noſtrûm alterius eſſe membrum declaravit, dedit quoque nobis, ut erga „ omnes juxta membrorum conſenſum amicè ſimus affecti. Quapropter „ etiamſi habitationibus alter ab altero quàm longiſſimè ſeparati, ratione „ tamen conjunctionis hujus propinqui ſumus invicem. Sic propter unitatem Eccleſiæ, S. Baſilius omnium Eccleſiarum etiam longiſſimè remotarum curam gerebat.

„ Gregorius Nazianzenus in orat. XX. Jam verò ipſius *erga Eccleſiam* „ *univerſam curæ ac præſidii* quanquam multa quoque alia indicia ſunt, li- „ bertas ad præſides, cùm alios, tùm potentiſſimos quoſque civitatis, con- „ troverſiarum diremptiones nequaquam ſuſpectæ, ſed ab ejus voce for- „ matæ ac conſtitutæ, modoque tanquam lege utentes, plura quidem ſpi- „ ritualia, ſed tamen corporea non pauca (nam id quoque ſæpenumerò „ ad animam tendit, per benevolentiam ſubigens, ac velut in ſervitutem „ trahens) pauperum alendorum, hoſpitum excipiendorum, virginum cu- „ randarum ſtudium, monaſticarum legum inſtitutiones partim ſcripto, „ partim voce traditæ, precum deſcriptiones, ſacrarii concinnitates, ea „ denique omnia, quibus quiſpiam verè Dei homo, ac Deo adjunctus, „ plebi prodeſſe queat. &c

Digitized by Google

Deinde quantùm Baſilii vigilantia omnes eas orbis partes, quas ſalutifera Chriſti doctrina pervagata eſt, comprehenderit, eleganter ita declarat. Nam cùm alii omnes id tantummodò, quod ante pedes eſt, videant, ſuaque ut in tuto ſint, laborent (ſi tamen id ſatis tutum eſſe poteſt) nec ulteriùs progrediantur, nec magni aliquid & ſtrenui vel cogitatione complecti, vel efficere queant: ipſe contrà, tametſi ceteris in rebus moderatus eſſet, hîc tamen modum haudquaquam tenet: verùm ſublato in altum capite, mentiſque oculis quoquoverſùm jactatis, *omnes eas orbis partes, quas ſalutifera Chriſti doctrina pervagata eſt, comprehendit.* Cumque videret magnam illam Dei hereditatem, ipſiuſque doctrinâ & legibus atque cruciatibus acquiſitam, gentem illam ſanctam, regium illud ſacerdotium, malè ſe habere atque in ſexcentas opiniones & errores diſtractum eſſe: Vineamque illam, quæ ex Ægypto, hoc eſt ex impiâ & caliginoſâ ignorantiâ, tranſlata & tranſplantata fuerat, atque ad tam immenſam pulchritudinem & magnitudinem pervenerat, ut terram univerſam operiret, ac ſupra montes & cedros aſſurgeret: hanc, inquam, à pravo & agreſti apro, id eſt à diabolo, labefactatam & pervaſtatam; haudquaquam ſatis eſſe judicavit, ſi hanc calamitatem tacitè deploraret, manuſque ad Deum duntaxat tolleret, ab eoque, ut urgentia mala depelleret, precibus contenderet, atque ipſe interea dormiret, verùm faciendum ſibi quoque putavit, ut opem afferret.

Quomodò verò id pręſtiterit, paulò pòſt exponit his verbis: Piam doctrinam literis conſignat, adverſariiſque colluctationibus & præliis ingentem hæreticorum audaciam frangit ac propulſat, eos quidem, qui manus conferre auſi fuerant, armis linguæ cominùs contundens: eos autem, qui procul ab eo diſſiti erant, ſagittis ex atramento confectis feriens, nihilo inferiore iis literis, quæ olim in tabulis inſculptæ ſunt: nec uni tantùm & exiguæ Judęorum nationi de cibis & potionibus, & caducis ſacrificiis, carniſque purgationibus; *ſed omnibus hominibus, atque omnibus orbis partibus, de veritatis doctrinâ, ex qua ſalus comparatur, leges ſtatuente.* Deinde, quoniam æquè imperfecta res eſt actio ſermone deſtituta & ſermo ab actione remotus, idcircò actionis ſubſidium ſermoni adjungebat, alios videlicet adiens, ad alios legationem mittens, alios accerſens, admonens, arguens, increpans, minis inſectans, probris inceſſens, pro gentibus, pro urbibus, pro ſingulis etiam hominibus certamen ſuſcipiens *omne ſalutis genus excogitans, undecunque medicinam morbo adhibens.* Ex quo liquet id verum eſſe quod ſuprà dicit in eadem oratione: Atque per unam Cęſarienſem civitatem univerſo terrarum orbi prælucet.

Gregorius Nyſſenus in oratione funebri de S. Baſilio. Paulus ab Hieroſolymis uſque ad Illyricum in orbem circumiens omnibus in medio habitantibus Evangelicum ſermonem prędicavit: & hujus oratio atque prædicatio omnem propemodùm terrarum orbem amplexa eſt, cùm etiam ipſa æque ac Pauli ſermones ab omnibus probaretur & expeteretur.

CAPUT XXI.

De Meletio Eccleſiæ Anthiochenæ Epiſcopo.

GRegorius Nyſſenus in oratione, quam habuit de funere magni Meletii, ſatis ſuperque oſtendit omnium Eccleſiarum utilitati providiſſe; quandoquidem omnes hortetur, ut hunc novum Apoſtolum, velut totius Eccleſiæ exercitus ducem, vel communis corporis ægrotantis medicum mortuum defleant. Auxit, inquit, nobis numerum Apoſtolorum novus Apoſtolus, qui cooptatus eſt in ordinem Apoſtolorum. Traxerunt enim ſancti ad ſe moribus conſimilem: athletam, athletæ: coronatum, coronati: animo caſtum, corde puri: præconem ſermonis, miniſtri ſermonis. Verſum pater quidem noſter Apoſtolici contubernii, & ad Chriſtum reſolutionis nomine beatus habendus eſt: nos vero miſerabiles: orbitas enim præmatura non ſinit, ut eo nomine beatos nos dicamus, quod tam bonum & commodum patrem nacti eramus. Illi melius erat per reſolutionem eſſe cum Chriſto: at nobis acerbum & moleſtum paterno præſidio, patrocinioque carere. Ecce enim tempus conſilii eſt, & conſilium dare ſolitus tacet. Bellum nos circumſtat, bellum hæreticum: & qui ducem ſe præbeat, nobis non eſt. Laborat infirmitatibus commune corpus Eccleſiæ, & medicum non invenimus.

Denique, ut Eccleſiæ caput amiſſum, eum deflendum eſſe cenſet his verbis: Nos capite privamur. Cum capite autem unà adempta ſunt honorata ac dignitate præſtantia ſenſuum noſtrorum inſtrumenta. Non amplius eſt oculus, qui cœleſtia contueatur; neque auris, quæ vocem divinam exaudiat: neque lingua illa purum veritatis donarium. Ubi dulcis illa oculorum ſerenitas? Ubi jucundus ille ac lepidus in labiis riſus? ubi comis illa & ad ſalutandum facilis dextera, quæ unà cum oris benedictione digitos intentare ſolebat?

Joannes Chryſoſtomus in Homilia de S. Meletio. Erant admirabilia ea, quæ tunc acciderunt. Paſtor abigebatur, & oves non diſpergebantur: gubernator expellebatur, & ſcapha non mergebatur: agricola fugabatur, & vitis plùs fructus ferebat. Quoniam enim vinculo charitatis eratis inter vos invicem colligati, non illatæ tentationes, non impendentia pericula, non viæ longitudo, non diuturnitas temporis, neque quidquam aliud vos potuit disjungere à beati paſtoris Meletii conſuetudine, ſed expellebatur quidem, ut eſſet procul à filiis: contigit enim contrarium. Magis enim vobis conſtringebatur vinculis charitatis, & cum ſecum univerſam accepiſſet civitatem, in Armeniam profectus eſt. Et erat quidem corpus poſitum in patria; mens verò & cogitatio, veluti à quibuſdam pennis elata in altum à Spiritus gratia, & apud vos perpetuò degens, univerſum hunc populum circumferebat in illius viſceribus. Quod ipſum quoque vobis uſu veniebat. Nam cùm hic ſederetis, & urbe circum-

cumſcriberemini, ſpiritu charitatis in Armeniam quotidiè evolantes, & « ſanctum vultum intuentes, & jucundiſſimam beatamque vocem exaudien- « tes, ſic revertebamini. Et propter hanc cauſam conceſſit Deus eum ſta- « tim expelli è civitate, ut ſic, ut dixi, oſtenderet Deus veſtram fidei fir- « mitatem inimicis, qui vos bello oppugnabant : & illius in docendo pe- « ritiam. &c. Et infrà : Sed ipſum quidem vocant literæ Imperatoris, « cùm Deus moviſſet Imperatorem. Vocant verò ipſum non in propin- « quum locum, ſed in ipſam Thraciam. Quamobrem? ut & Galatæ, & « Bithyni, & Cilices, & Cappadoces, & omnes, qui Thraciæ vicinas « regiones habitant, noſtra bona cognoſcerent : ut qui erant ubique terra- « rum Epiſcopi, tanquam in archetypum exemplar, in illius ſanctitatem « intuentes, & apertum exemplum ab eo accipientes, ſui in hoc munere « officii certiſſimam & clariſſimam haberent regulam, quemadmodùm « oporteat adminiſtrare & regere Eccleſias. Mira ergò Meletii charitas « Paſtoralis, qui in exilium pulſus nec oves dereliquit ſuas; ſed innumeras alias acquiſivit, factuſque eſt omnibus Epiſcopis exemplar, à quo diſcerent quemadmodum oporteret regere Eccleſias Dei.

Theodoretus libr. v. cap. III. Meletius verò, mortalium omnium « mitiſſimus, amanter & benignè compellans Paulinum, quoniam, inquit, « & mihi ovium iſtarum curam Dominus commiſit, & tu alias oves curan- « das ſuſcepiſti, oveſque inter ſe pietatis communione conſentiunt, greges « noſtros amicè conjungamus; & contentionem de præfectura dirima- « mus, oveſque in commune paſcentes, communem illis curam impen- « damus. «

Et cap. IV. Divinus autem Meletius Diodorum illum, cujus à me « jam facta eſt mentio, qui navem Eccleſiæ in graviſſima tempeſtate inco- « lumem ſervarat, Tarſi paſtorem deſignavit, Cilicumque gentem ejus cu- « ræ commiſit. Apameæ verò creavit Joannem, claro quidem illum ge- « nere ortum, ſed ſuâ magis quàm majorum virtute illuſtrem. Doctrinæ « enim pariter & vitæ ornamentis enituit. Hic tempore tempeſtatis con- « ſentientium ſecum in fide conventum gubernavit, adjutorem habens lau- « dabilem Stephanum, quem ipſum quoque divinus Meletius ad alia certa- « mina deſtinavit. Cum enim cognoviſſet Germaniciam Eudoxi peſte cor- « ruptam eſſe, ſanando morbo medicum hunc miſit, qui & Græcorum ar- « tes omnes didicerat, & ſacris diſciplinis à prima ætate fuerat inſtructus. « Neque eum certè ſpes fruſtrata eſt. Spiritalem enim doctrinam exhi- « bens lupos in oves mutavit. Quæ omnia planè demonſtrant, quanta « ipſius fuerit ſollicitudo erga omnes Eccleſias.

C

CAPUT XXII.

De Gregorio Patre Gregorii Theologi Eccleſiæ Nazianzenæ Epiſcopo.

» GRegorius Theologus in oratione XIX. Probè ſciebat vir ſpiritua-
» lis quæ ſpiritûs erant: ob idque demiſſos omnes & abjectos animi
» ſenſus abjiciendos eſſe judicabat, nec coitionibus & anticipatis opinioni-
» bus certandum, nec plus gratiæ, quàm Deo, tribuendum: *Sed unam*
» *tantùm Eccleſiæ utilitatem, ac communem omnium ſalutem ob oculos po-*
» *nendam.* Ac proindè literas ſcribebat, monebat, populum conciliabat,
» ſacerdotes cùm alios, tùm eos, qui altaris ſunt, obteſtabatur, decerne-
» bat, ordinabat etiam adhuc abſens; canitiei ſuæ hoc dabat, *ut apud alie-*
» *nos tanquam apud ſuos auctoritate uteretur.* Quamvis igitur hic tantùm exiguæ urbis eſſet Epiſcopus, ceteros tamen Epiſcopos ſublimiores cathedras tenentes, auctoritate, quam ipſi conciliabat virtus, ſuperabat; ſicut paulò ſuprà teſtatur Gregorius Theologus, egregiè exponens quiſ-
» nam ſit in Eccleſia verus primatus. Hoc, inquit, exiguæ urbis Epiſco-
» pi opus, & cathedræ ſecundas tenentis. *An non autem multò melius*
» *eſt principatum ita tenere, quàm è ſublimioribus thronis declamare, ac*
» *rebus potiùs, quàm nominibus, ſuperiorem eſſe.* Et infrà: Ac denique
» cùm gregem univerſum, & Pontifices omnes, quorum pater vocatus es,
» tùm me præſertim paternè à te ſpiritualiter coactum guberna; ne vim
» mihi abs te illatam uſquequaque accuſem.

CAPUT XXIII.

De Euſebio Eccleſiæ Samoſatenſis Epiſcopo.

GRegorius Nazianzenus in epiſtola ad ipſum Euſebium, quæ inſcribi-
» tur LXXIV. Unde tuarum laudum exordium ducam? Et quo no-
» mine propriè te appellabo? An te columnam & firmamentum Eccle-
» ſiæ vocabo, aut luminare in mundo, aut gloriationis coronam incolumi
» Chriſtianorum parti, aut Dei donum, aut patriæ ſubſidium, aut fidei re-
» gulam, aut veritatis legatum, aut hæc omnia ſimul, atque hîs plura? At-
» que hàs penè incredibiles laudes, per ea quæ videmus, confirmabo. Quæ
» enim pluvia æquè matura & tempeſtiva ſitienti terræ illapſa eſt? Quæ
» aqua ex petra, iis, qui in deſerto habitabant, exundans? Quem
» talem Angelorum panem homo manducavit? Quibus Jeſus communis om-
» nium Dominus, Diſcipulis ſuis peſſum euntibus ita opportunè aſtitit,
» ut & fluctus ſedaret, & periclitantibus ſalutem afferret, ut tu laboranti-
» bus nobis ac mœrentibus ac jam velut naufragium facientibus apparuiſti?
» Et quidem de aliis quid loqui neceſſe eſt, quantâ nimirum lætitiâ & volup-

Digitized by Google

tate orthodoxorum animos perfudiſti, quamque multos homines in deſperationem lapſos erexiſti? At mater noſtra Eccleſia, Cæſarienſem dico, nunc profectò ob tui aſpectum viduitatis veſtes exuit, & ſtolam jucunditatis aſſumit, magiſque etiam explendeſcet, cùm paſtorem, & ſe, & anteceſſoribus Epiſcopis, & manu veſtra dignum conſecuta fuerit.

Theodoretus lib. IV. cap. XII. In Thraciam Apoſtolicis ſudoribus redundantem Euſebium relegavit. Qui cùm multas Eccleſias paſtoribus carere didiciſſet, militari habitu indutus, & tiarâ capiti impoſitâ, Syriam, Phœniciam, & Palæſtinam peragravit, preſbyteros ordinans & diaconos, alioſque ſufficiens ordines Eccleſiaſticos. Quod ſi quando doctrina conſentientes Epiſcopos inveniſſet, etiã Pontifices carentibus Eccleſiis præficiebat.

Et libr. V. cap. IV. At magnus Euſebius ab exilio reverſus Acacium, cujus celebris eſt fama Bereæ ordinavit Epiſcopum, Hierapoli verò Theodotum, cujus religioſa converſatio nunc etiam in ore eſt omnium. Chalcidis porrò Euſebium, & Cyri noſtræ Iſidorum, utrumque admirabilem, & divino zelo conſpicuum. Sed & Eulogium illum, qui pro Apoſtolica doctrinâ ſtrenuè decertavit, & Antinonem cum Protegene relegatus eſt, ab eodem ferunt Edeſſæ, divino Barſe mortuo, paſtorem fuiſſe ordinatum. Protegenem verò certaminum ſuorum ſocium Eulogius Carris præfecit, malè affectæ urbi curando morbo idoneum medicum ſubminiſtrans. Poſtremum omnium Marim divinus Euſebius Dolichæ creavit Epiſcopum: oppidum hoc parvum, & Arrianâ labe tunc temporis infectum. Hunc ergo Marim, virum ſanè laudandum, & multis virtutum generibus illuſtrem, in Epiſcopali ſede collocare volens magnus Euſebius, Dolicham venit, &c. Sic unius civitatis Epiſcopus, omnium Eccleſiarum utilitati providebat.

CAPUT XXIV.

De Gregorio Theologo Epiſcopo Conſtantinopolitano.

GRegorius Preſbyter in vita Gregorii Theologi: Ipſe autem, quamvis alioquin ab Epiſcopatu alienum animum haberet, gregis tamen amore, & quia futurum exiſtimabat, ut ſi anguſtam civitatem teneret, contentiones per orbem terrarum oborientes, velut è ſpecula quadam perſpectas, extingueret, diſſidenteſque Eccleſias ambabus, ut dicitur, manibus ad unionem concordiamque adduceret, Epiſcopatum accipere non recuſavit. Sed quanta in omnibus Eccleſiis ipſius fuerit auctoritas propter fidem ſublimem Ruffinus teſtatur his verbis. Gregorius vir per omnia incomparabilis, qui verbo & operibus clarus, ſplendidiſſimum lumen ſcientiæ Chriſti Eccleſiis præbuit &c. Qui ſolus ſit, de cujus fide ne diſſidentes quidem inter ſe (ut fieri ſolet) partes & ſtudia diſputare potuerint: Sed id obtinuerit apud Deum & Eccleſias Dei meriti, ut quicunque auſus fuerit doctrinæ ejus in aliquo refragari, ex hoc ipſo, quia ipſe

magis ſit hæreticus arguatur. Manifeſtum namque indicium eſt, non eſſe rectæ fidei omnem, qui in fide Gregorio non concordat.

Auguſtinus libr. I. contra Julianum. An tibi parva in uno Gregorio Epiſcoporum Orientalium videtur auctoritas? Eſt quidem tanta perſona, ut neque ille hoc niſi ex fide Chriſtianâ diceret: nec illi cum tam clarum haberent atque venerandum, hæc ab illo dicta ex regula notiſſimæ veritatis agnoſcerent.

CAPUT XXV.

De Gregorio Eccleſiæ Nyſſenæ Epiſcopo.

GRegorius Nyſſenus dignitatem & auctoritatem ſui Epiſcopatus propter curam emendationis publicæ hoc modo tuetur in epiſtola ad Flavianum. Judicate juſtum judicium vos qui Deum reſpicitis, quamobrem hanc nobis illatam contumeliam mereri veniam putetis? Quod ſi ex ſacerdotio dignitas æſtimanda venit, par & idem conceſſum utrique privilegium eſt, vel potiùs cura emendationis publicæ. Quod idem profitetur Hieronymus in epiſtola ad Evagrium: Nec altera Romanæ urbis Eccleſia, altera totius orbis exiſtimanda eſt. Et Galliæ, & Britanniæ, & Africa, & Perſis, & Oriens, & India, & omnes barbaræ nationes unum Chriſtum adorant, unam obſervant regulam veritatis. Si auctoritas quæritur, orbis major eſt urbe. Ubicumque fuerit Epiſcopus, ſive Romæ, ſive Eugubii: ſive Conſtantinopoli, ſive Rhegii: ſive Alexandriæ, ſive Tanis: ejuſdem meriti, ejuſdem eſt & Sacerdotii. Potentia divitiarum, & paupertatis humilitas vel ſublimiorem vel inferiorem Epiſcopum non facit. Cæterum omnes Apoſtolorum ſucceſſores ſunt. Et anteà Conſtantinus Imperator jam hæc pronuntiaverat in epiſtola ad Antiochenos, quam Euſebius refert libr. III. de ejus vita cap. LX. Etenim cùm aſperitas & violentia nullam Eccleſiaſticis honoribus faceſſat moleſtiam, omnes ſimiles inter ſe ſunt, & æquali in pretio habendi. Unde forſan Euſebiani dicebant & Julius contra Euſebianos in epiſtola, quæ legitur in apologia ſecunda Athanaſii. Si igitur verè parem eundemque honorē in omnibus Epiſcopatibus cenſetis eſſe, neque ex magnitudine civitatum, ut vos ſcribitis, honorem ejus rei creſcere arbitramini, oportuit eum, cui concredita eſt parva civitas, in eâ quæ credita eſt, permanere, & nequaquam rejectâ concreditâ, ad eam quæ concredita non eſt, tranſvolare. Nimirum propter unum Epiſcopatum totius Eccleſiæ, quæ Epiſcopis utpotè ſucceſſoribus Apoſtolorum commiſſa eſt. De quo ita Cyprianus in libro de unitate Eccleſiæ Catholicæ: Hoc erant utique & cæteri Apoſtoli, quod fuit Petrus, pari conſortio præditi & honoris & poteſtatis, ſed exordium ab unitate proficiſcitur. &c. Quam unitatem firmiter tenere & vindicare debemus, maximè Epiſcopi, qui in Eccleſia præſidemus, ut Epiſcopatum quoque ipſum, unum atque indiviſum probemus.

Digitized by Google

CAPUT XXVI.

De Flaviano Eccleſiæ Antiochenæ Epiſcopo.

JOannes Chryſoſtomus in homilia, quam recitavit, cùm preſbyter eſſet
deſignatus. Quem igitur, quem, inquam, conſervorum laudabi- «
mus? Quem alium, quàm illum communem hujus patriæ doctorem, «
non ſolum per patriam, ſed & per univerſum orbem? «
Theodoretus libr. v. hiſtor. Eccleſ. cap. xx iv. Flaviano Epiſcopo «
adhærent Orientales Eccleſiæ: & cum Orientali diœceſi Aſianam quo- «
que totam, & Ponticam, & Thracicam commmunione conjunctas ha- «
bet. Sed & Illyricum univerſum eundem agnoſcit Orientalibus Epiſ- «
copis præſidere. «

CAPUT XXVII.

De Acacio Beræenſis in Syria Eccleſiæ Epiſcopo.

THeodoretus libr. v. hiſt. Eccleſ. cap. xxiii. Quorum omnium «
princeps fuit Acacius, Beræenſis quidem in Syria civitatis paſto- «
ralem curam ſortitus, ſed omnibus terrâ marique locis celeberrimus. «
Hic Romam cum aliis profectus, diuturnas inimicitias ſuſtulit, pacem- «
que poſt annos decem & ſeptem Eccleſiis reſtituit. Quod ut Ægyptiis «
quoque innotuit, concordiam pariter odio extincto amplexi ſunt. «

CAPUT XXVIII.

De Ambroſio Eccleſiæ Mediolanenſis Epiſcopo, & de aliis Epiſcopis.

S. Ambroſius libr. de dignitate ſacerdotali ita de ſeipſo ac de aliis
Epiſcopis loquitur cap. ii. Paſce oves meas. Quas oves, & quem «
gregem non ſolùm tunc beatus ſuſcepit Petrus, ſed & nobiſcum eas ſuſ- «
cepit, & cum illo eas nos ſuſcepimus omnes. «
Quapropter in vitâ ipſius titulo Paulini Epiſcopi ad beatum Auguſti-
num ſcriptâ, hoc fertur de illius vigilantia teſtimonium: *Erat enim in* «
illo ſollicitudo omnium Eccleſiarum, interveniendi etiam magna aſſidui- «
tas & conſtantia. «
Theodoretus libr. iv. hiſt. Eccl. cap. xxvii. In Occidente verò Da- «
maſus Epiſcopus Romæ, & Ambroſius Mediolanum regens, eos ferie- «
bant, qui remotis è locis tela conjiciebant. Et cum illis hi etiam qui ul- «
timas in oras fuerant relegati, & ſuos per literas confirmabant, & ho- «
ſtes peſſundabant. Excitavit enim omnium moderator gubernatores pa- «

« res magnitudini tempeſtatis, & hoſtium violentiæ virtutem ducum
« oppoſuit, difficultatique temporum commoda remedia dedit.

CAPUT XXIX.

De Martino Eccleſiæ Turonenſis Epiſcopo.

PAulinus de vita Martini libr. III.

Rurſus iter greſſus venerabile ſanctus agebat
Carnute jacent patulis quæ mœnia campis.
Ergò hic fœcundi dum præterit avia ruris,
Vicinum implevit juſta admiratio vicum.
Innumeri paſſim coeunt & ſexus & ætas,
Omnis adeſt, nudat vacuos cultoribus agros
Gloria tanta viri; minor eſt jam cura domorum:
Martinum vidiſſe ſat eſt, hoc nomen & ipſi
Pro laudis titulo rectè ſtupuere profani.
Et quanquam necdum fidei virtute receptâ
Ad famam tanti raptim adfluxere magiſtri.
Stipabat denſum populis rureſtribus agmen,
Texerat expoſitos juſta admiratio campus;
Quem fructum tanta ſegetis ſatione ſalutis
Commiſſis cupidos gauderes condere clauſtris. &c.

Pande ſinus patulos populis ditata receptis,
Adjectamque tibi gaudens amplectere plebem
Sponſa Dei, totum rapiens ad viſcera mundum.
Vos verò in miſeris dudum fœtentia buſtis
Idola, gaudendos tandem lugete triumphos.
Quæ non corda tibi cedebant, Sancte, docenti?
Quæ feritas non mitis erat? cùm ſemper in ipſis
Regibus oppoſitum contra tua vota rigorem
Prævia molliret Domini clementia Chriſti.

Et libr. V.

Sic cuncta extruſos hoſtes de ſede fugabat,
Corda hominum abſolvens, profugis nec templa relinquens.
Nam quicquid vanus fanorum extruxerat error
Ardebat pronis lætè vaſtare ruinis.

Ubicunque ferè Galliarum Martinum Apoſtolum ſimilia præſtitiſſe teſtantur Severus Sulpitius, Paulinus, Gregorius Turonenſis, ex quo hæc pauca de multis deſumimus.

» Gregorius Turonenſis lib. 1. hiſtoriæ Francorum cap. XXXIX. Tunc
» jam & lumen noſtrum exoritur, noviſque lampadum radiis Gallia per-
» luſtratur, hoc eſt eo tempore beatiſſimus Martinus in Galliis prædicare

exorſus eſt: qui Chriſtum Dei filium per multa miracula verum Deum in populis declarans, Gentilium incredulitatem avertit. Hic enim fana deſtruxit, hæreſim oppreſſit, Eccleſias ædificavit, & cùm aliis virtutibus multis refulgeret, ad conſummandum laudis ſuæ titulum, tres mortuos vitæ reſtituit.

CAPUT XXX.

De Epiphanio Conſtantiæ Cypri Epiſcopo.

S. Epiphanius in epiſtola ad Joannem Epiſcopum Hieroſolymorum. Nihil tibi nocuimus, nihil injuriæ fecimus, nec quicquam violenter extorſimus. In monaſterio fratrum, & fratrum Peregrinorum, qui provinciæ nihil tuæ deberent: & propter noſtram parvitatem & literas, quas ad eos crebrò direximus, communionis quòque tuæ cœperunt habere diſcordiam, ne viderentur quadam duritiâ & conſcientiâ noſtrâ, antiquæ fidei ab Eccleſia ſeparari, ordinavimus diaconum: & poſtquam miniſtravit, rurſum presbyterum, ſuper quo debueras gratulari, intelligens quod ob Dei timorem hoc ſumus facere compulſi: *Maximè cùm nulla ſit diverſitas in ſacerdotio Dei, & ubi utilitati Eccleſiæ providetur.* Nam etſi ſinguli Eccleſiarum Epiſcopi habent ſub ſe Eccleſias, quibus curam videntur impendere, & nemo ſuper alienam menſuram extenditur, *tamen præponitur omnibus charitas Chriſti, in quâ nulla ſimulatio eſt*: nec conſiderandum quid factum ſit, ſed quo tempore, & quo modo, & in quibus, & quare factum ſit.

Apud S. Hieron. ep. 60.

CAPUT XXXI.

De Ioanne Chryſoſtomo Eccleſiæ Conſtantinopolitanæ Epiſcopo.

Iſidorus Peluſiota libr. I. epiſtola CLVI. Siquidem ſapiens ille & eruditus arcanorum Dei interpres Joannes, Byſantinæ Eccleſiæ, atque adeò *Eccleſiarum omnium oculus*. &c.

Sozomenus libr. VIII. hiſt. Eccleſ. cap. III. Neque verò ſuam ipſius duntaxat, *ſed & reliquas ubique locorum Eccleſias*, tanquam bonus & excelſo animo præditus corrigere conabatur. Proinde in ipſo Epiſcopatus ſui exordio, cùm Occidentales & Ægyptii ſacerdotes Paulini gratiâ ab Orientalibus Epiſcopis adhuc diſſiderent, & publicum quoddam diſſidium ob eam rem totius Imperii Romani Eccleſias obtineret, ipſe Theophilum rogavit, ut ſuam ipſi operam commodaret, & Romanum Epiſcopum Flaviano reconciliaret.

Theodoretus lib. v. cap. XXXVIII. Neque hanc ille providentiam gerebat in illa tantùm civitate, ſed in Thracia etiam univerſa, quæ ſex in provincias diviſa eſt: & in Aſia tota, quæ ab undecim præſidibus regitur: quin & Ponticam quoque iiſdem legibus ornavit, quæ pares numero cum Aſia rectores habet.

» Cap. xxx. Scythicam pręterea gentem Arianicis retibus captam videns; » contra & ipſe machinatus eſt, & captanti viam invenit. Nam ejuſdem » ipſorum linguæ Preſbyteros, & Diaconos, & divinarum Scripturarum « lectores ordinans, unam eis Eccleſiam adſignavit: horumque operâ mul- » tos ab errore vendicavit. Sępiùs etiam ipſe illô ſe conferens diſſerebat, » interprete utens aliquo utriuſque linguæ perito; & erga eos, qui diſſe- » rere poterant, ut idem præſtarent, ſatagebat. Atque hæc ille intùs in » urbe aſſiduè gerebat, multoſque ex iis, qui decepti fuerant, revocabat, » veritatem illis oſtendens prædicationis Apoſtolicæ.

» Cap. xxxi. Rurſus cùm accepiſſet Nomadas quoſdam Iſtrum acco- » lentes ſalutem quidem ſentire, ſed qui latices præberet habere neminem: » viros Apoſtolici laboris æmulos conquiſivit, eoſque illis præfecit. Ego » verò ejus quoque literas legi, ad Leontium Epiſcopum Ancyranum ſcriptas, » quibus & Scythiarum converſionem ſignificabat: & ut viros illis regen- » dis idoneos mitteret, obſecrabat. Sed & in regione noſtrâ Marcionis » hæreſi laborare quoſdam viros intelligens, Epiſcopo, qui tunc erat, » literas ſcripſit, hortans ut morbum profligaret: ſimulque Regiarum le- » gum ſubſidium ſubminiſtrans. *Quomodo igitur Eccleſiarum ſollicitudinem » animo iuxta Apoſtolum circumferret, ſatis docere iſta poſſunt.*

» In oratione quæ hunc præfert titulum: Leonis in Chriſto æterno Re- » ge Imperatoris, oratio encomiaſtica de magno Dei pontifice *& communi » orbis terræ portu Ioanne Chryſoſtomo. &c.*

» Perinde eſt enim, ut ego ſentio, illà quempiam audere aggredi, & » linguâ laudare, linguam illam verè auream, *& quæ univerſo mundo ſeipſam » præbuit pretium redemptionis. &c.*

» Quoniam orbis terræ creandus erat magnus Antiſtes & Judex, his quo- » que bonis & honeſtis prius exercetur &c.

» Quæ mens, quæ oratio oſtenderit vias, quæ ab illo inventæ ſunt ad » ſalutem omnium? &c.

» Cùm jam navis orbis terræ clavum accepiſſet à Spiritu ſancto motus » gubernator, & adverſas conſideraret tempeſtates, quæ multæ exorie- » bantur in mari mirabili Eccleſiæ, quid non facit? &c.

» Sed fortè hæc ſolùm faciebat in ſua Eccleſia & civitate & finitima regio- » ne: earum autem quæ procul erant remotæ nullam gerebat curam, ſatis » habens dare ſalutem propinquorum multitudini. *Mente mihi perſequere » totius Thraciæ, Aſiæ, Ponti, Phœniciæ, Celtarum latitudinem, & Scy- » thas, Nomadas, qui ſunt ultra Danubium. Quis locus fuit abſconſus à » radiis eius verborum?* revera nullus. Sol quidem à magno Dàvide lau- » datur & in admiratione habetur propter magnitudinem, illuminationem, » egreſſum, occurſum: quòd non ſit abſconſus locus aliquis ab illius ca- » lore & ſplendore. Bona autem ejus eximia ſunt ſolari radio ope- » ratione longè præſtantiora, nempe quantùm præſtant iis quæ aliter il- » luſtrantur, ea quæ ratione illuminantur. Præterea hoc dicam. Denſa » caligo Marcionis exaltationum tegebat Orientem. Cùm eam autem Dei

gratia ſuorum verborum ſplendore ſol noſter diſſipaſſet, extendit album diem Orthodoxæ fidei. &c.

Ille autem manet invictus firmuſque & immobilis, ab uno ſolo pendens, nempe *à communi omnium ſalute.* Non poſſum autem ſatis admirari, cogitans hunc magnum & divinum Dei ſervum, os verè aureum, præconem divinæ benignitatis, quòd *propter omnium ſalutem adeo erat ſollicitus*, & adeo incendebatur: & omnia providens quæ mens Deum dignata videre poteſt invenire ad ſalutem: non deſtituebat ille eos qui erant ejuſdem generis, adeo ut quod eſt maximè admirabile, vel inviti multi per ipſum ſalutem ſunt aſſecuti. &c.

Quid ergo vafer ille & aſtutus Dei hoſtis. Hæc cùm reſciviſſet, inſurgit ſceleratiùs *adverſus paſtorum principem. &c.* Ille autem verè magnus Chryſoſtomus, cùm hæc accepiſſet ſententiæ ſuæ fretus puritate, non curabat eos qui inſultabant: *Sed de communi ſalute ſolùm erat perpetuò ſollicitus.*

CAPUT XXXII.

De Theophilo Eccleſiæ Alexandrinæ Epiſcopo.

Hieronymus in epiſtola ad Theophilum, eum laudat, quòd tota Italia ab ipſo fuerit liberata ab hæreſi Origeniſtarum: Vincentius Preſbyter ante biduum, quàm hanc epiſtolam darem, de urbe venit, & ſuppliciter te ſalutat, crebroque ſermone concelebrat Romam & totam Italiam, tuis poſt Chriſtum epiſtolis liberatam.

CAPUT XXXIII.

De Auguſtino Eccleſiæ Hipponienſis Epiſcopo.

S. Auguſtinus lib. 1 contra Creſconium Grammaticum refellit exemplo Chriſti & Apoſtolorum, quod ipſi à Creſconio perinde ac Theodoro noſtro à ſuis calumniatoribus objectum eſt. Sic igitur ille cap. x. Niſi fortè iſta, quæ à me de ſcripturis ſanctis documenta prolata ſunt, ſic accipienda arbitraris, ut quod veſtros factitare laudaſti, in Eccleſia tantùm, quæ in lege mandata ſunt, doceantur. Ibi enim putas corripiendos & convincendos diverſa ſentientes ut unuſquiſque doctor ſuorum tantummodò diſputando & prædicando emendet errorem. Si quid autem tale cum eis qui foris ſunt agere inſtiterit, tunc animoſus, tunc contentioſus, vel litigioſus, habendus ſit &c. Et cap. xi. Ad hæc quoque tibi reſpondeo, jam quidem ſuprà commemoravi, Dominum ipſum Jeſum, qui ſe imitandum diſcipulis præbuit, non ſolùm Judæis, verùm etiam Phariſæis & Sadducæis, & Samaritanis, & ipſi diabolo principi omnium fallaciarum & errorum aſſerere veritatem, & de lege reſpondere non

dedignatum. Sed ne hoc Domino licuiſſe, ſervis autem ejus exiſtimes non licere, accipe quid in actibus Apoſtolorum legatur &c.

Idem lib. 1. contra duas epiſtolas Pelagianorum ad Bonifacium cap. 1. Cùm verò non deſinant fremere ad Dominici gregis caulas, atque ad diripiendas tanto pretio redemptas oves, aditus undecunque rimari, *communiſque ſit omnibus qui fungimur Epiſcopatus officio, quamvis in eo praemineas celſiore faſtigio ſpeculæ paſtoralis, facio quod poſſum pro mei particulâ muneris.*

Proſper in epiſtola ad Ruffinum de gratia & libero arbitrio. Has autem verſutias, quibus ſe filii tenebrarum, in ſimilitudinem filiorum lucis transfigurare voluerunt, cùm & Orientalium Epiſcoporum judicia, & Apoſtolicæ ſedis auctoritas, & Africanorum conciliorum vigilantia deprehenderit: beatiſſimus quoque Auguſtinus, *præcipua utique in hoc tempore portio Domini Sacerdotum*, copioſâ & pulchrâ multorum voluminum diſputatione deſtruxit. Et pauló poſt: Imò noverunt, non ſolùm Romanam, Africanamque Eccleſiam, & per omnes mundi partes univerſos promiſſionis filios cum doctrinâ hujus viri, ſicut in tota fide, ita in gratiæ confeſſione congruere. Sed etiam in ipſis his locis, in quibus adverſùs eum querimonia concitatur, eſſe propitio Deo plurimos, qui ad perceptionem Evangelicæ Apoſtolicæque doctrinæ ſaluberrimis ejus diſputationibus imbuuntur, & quotidiè in membris corporis Chriſti, in quantùm ea ipſe multiplicat, dilatantur.

Proſper in epiſtola ad Auguſtinum de reliquiis Pelagianæ hæreſeos: *Excubante enim pro univerſis membris corporis Chriſti vigilantiſſima induſtria tua*, & adverſus hæreticarum doctrinarum inſidias veritatis virtute pugnante, nullo modo mihi verendum putavi nè oneroſus tibi, aut importunus eſſem in eo quod ad multorum ſalutem, ac perinde ad pietatem tuam pertinet: cùm potiùs reum futurum eſſe me crederem, ſi ea quæ valde pernicioſa intelligo, *ad ſpecialem patronum fidei non referrem.*

In libro de gratia & libero arbitrio contra Caſſiani Presbyteri librum de protectione Dei: Viginti ampliùs annis contrà inimicos gratiæ Dei *Catholica acies, hujus viri ductu pugnat, & vincit.* Vincit, dico, quia non patitur reſpirare quos vicit, & in quorum excidium unam cunctorum ſacerdotum manu ſententiam ſcripſit.

In libro de Ingratis contra Pelagianos.

An alium in finem poſſet procedere ſanctum
Concilium, cui dux Aurelius, ingeniumque
Auguſtinus erat? quem Chriſti gratia cornu
Uberiore rigans, noſtro lumen dedit ævo,
Accenſum vero de lumine: &c.
Iſtius ergò inter cunctos, qui de grege ſancto
Inſanas pepulere feras, induſtria major
Maius opus, totum præſtantius imbuit orbem.

Nam quocunque gradum convertit callidus hoſtis,
Quaque per ambages anceps iter egit opertas,
Huius ab occurſu eſt præventus, mille viarum
Inſidiis aditum non reperientibus ullum.
Dumque foris rabies avidorum excluſa luporum
Frenderet, inque omnes mendacia verteret artes.
Ne mentes ullarum ovium corrumpere poſſet,
Neu dubia obliquis turbaret corda querelis,
Iſtius ore viri fecit Deus: iſtius ore
Flumina librorum mundum effluxere per omnem;
Quæ mites humileſque bibunt, campiſque animorum
Certant vitalis doctrinæ immittere rivos.

Celeſtinus PP. in epiſtola pro Proſpero & Hilario de gratia Dei ad quoſdam Galliarum Epiſcopos cap. II. « Auguſtinum ſanctæ recordationis virum pro vita ſua atque meritis in noſtra communione ſemper habuimus, nec unquam hunc ſiniſtræ ſuſpicionis ſaltem rumor aſperſit, quem tantæ ſcientiæ olim fuiſſe meminimus, *ut inter magiſtros optimos etiam à meis ſemper deceſſoribus haberetur.* benè ergò de eo omnes in commune ſenſerunt, ut pote qui ubique cunctis & amori fuerit & honori, unde reſiſtatur talibus, quos male creſcere videmus. «

Vvandelbertus diaconus in martyrologio, quod D. Lucas Acherius edidit tom. v. Spicilegii.

Auguſtine tuum perennis ævi
Nomen, fama gerit, Pater, per orbem:
Qui Chriſti Eccleſiam doces, & omne
Errorum perimis, fugaſque vulgus.

Et infra.

Eccleſiæ lumen, populis ſacra norma fidelis
Africa quo paſtore, orbis doctore coruſcat,
Auguſtine pater, feſto celebraris eodem.

CAPUT XXXIV.

De Paulino Eccleſiæ Nolanæ Epiſcopo.

SUlpitius Severus lib. III. de virtutibus Martini: « Illic adeas illuſtrem virum, toto laudatum orbe Paulinum. «

Eucherius Epiſcopus Lugdunenſis in epiſtola parænetica ad Valerianum: « Paulinus quoque Nolanus Epiſcopus peculiare & beatum Galliæ noſtræ exemplum, ingenti quondam divitiarum cenſu, uberrimo eloquentiæ fonte, ita in ſententiam noſtram propoſitumque migravit, ut etiam cunctas admodum mundi partes eloquio operiſque reſperſerit. «

CAPUT XXXV.

De Germano Altiſiodorenſis, & Lupo Trecaſſinæ Eccleſiæ, & Severo Treveris Epiſcopis.

BEda libr. 1. Eccl. hiſtoriæ gentis Anglorum cap. XVII. Ante paucos „ ſanè adventus eorum annos hæreſis Pelagiana per Agricolam illata, „ Severiani Epiſcopi Pelagiani filium, fidem Britannorum fœdâ peſte com- „ maculaverat. Verùm Britanni cùm neque ſuſcipere dogma perverſum, „ gratiam Chriſti blaſphemando nullatenùs vellent, neque verſutiam nefa- „ riæ perſuaſionis refutare verbis certando ſufficerent; inveniunt ſalubre „ conſilium, ut à Gallicanis Antiſtitibus auxilium belli ſpiritalis inquirant. „ Quam ob cauſam collectâ magnâ ſynodo quærebatur in commune, qui „ illuc ad ſuccurrendum fidei mitti deberent: atque omnium judicio eligeban- „ tur Apoſtolici ſacerdotes Germanus Altiſiodorenſis, & Lupus Trecaſſinæ „ civitatis Epiſcopi, qui ad confirmandam fidem gratiæ cœleſtis in Britan- „ niam venirent. Qui cùm promptâ devotione preces & juſſa ſanctæ Eccle- „ ſiæ ſuſcepiſſent, intrant Oceanum, & uſque ad medium itineris, quo à „ Gallico ſinu in Britanniam uſque tenditur, ſecundis flatibus navis tuta vo- „ labat. &c. Intereà Britanniarum inſulam Apoſtolici ſacerdotes raptim „ opinione, prædicatione, virtutibus impleverunt. Divinuſque per eos „ ſermo quotidiè non ſolùm in Eccleſiis, verùm etiam per trivia & per „ rura prædicabatur, ita ut paſſim & fideles Catholici firmarentur, & „ depravati viam correctionis agnoſcerent. Erat illis Apoſtolorum inſtar „ & gloria & auctoritas per conſcientiam, doctrina per literas, virtutes ex „ meritis. Itaque regionis univerſitas in eorum ſententiam prompta tran- „ ſierat. &c. Et cap. XXI. Nec multo pòſt interpoſito tempore nunciatur ex „ eadem inſula, Pelagianam perverſitatem iterato paucis autoribus dilata- „ ri: rurſuſque ad beatiſſimum virum preces ſacerdotum omnium deferuntur, „ ut cauſam Dei, quam priùs obtinuerat, tueretur. Quorum petitioni fe- „ ſtinus obtemperat. Nam adjuncto ſibi Severo totius ſanctitatis viro (qui „ erat diſcipulus beatiſſimi patris Lupi Trecaſenorum Epiſcopi, & tunc Tre- „ veris ordinatus Epiſcopus, gentibus primæ Germaniæ verbum Dei prædi- „ cabat) mare conſcendit, & conſentientibus elementis tranquillo navigio „ Britannias petiit &c. Implentur populi ſtupore miracula, & in pectori- „ bus omnium fides Catholica inculcata firmatur, prædicatio deinde ad „ plebem de prævaricationis emendatione convertitur. Omniumque ſen- „ tentia pravitatis auctores qui erant expulſi inſulâ, ſacerdotibus adducun- „ tur ad mediterranea deferendi, ut & regio abſolutione, & illi emenda- „ tione fruerentur; factumque eſt ut illis locis multò ex eo tempore fides in- „ temerata perduraret. Itaque compoſitis omnibus beati ſacerdotes, eâ, quâ „ venerant, proſperitate, redierunt.

CAPUT XXXVI.

De Honorato Eccleſiæ Arelatenſis Epiſcopo.

S. Hilarius in ſermone de vita Honorati cap. VI. Et quid plura? *omnibus omnia, ut ait Apoſtolus, factus, communis omnium medicina erat.* Nullam penè gratiam non in ſe tam plenam habuit, ut ipſam ſpecialiter excolere & poſſidere tanquam unicam putaretur.

CAPUT XXXVII.

De Maximiano Eccleſiæ Conſtantinopolitanæ Epiſcopo.

CÆleſtinus I. in epiſtola ad Maximianum: Latus campus eſt, frater cariſſime, in quo gloriam & vigilantis paſtoris & benigni paſtoris exerceas, & ſapotem Chriſtianæ ſalubritatis infundas; ut plus in reparando potuiſſe te liqueat: quam ille potuit in lædendo, qui imitator diaboli maluit eſſe quàm Chriſti, perturbans omnium Eccleſiarum quietem: cui nunc debemus operam in commune præſtare, ut omnium una fides, & unus ſit animus ſacerdotum. Teneat manus tua dominicum ventilabrum, & purget aream creditam tibi, ut à frumentis paleæ ſeparentur, & omne juxta mandatum Chriſti Dei noſtri horreis triticum aggregetur. Locum impietas novella non habeat, & compreſſo olim per totum orbem ſua damnatione noto Cæleſtiano errori, tua vigilantia reſiſtatur; ut quicumque hujus dogmatis ſunt ſequaces, ab omni ſocietate hominum repellantur. Obſiſtat illis per te Spiritus ſanctus his in omnibus, qui ad has quaſcumque conatur provincias pervenire, ne eorum impia prædicatio reſurgat. Itaque Cæleſtinus Maximianum docet, vigilantis paſtoris officium eſſe, communem præſtare operam, ut omnium ſit una fides: hæreſis à quibuſlibet expellatur locis: omniumque Eccleſiarum quies utilitaſque procuretur.

CAPUT XXXVIII.

De Hilario Eccleſiæ Arelatenſis Epiſcopo.

HOnoratus Maſſilienſis Epiſcopus in vita S. Hilarii cap. VIII. In meditatione jugiter permanere, verbi miniſterio indeſinenter inſiſtere, multiplicibus cœleſtis ſapientiæ myſteriis ſaginari, Deum proximumque diligere, ſacerdotes Domini non ſolùm verbis, ſed factis accendere, zeli ſuperni æmulatione flagrare, inſtituere monaſteria, ædificare templa, ſuſcipere orphanos, confirmare Monachos, accerſere ſeculares inſtitutione ſua, Pontifices ordinare, ita quotidianam ſui actus diſcutere ra-

„ tionem, ut ſuperno judici tanquam multiplicatum diſpenſationis ſuæ „ talentum niteretur ingerere. Ita viſcera ejus miſericordia quatiebat & „ pietas, *ac ſi ſolus ad redimendum mundum paginis cœleſtibus urge-* „ *retur.*

„ Cap. xxiv. Unicum pignus & decus ſacerdotii, & totius cœleſtis „ ſcientiæ theſauri jugiter ex tuo corde manarunt.

Ex epitaphio S. Hilarii Arelatenſis Epiſcopi in tabula marmoreâ parieti infixa in Eccleſia S. Honorati.

Sprenit opes, dum quæris opes, mortalia mutans
Perpetuum cœlum donis terreſtribus emit,
Gemma Sacerdotum, plebiſque orbiſque magiſter.

CAPUT XXXIX.

De Rabbula Eccleſiæ Edeſſenæ Epiſcopo.

„ CYrillus in epiſtola ad ipſum Rabbulam: Ad incomparabilem quam„ dam alacritatem & ad inexpugnabilem confidentiam noſtras excitat „ animas ſapientiſſimus Paulus &c. ſemper quidem tua ſplenduit ſanctitas, „ præcipuo autem modo facta omnibus Orientalibus columna & funda„ mentum veritatis,

CAPUT XL.

De Cyrillo Eccleſiæ Alexandrinæ Epiſcopo.

PAulus Emiſenus in homilia habita Alexandriæ in laudem Cyrilli: „ Populus tuus dixit: *Epiſcoporum patrem ſerva Domine*, bene ve„ niſti Epiſcope orthodoxe, *Orbis terrarum doctor.* Qui ſic credit, dili„ gitur: magni doctoris magnus laudator.

CAPUT XLI.

De Epiſcopis Galliæ.

„ IN epiſtola ad Leonem Papam: Nos autem, etſi impares meritis, pa„ ri tamen fide, ſi quid, quod abſit, contra Eccleſiam Catholicam pro„ fana infeſtatione tentetur, parati ſumus, confortante Domino, cum bea„ titudine veſtrâ pro veritate fidei animas noſtras ponere, & vitam hanc „ auctori ſalutis noſtræ, & largitori æternitatis impendere.

Digitized by Google

CAPUT XLIII.

De Petro Eccleſiæ Ravennatis Epiſcopo.

S. Petrus Chryſologus in divum Petrum ſerm. CVII. Quis ergo tanti viri adhortationem recuſes, cui è cœlo contigit, & Apoſtolici vocabulum, & ſummi privilegium Sacerdotis ? Petrum enim vocari in aliis appellatio nominis eſt, in hoc prærogativa virtutis. Verè beatus Petrus *immobile fundamentum ſalutis* talem ſe exhibet in ſacerdotio, quales videri volunt qui ſacerdotium concupiſcunt. &c. *Ipſe eſt ergo cuſtos fidei, petra Eccleſiæ, janitorque cælorum.* Ipſe eſt Apoſtolicus piſcator electus, qui ad ſe turbas errorum fluctibus merſas homo ſanctitatis invitat, & doctrinæ ſuæ reti concludit ad fidem hominum multitudinem copioſam. Eſt etiam ipſe beatiſſimus, & Apoſtolicus auceps, qui animas hominum per aëra volantes calamo divini ſermonis attingit. Jure igitur venerabilis Dei Sacerdos olim Apoſtoli nactus vocabulum, nunc adeptus & meritum, ferit in populos præcepta juſtitiæ, & manifeſtâ luce reſerat ſacrorum voluminum myſticas quæſtiones : tantumque eſt in cœleſtibus magiſterium diſciplinis, ut qui convertitur, ſibi abſolutionem debeat : qui non corrigitur, ſibi reatum. Omnis undique ad eum diverſis regionum partibus viſendi ſtudio turba concurrit. Quicunque invias ſolitudines, aut latentes eremi tenebras incolebant, mirabilem Petrum magis veniunt videre quàm ſeculum.

CAPUT XLIV.

De Anatolio Eccleſiæ Conſtantinopolitanæ Epiſcopo.

LEo I. in epiſtola ad Anatolium cap. I. Gaudemus in Domino, & in dono gratiæ ipſius gloriamur, quia ſicut dilectionis tuæ literis, & fratrum noſtrorum, quos Conſtantinopolim miſeramus, relatione cognovimus, ſequacem te Evangelicæ eruditionis oſtendis : ut per ſacerdotis probabilem fidem meritò præſumamus, quòd tota Eccleſia eidem credita, nec rugam cujuſquam ſit erroris habitura, nec maculam, dicente Apoſtolo : Deſpondi enim vos uni viro, virginem caſtam exhibere Chriſto. Illa eſt enim virgo Eccleſia, ſponſa unius viri Chriſti, quæ nullo ſe patitur errore vitiari : ut per totum mundum una nobis ſit unius caſtæ communionis integritas, in qua ſocietatem tuæ dilectionis amplectimur. Anatolii igitur vigilantia per omnes Eccleſias laudatur, quòd magnopere curaverit, ut Eccleſiæ per totum mundum integritas conſervaretur.

CAPUT XLV.

De Theodoreto Eccleſiæ Cyri Epiſcopo.

» LEo I. in epiſtola ad Theodoretum ipſum : Cui dignam retribues pro
» tot laboribus gratiam, ſi talem te, qualem probavimus ac probamus,
» pro univerſalis Eccleſiæ defenſione ſervaveris.

Joannes Euchaita in Elogiis Scriptorum Eccleſiaſticorum.

Doctos magiſtros literis dum proſequor,
Iure Theodoritus inter hos cenſendus eſt,
Divinus ut vir, ut magiſter optimus,
Fidei orthodoxæ ceu columna immobilis.

Jacobus Sirmondus vir doctiſſimus in vita Theodoreti, quam ex ejus
» epiſtolis concinnavit : Nec ſuæ modò, ſed aliarum quoque gentium ſa-
» luti conſulens, Phænicum Eccleſias multorum tentatas inſidiis, ne hæreſi
» ſuccumberent, in fide orthodoxa retinuit. &c.

CAPUT XLVI.

De Claudiano Mamerto Eccleſiæ Viennenſis Epiſcopo ſeu Coepiſcopo.

SIdonius in epiſtola funebri :

Germani decus & dolor Mameriti,
MIRANTUM UNICA GEMMA EPISCOPORUM,
Hoc dat ceſpite membra Claudianus.
Triplex bibliotheca quo magiſtro,
Romana, Attica, Chriſtiana fulſit.

CAPUT XLVII.

De Sidonio Eccleſiæ Arvernenſis Epiſcopo.

» LUpus in epiſtola ad Papam Sidonium : Gratias ago Domino Deo
» noſtro Jeſu Chriſto per Spiritum ſanctum, qui te, cariſſime frater, in
» hac generali titubatione & preſſura dilectiſſimæ ſponſæ Eccleſiæ ſuæ, ad
» ejus ſuſtentationem & conſolationem in ſacerdotem vocavit, ut ſis lucerna
» in Iſraël.

CAPUT

Digitized by Google

CAPUT XLVIII.

De Patricio Epiſcopo totius Britanniæ.

BEda lib. 1. vit. S. Patricii : His ita geſtis ſanctus Patricius ſecundùm præceptum Domini noſtri Jeſu Chriſti, *docere diſponens omnes gentes baptizandas in nomine Patris, & Filii & Spiritus ſancti*, profectus eſt à Themoria, & prædicavit ubique in hybernia, Domino cooperante, & ſermonem confirmante ſequentibus ſignis.

CAPUT XLIX.

De Acacio Eccleſiæ Conſtantinopolitanæ Epiſcopo.

FElix Papa III. in epiſtola ad ipſum Acacium : Hâc igitur illo pergente, par fuit dilectionem tuam dilectis pariter ſalutare colloquiis, & conſequenter hortari, ut aliquando tandem patrocinium cauſæ Domini communis impendas, nec deſpiciendum putes, Chriſti confeſſione veridicâ, & univerſalis ejus Eccleſiæ definitione..... vel de pace concorditer.... ſi illius & honore cupis eſſe clarus & nomine. Et infrà : Unde ſi contra Synodi inſtituta Calchedonenſis tendere hoſtilia corda perſpicis, quieſcis : mihi crede, neſcio quemadmodum te Eccleſiæ totius aſſeris eſſe participem. Quamvis igitur Acacii ambitio reprehendatur, quâ univerſalis Epiſcopi nomen uſurparet, ipſum tamen hortatur Felix, ut patrocinium cauſæ Domini communis ſuſcipiat : univerſaliſque Eccleſiæ curam gerat. De quo jam eum monuerat Simplicius PP. his verbis : *Si non tantùm in Eccleſia cui præſides, ſed ubicunque potueris, pro unitate Catholicâ & pro paternis definitionibus ſuadere non renuas.*

CAPUT L.

De Ioanne Eccleſiæ Conſtantinopolitanæ Epiſcopo.

IOannes in epiſtola ad Horſmiſdam PP. Lætatus ſum de ſpirituali charitate veſtræ ſanctitatis, quòd unitatem ſanctiſſimarum Dei Eccleſiarum ſecundùm veterem Patrum requiris traditionem : & laceratores rationabilis gregis Chriſti animo repulſare feſtinas. Certus igitur ſcito, per omnia ſanctiſſime, quia ſecundùm quod vobis ſcripſi, una tecum cum veritate ſentiens, omnes à te repudiatos hæreticos renuo & ego, pacem diligens. Sanctiſſimas enim *Dei Eccleſias, id eſt, ſuperioris veſtræ : & novellæ iſtius Romæ unam eſſe accipio, illam ſedem Apoſtoli Petri, & iſtius Auguſtæ civitatis unam eſſe definio.* Ex quâ unitate apertè concludit labores pro bono omnium Eccleſiarum debere eſſe communes.

Digitized by Google

CAPUT LI.

De Eulalio Eccleſiæ Syracuſanæ Epiſcopo.

» EX vita S. Fulgentii à quodam diſcipulo conſcripta : Tunc Eccle-
» ſiam Catholicam beatus Papa Eulalius gubernabat, vir eximiæ ſan-
» ctitatis, admirabilis hoſpitalitatis, perfectiſſimæ charitatis; in cujus cor-
» de Theſaurus Sapientiæ ſpiritalis abſconditus, multos talentorum Do-
» minicorum negotiatione ditabat.

CAPUT LII.

De Fulgentio Eccleſiæ Rupenſis Epiſcopo.

» AUctor vitæ S. Fulgentii cap. xx. Habens ſecum plurimas divitias
» ſcientiæ ſingularis, quibus omnes, ubicunque veniebat, indeficien-
» te largitate paſcebat.

» Inter alios ſanè Epiſcopos, cum quibus exilium commune ſuſceperat,
» tempore ordinationis erat inferior: ſed patientiæ & charitatis virtute non
» inferior. In rebus enim dubiis, ubi quàm maximè conſilium petebatur,
» ſi quando inter ſe confeſſores beatiſſimi de communi utilitate tractabant,
» ultimus quidem ſedebat: verumtamen ipſius ſententiam Primas vel omnes
» qui Primatem ſequebantur, audire & facere cupiebant, quamvis ille nihil
» per inanem gloriam ſibi vindicans, deferret honorem congruum priori-
» bus ſuis. &c.

» Poſt deliberationis autem longiſſimas moras, quicquid definitio com-
» munis invenerat, eloquenter allegandum ſenſibus cæterorum, beato Ful-
» gentio dimittebatur. Huic etiam quandocunque Tranſmarinis literis de
» fide, vel de diverſis quæſtionibus interrogabantur Epiſcopi, reſpondere pro
» omnibus ab omnibus imponebatur. Ita ſicut ſanctæ memoriæ Aurelius
» Carthaginenſis Eccleſiæ Antiſtes, inter ſua privilegia meruit, ut literas
» ex Africano concilio dandas ipſe ſolus ſcriberet: ſic iſte meruerat, ut li-
» teras ex illo concilio dirigendas ſolus ipſe dictaret.

» Sexaginta quippe & eo ampliùs Epiſcopos tunc catena ligabat exilii,
» *quorum lingua & ingenium Fulgentius Epiſcopus fuit.* Propterea quan-
» documque reſcribebant conſulentibus, Epiſcoporum nomina cunctorum
» dicebantur in titulo; Sed ſolius beati Fulgentii ſermo tenebatur in
» ſtylo.

» Præter iſtas quoque publici tractatus epiſtolas, ſi quis fortè ex ipſis, ab-
» ſentem plebem ſuam corrigere vel monere voluiſſet, ad beatum Fulgen-
» tium accedebat, & per miniſterium linguæ ejus officium ſuæ diſpenſa-
» tionis implebat. *O mirabilem virum, non ſibi ſoli, ſed omnibus natum!*
» ſola eum Ruſpenſis Eccleſia doctorem meruerat: & pars maxima concilii
» Bizantini de ipſius ſermone vivebat.

Quicumque in qualibet ſacerdotum exulantium plebe tentabat inquietus exiſtere, vel Epiſcopi proprii juſſa contemnere, beato Fulgentio dictante ſic corripiebatur abſens, ut ſatisfactionis remedium quærens, enavigato mari continuò fieret præſens: & per ipſum beatum Fulgentium, cujus eloquentiam ſenſerat excommunicatus, impetraret veniam ſalubriter humiliatus. Ipſe namque beatus Fulgentius erat ultor, pro miniſtro interceſſor, &c.

Cap. xxi. Protinùs Rex cupiens probare ſacerdotem, cui generaliter teſtimonium bonum tota Religionis noſtræ perhibebat Eccleſia, ſervum ſtrenuum celeriter dirigit. A quo ſine mora ductus atque perductus, pervenit Carthaginem lætus: ubi tanquam fideliſſimus diſpenſator, erogandi talenta ſibi credita reperiens occaſionem, cœpit in hoſpitiolo proprio venientes ad ſe Catholicos orthodoxos diligenter erudire &c. Tanta autem fuit beato Fulgentio fœcundi ſermonis ſuavitas, tanta in vultu ejus micabat hilaritas: ut certatim fideles univerſos ſancta charitas traheret, vel interrogare doctiſſimum virum, vel audire, quoties ad interrogata reſponderet. Ille verò verbum Dei ſine invidia tabeſcente communicans, occurrebat interrogationibus omnium, neminem deſpiciens, nullum judicans improbum, paratus etiam ipſe, ſi cui forte Deus per Spiritum ſanctũ melius revelaſſet, audire, vel diſcere, tenere, ſequi, approbare, ſub officio doctoris humilitatem diſcipuli benignus & mitis exercens. Unde contigit ut multò doctior & ſeipſo melior fieret, lucra Chriſto majora perquirens. Alios enim jam rebaptizatos, errorem ſuum plangere docebat, & reconciliabat: alios autem, ne ſuas animas pro terrenis commodis perderent, admonebat. Et quos jam perditioni proximos ſentiebat, ita blandis ſermonibus leniebat, ut propter ejus benevolentiam verecundarentur cogitatam implere malitiam, reverſique velociter agerent pœnitentiam. Confortati alii verbis ejus & doctrinæ ejus ſale conditi, redarguebant Arianos hæreticos cum omni fiducia. Sic mirabili gratiâ factum fuit, *Ut per unum ſacerdotem, cujus ſapientiam Rex voluerat experiri, ſapientum numerus apud Carthaginem creſceret*: & per miniſterium perſecutionis, fides Catholica incrementum potiùs, quàm defectum acciperet.

Cap. xxix. *Per Eccleſias tanquam proprius Epiſcopus ſuſcipiebatur*: & ſic de reditu ejus omnis Byzantina provincia velut plebs una gaudebat, &c.

Catholicæ Eccleſiæ ſingularis magiſter & doctor, licet inter varias occupationes hîc in Africa parùm vacaret, plurimos tamen Eccleſiaſticos ſermones, quos in populis diceret, ſcribendos dictabat: & ubicunque ſermonem faciebat, omnium animos demulcebat &c. Expectavit eum ſanctæ memoriæ Bonifacius Epiſcopus Eccleſiæ Carthaginenſis apud Burnos Eccleſiam dedicans duobus diebus ſe præſente tractantem; quoniam tantùm delectatus eſt audire verbum Domini de ore ejus, ut donec ille ſermonem finiret, ipſe terram lacrymis irrigaret, gratias agens Deo, cujus gratia ſemper *in Eccleſia Catholica ſummos excitat præclaroſque doctores*.

Sic optimi ſublimiorum Sedium Antiſtites lætantur ; quum alii licet inferiorum Sedium Epiſcopi, ſed virtute & ſcientiâ præſtantes, à ſuis Eccleſiis tanquam proprii Epiſcopi ſuſcipiuntur : eaſque pro illarum utilitate & neceſſitate adminiſtrant.

CAPUT LIII.

De Epiſcopis Africanis in Sardinia exulibus.

IPſi in epiſtola ſynodica de Gratia & Libero Arbitrio, quæ extat tom. IV. Conc. ultimæ edit. p. 159. » Quantùm membra Eccleſiaſtici corpo» ris per Chriſti gratiam in unitate fidei compages retinet charitatis : tan» tùm neceſſe eſt, ut pro invicem ſollicita ſint membra : ut repulſo cujuſli» bet pravi dogmatis verbo, non ſolùm ſervandæ, verùm etiam reparan» dæ ſanitati jugis atque indefeſſa tam ſermonis quàm orationis impenda» tur inſtantia. Sic enim fit, ut dum ſollicitudo fraternæ puritatis invigi» lat, ipſe Spiritus ſanctus, per quem charitas Dei diffuſa eſt in cordibus » noſtris, diligentibus Dominum, & in Domino proximum, omnia coope» rentur in bonum. Quia ſicut ipſam dilectionem dono gratiæ ſpiritualis ac» cipimus, ita dum pro fratribus ſolliciti ſumus, non ſolùm divinam ineſſe » nobis gratiam demonſtramus, verum etiam, quantò magis à nobis puri» tas charitatis impenditur, tantò magis gratia nobis divinæ retributionis » augetur.

CAPUT LIV.

De Patribus Synodi Conſtantinopolitanæ II.

» IPſimet in Collatione octava : Cùm ſit omnibus fidelibus manifeſtum ; » quod quando de fide ratio moveatur, non ſolùm impius condemnatur, » ſed etiam ille qui poteſt quidem prohibere impietatem, negligit verò alio» rum correptionem. Et nos igitur, quibus regere Eccleſiam Domini cre» ditum eſt, timentes maledictionem quæ imminet his qui negligenter ope» ra Domini faciunt, feſtinamus bonum fidei ſemen purum conſervare ab im» pietatis Zizaniis, quæ ab inimico inſeminantur. &c. Et quia contingit » Vigilium religioſiſſimum in hac Regia urbe degentem, omnibus intereſſe » quæ his tribus capitulis annotata ſunt, & tam ſine ſcriptis, quàm in » ſcripturis ea ſæpius condemnaſſe, poſtea tamen & conſenſit in ſcriptis in » concilio convenire, & diſceptare unà nobiſcum de his tribus capitulis, ut » definitio communiter ab omnibus nobis præbeatur fidei rectæ conveniens ; » piiſſimus Imperator ſecundùm quod inter nos placuit, tam ipſum quam » nos hortatus eſt communiter convenire, eo quòd ſacerdotes decet com» munibus quæſtionibus fidem communem imponere. Unde neceſſario pe» tivimus ipſius reverentiam ſcriptas ſuas promiſſiones adimplere ; nec enim

juſtum eſſe ampliùs ſcandalum pro tribus iſtis capitulis creſcere, & Dei «
Eccleſiam conturbari. Et pro his ad memoriam ejus perduximus magna il- «
la Apoſtolorum exempla, & Patrum traditiones. Licet enim ſancti Spi- «
ritus gratia & circa ſingulos Apoſtolos abundaret, ut non indigerent alie- «
no conſilio ad ea quæ agenda erant; non tamen aliter voluerunt de eo «
quod movebatur, ſi oporteret gentes circumcidi, definire, priuſquam «
communiter congregati divinarum Scripturarum teſtimoniis unuſquiſque «
ſua dicta confirmaverunt: unde communiter de eo ſententiam protule- «
runt, ad gentes ſcribentes: Viſum eſt Spiritui ſancto & nobis &c. Sed «
& ſancti Patres, qui per tempora in ſanctis quatuor Conciliis convene- «
runt, antiquis exemplis utentes, communiter de exortis hæreſibus & quæ- «
ſtionibus diſpoſuerunt, certo conſtituto, quod in communibus diſcepta- «
tionibus cùm proponuntur quæ ex utraque parte diſcutienda ſunt, verita- «
tis lumen tenebras expellit mendacii. Nec enim poteſt in communibus de «
fide diſceptationibus aliter veritas manifeſtari, cùm unuſquiſque proximi «
adjutorio indiget, ſicut in proverbiis dicit Salomon: frater fratri adjuto- «
rium præſtans, exaltabitur ſicut civitas munita: valet verò ſicut regnum «
fundatum. Unde conſtat cujuſlet Epiſcopi vigilantiam pro bono univer- «
ſæ Eccleſiæ adeò eſſe neceſſariam, ut ex ea eliciatur Conciliorum neceſſi-
tas; de qua poſt egregiam Patrum traditionem à Joanne Launoio ſummo
Theologo, atque hierarchiæ vindice præſtantiſſimo editam, nullus unquam
remanere poteſt dubitandi locus.

CAPUT LV.

De Epiſcopis, quos Venantius Fortunatus laudat in ſuis poematibus, ut ſummos Sacerdotes, Pontifices Pontificum, qui Catholicæ Eccleſiæ curam geſſerunt.

Eiuſdem ferè ſunt temporis, cum ad ipſos ſcribat Venantius, aut illorum Epitaphium deſcribat.

DE FELICE ECCLESIÆ NAMNOTICÆ Epiſcopo.

VEnantius Fortunatus lib. III. Poematum.

Fida ſalus patriæ Felix ſpe, nomine, corde,
Ordo Sacerdotum quo radiante micat.
Vox procerum, lumen generis, defenſio plebis,
Naufragium prohibes hic, ubi portus ades.
Auctor Apoſtolicus, qui jura Britannica vincens,
Tutus in adverſis ſpe crucis arma fugas.
Vive decus patriæ, fidei lux, auctor honoris,
Splendor Pontificum, noſter & orbis amor.

Et infrà :

Vltima ſit quamvis regio Armoricus in orbe ;
Felicis merito cernitur eſſe prior.
Miſerunt ſimiles Oriens & Gallia ſortes :
Illa micat radiis , iſta tuis.
Nam ſplendore novo ſua munera quiſque miniſtrat ;
Tu fers Oceano lumen , & ille rubro. &c.

Flos generis , tutor patriæ , correctio plebis ,
Eloquii flumen , fons ſalis , unda loquax :
Semina doctrinæ , jus cauſæ , terminus iræ ,
Cujus in ingenium huc nova Roma venit.
Illic quod poterat per plures illa docere ,
Te contenta ſuo Gallia cive placet.

Ex libro IV. de eodem.

Sentio , ſumme pater , lumen venerabile cunctis ,
Orbis dulce caput , mihi nomen amabile , Felix.

DE CARENTINO ECCLESIÆ COLONIÆ EPISCOPO.

LIb. III. Poematum,

Carentine decus fidei , Deitatis amice ,
Nomine de proprio care perennis amor.
Pontificum pollens Agripina Colonia præfert
Frugiferis agris digne colone Dei.
Si videas aliquos quacunque ex gente creatos ,
Quamvis ignotos mox facis eſſe tuos.
Quos ſemel affectu aſtringis pietate paternâ ,
Vlteriùs nunquam diſſociare potes.
Nec ſubitò veniens , veluti fugitiva recedit ;
Sed conceſſa citò gratia fixa manet.
Verba Dei complens ſicut te diligis ipſum ,
A te ita diligitur proximus omnis homo.

DE ÆGIDIO ECCLESIÆ REMORUM EPISCOPO.

Ex eod. lib.

Actibus egregiis venerabile culmen Igidi ,
Ex cujus meritis crevit honore gradus.
Exiit in mundo geſtorum fama tuorum ,
Et meritis properis ſidus in orbe micas.
Clarior effulges , quàm Lucifer ore ſereno ;
Ille ſuis radiis , tu pietate nites.

Digitized by Google

Hæreſis ira cadit, forte te milite Chriſti:
Adquiris Regi, qui dedit arma tibi.
Qui purgas agros ſpinis ſermone colente,
Et mundata Deo ſurgis ubique ſeges.
Qui venis huc exul, triſtis, defeſſus, egenus;
Hic recipit patriam te refovente ſuam.

DE AGRICOLA ECCLESIÆ CAVILLONENSIS EPISCOPO.

Ex eodem. lib.

Præſul honoris apex, generis fideique cacumen;
Cultor agri pollens, paſtor opime gregis.

DE AVITO ECCLESIÆ ARVERNENSIS EPISCOPO.

Ex eodem lib.

Officiis intente piis, pater orbis Avite,
Gloria Pontificum noſter & altus amor.
*Per quem plebs, regia, peregrinus, & hoſpes alu*n*tur;*
In quo cuncta capit, quæ ſibi quæque placet.

Et infrà.

Virtutum quid celſa fides mereatur honores,
Summe Sacerdotum dulcis Avite probas.
Qui nectens animos cunctorum in amore beato,
Poſt te, care pater, pectore capta trahis.

DE DOMNO AGERICO ECCLESIÆ VIRDUNENSIS EPISCOPO.

Ex eodem lib.

Urbs Veriduna brevi quamvis claudaris in orbe;
Pontificis meritis amplificata places.
Major in anguſto præfulget gratia gyro,
Agerice tuus quam magis auxit honor.

Et infrà:

Phœbus ut elatum ſuſpendit in æthera currum;
Purus & igniferum ſpargit ubique jubar.
Effuſis radiis totum ſibi vendicat orbem
Montes plana replens, ima vel alta tenet.
Sic præſul ſplendore animi cum ſole coruſcas,
Ille ſuis radiis fulget, & ipſe tuis.

DE EVEMERIO ECCLESIÆ NAMNETICÆ EPISCOPO.

Ex lib. IV. Poematum.

Hoc igitur tumulo requieſcit Evemerus almo,
Per quem Pontificum ſurgit opimus honor.

DE TETRICO ECCLESÆ LINGONICÆ EPISCOPO.

Ex eod. lib.

Palma ſacerdotii venerando Tetrice cultu;
Te patriæ ſedes, nos peregrina tenet.
Summus amor Regum, populi decus, arma parentum;
Eccleſiæ cultor, nobilitatis honor:
Eſca inopum, tutor viduarum, cura minorum,
Omnibus officiis omnia paſtor eras.

DE GREGORIO ECCLESIÆ TURONENSIS EPISCOPO.

Ex eod. lib.

Culmen honoratum, decus almum, lumen opimum;
Paſtor Apoſtolicæ ſedis amore placens.

Et infrà.

Paſtor honoris apex, venerabilis ore ſacerdos,
Et decus alme patrum, & Religionis amor.
Gloria Pontificum meritis pia palma Gregori,
Aſſurgente gradu nobile jure caput.

DE SANCTIS ATQUE APOSTOLICIS IN CHRISTO *Patribus Eccleſiæ Pontificibus, ad quos ſcribit Fortunatus.*

Ex eod. lib.

Gloria Pontificum, veneratio Chriſticolarum;
Norma Sacerdotum, culmen & orbis honor.
Qui loca perſpicitis propriæ mercedis amore
Succurrendo viris, veſter ut extet apex.

DE BAUDOALDO EPISCOPO.

Ex lib. VIII.

Summe Sacerdotum bonitatis opima facultas,

CAPUT

CAPUT LVI.

De Laurentio Eccleſiæ Dorovernenſis Epiſcopo.

BEda lib. II. Eccleſ. hiſtoriæ gentis Anglorum cap. IV. Denique non « ſolùm novæ, quæ de Anglis erat collecta, Eccleſiæ curam gerebat, « ſed & veterum Britanniæ incolarum, necnon & Scotorum, qui Hyber- « niam inſulam Britanniæ proximam incolunt populis paſtoralem impen- « dere ſollicitudinem curabat. «

CAPUT LVII.

De Medardo Eccleſiæ Noviomenſis Epiſcopo.

EX actibus Medardi præſulis ſub hoc titulo editis tom. v. Spicilegii. Excipit tandem ſolemniter tanti muneris nobilitata præmio urbs Sueſ- « ſionica &c. Amplectitur feſtivè patronum, extunc proprium habitura « tutorem, *Univerſalis Eccleſiæ lumen inexſtinguibile.* «

CAPUT LVIII.

De Eligio Eccleſiæ Noviomenſis, & Audoëno Rotomagenſis, Epiſcopis.

S. Audoënus in vita S. Eligii editâ tom. v. Spicileg. cap. I. Sed cru- « deliter in diebus illis illa Simoniaca hæreſis pullulabat in urbibus, & « in cunctis finibus regni Francorum, maximéque de temporibus Brunichil- « dæ infeliciſſimæ Reginæ uſque ad tempora Dagoberti Regis. Violabat « hoc contagium Catholicam fidem: ſollicitè tamen pro hoc invigilabant « ſancti viri Eligius & Audoënus, & communi cum ceteris viris Catholicis « habito concilio ſuggeſſerunt principi, & optimatibus ejus, ut hoc morti- « ferum virus citò deleretur *de corpore Chriſti, quod eſt Univerſalis* « *Eccleſia.* «

Cap. III. Nec erat ejus fama contenta circumjectas tantùm Gallias « illuſtrare; ſed exteras utique provincias implebat, meritorum gratiâ « præcurrente. Inter barbarorum ſiquidem fremitus quaſi ſignifer belli- « gerator corporeo timore nudus, ſed fidei fervore veſtitus ſe ingerebat, « Chriſti charitate ſecurus; adverſanteſque ſibi fortiter ſuperabat non cor- « poreâ loricâ amictus, ſed fidei virtute indutus. «

Cap. IV. Erat ergo Eligius opere caſtus, fide Catholicus, charitate « diffuſus. «

Cap. VIII. Omnibus largus, ſibi ſoli reſtrictus; qui de pace ſollicitus, «

» de ſalute patriæ curioſus, *die noctuque pro quiete Eccleſiarum, quæ ubique*
» *ſunt, ac pro pace principum ſupplicabat.*

CAPUT LVIX.

De Theodoro Eccleſiæ Cantuarienſis Epiſcopo.

HIs omnibus Epiſcopis clariſſimis ſuccedit Theodorus virtute & ſcientiâ præſtantiſſimus, qui cùm non ſolùm ſuæ, ſed & omnium curam, quam tunc flagitabat Eccleſiarum neceſſitas, maximâ cum laude geſſerit, ut ſuprà demonſtrant veterum teſtimonia de ipſius vigilantia; meritò quidem ab omnibus habitus eſt teſte Bedâ libr. v. hiſtor. Eccl. Gentis Anglorum cap. VII.

Princeps Pontificum, Felix, Summuſque Sacerdos.

Quæſtione juris hactenùs ſatis expoſitâ: nunc de quæſtione facti ſufficiat lectorem monere, ut ad veterum teſtimonia de Theodoro recurrat, in quibus hanc quæſtionem à Patribus & Synodis abundè tractatam reperiet.

Digitized by Google

OBSERVATIONES
IN HÆC EXEMPLA
VIGILANTIÆ PASTORALIS.

CUM vulgò dicatur varia eſſe exempla, quorum alia bona, alia mala; ſoliſque Pontificibus Romanis reſervari univerſalis Eccleſiæ curam, canonibus vetantibus ceteros Epiſcopos extra limites ſuæ diœceſeos quicquam tentare: quibuſdam forſan videri poſſet, exempla quæ ſelecta ſunt aut eſſe canonibus contraria, aut Eccleſiæ ſeu ſedis Apoſtolicæ dignitati repugnare. Ne verò hæc falſa perſuaſio vigilantiæ Paſtorali Theodori quodammodò officiat, duas præcipuas obſervationes inſtituam, quarum prima docebit, exempla ſuprà relata canonibus non eſſe contraria: ſecunda declarabit, eadem exempla Eccleſiæ ſeu ſedis Apoſtolicæ dignitati non nocere, imò plurimum favere.

CAPUT PRIMUM.

Quòd exempla vigilantiæ Paſtoralis ſuprà relata Canonibus non ſunt contraria.

QUamvis tot Conciliorum leges vetent, ne quis Epiſcopus limites ſuæ Parochiæ prætergrediatur; nullus propterea exiſtimet exempla ſuprà relata canonibus repugnare. Etenim Patres ſanctiſſimi, quorum exempla exhibuimus, ipſimet ſynodis præfuerunt: ipſaſque ſanxerunt leges. Quæ cùm poſteà à calumniatoribus contra vigilantiam paſtoralem objectæ ſint; reſpondere non dubitarunt, quod fit præter regulam, modò ſit ex juſta & neceſſaria cauſa quam flagitat charitas Dei, non infringere regulam, quam ſola pervicacia & antiquitatis contemptus lædit: omnibus præponi debere charitatem Chriſti, quæ eſt lex & prophetæ: leges eâ intentione eſſe latas ut proficiant, non ut noceant: proindéque non inſiſtendum legi, cujus obſervantia noxia Eccleſiæ videtur. Ex quibus omnibus con-

cludunt, minimùm referre, quòd in habitatione diviſa ſit provincia, quando in Religione cauſa conjungitur: ad Trinitatis inſtar, cujus una eſt atque individua poteſtas, unum quoque eſſe per diverſos antiſtites Sacerdotium: nullamque eſſe diverſitatem in Sacerdotio Dei, ubi utilitati & Eccleſiæ neceſſitati providetur.

Sic reſpondet S. Epiphanius in epiſtola ad Joannem Hieroſolymorum » Epiſcopum: Maximè cùm, inquit, nulla ſit diverſitas in ſacerdotio Dei, » & ubi utilitati Eccleſiæ providetur. Nam etſi ſinguli Eccleſiarum Epiſco- » pi habent ſub ſe Eccleſias, quibus curam videntur impendere, & nemo ſu- » per alienam menſuram extenditur, *tamen præponitur omnibus charitas* » *Chriſti, in quâ nulla ſimulatio eſt.*

Sidonius in epiſtola ad Agræcium Metropolitanum Senonenſem: » Minimum refert, quòd nobis eſt in habitatione diviſa provincia, quan- » do in Religione cauſa conjungitur.

Symmachus Papa in epiſtola ad Æonium Arelatenſem Epiſcopum: » Nam dum ad Trinitatis inſtar, cujus una eſt atque individua poteſtas, » unum ſit per diverſos antiſtites ſacerdotium.

Idem in epiſtola ad Avitum Epiſcopum Viennenſem ex Schedis Hiero- » nym. Vignerii editâ tom. v. Spicileg. Luc. Acherii. Attamen ſi ea quæ » fecit, rationabiliter feciſſe fraternitas tua docuerit, gaudebimus nihil eſſe » ab eo contra canones attentatum, quia quod fit præter regulam, modò » ſit ex juſtâ cauſâ, non infringit regulam, quam ſola pervicacia & antiqui- » tatis contemptus lædit. Nam quamvis à Patribus ſtatuta diligenti obſer- » vatione & obſervanti diligentia ſint cuſtodienda, nihilominùs propter ali- » quod bonum de rigore legis aliquid relaxatur, quod & ipſa lex caviſſet, ſi » prævidiſſet. Et ſæpe crudele eſſet inſiſtere legi cum obſervantia ejus eſſe » præjudiciabilis Eccleſiæ videtur; quoniam leges ea intentione latæ ſunt, » ut proficiant, non ut noceant.

Similiter igitur cum Patribus reſpondemus ad defendendam adverſus calumniatores Theodori vigilantiam, quam tunc temporis poſtulabat maxima Eccleſiarum neceſſitas: quemadmodum teſtimonia veterum de Theodoro ſuprà relata planè demonſtrant.

CAPUT II.

Exempla vigilantiæ Paſtoralis, Eccleſiæ ſeu ſedis Apoſtolicæ dignitati tuendæ plurimum favere, ſummorum Pontificum teſtimoniis declaratur.

IUlius I. in epiſtola ad Euſebianos apud Athanaſium in apologia ſecunda. » Verùm in hoc ipſa juſta & rationabilis cauſa eſt, dilectiſſimi, quam » vobis intimandam puto. Nam tametſi ſolus ſim, qui ſcripſi, non meam » tamen ſolius ſententiam, ſed omnium Italorum, & omnium in his regio- » nibus Epiſcoporum ſcripſi. Ego autem omnes nolui ſcribere, ne à multis

-nerarentur, certè ad conſtitutum tempus convenere Epiſcopi, & ejus « ſententiæ fuere quam vobis iterum ſignifico. Quapropter, dilectiſſimi, « etiam ſi ſolus ſcribo, ſcribere me tamen communem omnium ſententiam « vos ſcire volo. Multùm abeſt, ut aliorum Epiſcoporum auctoritas & vigilantia, Eccleſiæ, ſeu ſedis Apoſtolicæ dignitati quodammodò officiat; quin ad hanc tuendam Julius illâ utatur: Hæc quidem, inquit, à no- « bis adverſus non æquas veſtrorum hominum, ſed injuſtas & ſuſpectas cau- « ſificationes dicta ſint. Et infrà: Cur igitur & inprimis de Alexandrina « civitate nihil nobis ſcribere voluiſtis? An ignari eſtis hanc conſuetudinem « eſſe, ut primùm nobis ſcribatur, ut hinc, quod juſtum eſt, definiri poſſet. « Quapropter ſi iſthic hujuſmodi ſuſpicio in Epiſcopum concepta fuerat, « id huc ad noſtram Eccleſiam referri oportuit. «

Siricius in epiſtola ad Himerium Tarraconenſem cap. xv. Et quam- « quam ſtatuta ſedis Apoſtolicæ, vel canonum venerabilia definita, nulli « ſacerdotum Domini ignorare ſit liberum: utilius tamen atque pro anti- « quitate ſacerdotii tui, dilectioni tuæ eſſe admodùm poterit glorioſum, ſi « ea, quæ ad te ſpeciali nomine generaliter ſcripta ſunt, per unanimitatis « tuæ ſollicitudinem, in univerſorum fratrum noſtrorum notitiam perferantur, « quatenùs & quæ à nobis non inconſultè, ſed providè ſub nimia cautela & « deliberatione ſunt ſalubriter conſtituta, intemerata permaneant. Sic multùm valere exiſtimabat Siricius Himerii unanimitatis ſollicitudinem per alias Eccleſias, ut ſtatuta ſedis Apoſtolicæ à ceteris Epiſcopis ſuſciperentur, atque intemerata permanerent.

Anaſtaſius I. in epiſtola ad Joannem Hieroſolymitanum Epiſcopum: « Porrò autem tanto titulorum tuorum rapior incitamento, ut etiam quod « impetrare nequeo, audere non deſinam. Tui enim Epiſcopatus ordo perſpi- « cuus per diverſum orbem velut radians, etiam ad nos ſplendoris ſui de- « tulit claritatem. Quomodò id fieri potuit, niſi mirâ per omnes Eccleſias vigilantiâ paſtorali, quæ quidem Eccleſiam Romanam illuſtravit?

Innocentius I. in epiſtola ad Victricium Epiſcopum Rothomagenſem: Incipiam igitur adjuvante ſancto Apoſtolo Petro, per quem & « Apoſtolatus & Epiſcopatus in Chriſto cœpit exordium, ut quoniam plu- « res ſæpe emerſerunt cauſæ, quæ in aliquantis non erant cauſæ, ſed crimi- « na, ut de cetero ſollicitudo ſit unicuique ſacerdoti in ſua Eccleſia curam hu- « juſmodi habere, ſicut prædicat Paulus Apoſtolus, talem Eccleſiam Deo « exhibendam, non habentem maculam aut rugam, ne alicujus morbidæ ovis « afflatu conſcientia noſtra contaminata violetur. Itaque Innocentius I. « judicat ceterorum Epiſcoporum vigilantiam Paſtoralem, Eccleſiæ ſeu ſedis Apoſtolicæ dignitati quàm maximè favere; cùm eos hortetur ad ſuſpiciendam talem ſuæ Eccleſiæ curam, ut univerſa Dei Eccleſia exhibeatur Deo non habens maculam aut rugam. Unde paulò pòſt quemlibet Epiſcopum vocat Catholicum: Hæc ſunt, inquit, quæ deinceps « intuitu divini judicii omnem *Catholicum* Epiſcopum expedit cuſto- « dire. «

» Idem in epiſtola ad Aurelium : Charitatis noſtræ officium nullo in-
» tervallo dirimitur, etiam ſi charta nullos apices ferat. Vivit enim ſpiri-
» tualis gratia alternis in cordibus, & amorem noſtrum confovet ſacerdota-
» lis ipſa ſocietas. &c. Et poſt pauca : Jam prudentiæ tuæ erit, conſors mi
» frater, cum unanimis & conſacerdotibus noſtris hanc ipſam rem in ſynodo
» religioſiſſima tractare. Hæc eſt omnium Epiſcoporum vigilantia paſto-
ralis, quam Innocentius I. appellat charitatis mutuæ officium: gratiam ſpiritualem, quæ vivit alternis in cordibus : atque ipſam ſocietatem ſacerdotalem, ex qua multum ſplendorem conſequitur ſedes Apoſtolica; ut idem teſtatur in epiſtola ad Alexandrum Antiochenum his ſcilicet verbis :
» Apoſtolici favoris gratia, magno pacis uſque ad nos decore reſplenduit;
» tantumque lucis gaudiorumque infulſit fidelibus, ut dicentes Deo maxi-
» mas laudes, majores debere nos fateamur. Pluſque à Deo jucundati
» ſumus quò diſcuſſis omnibus lateribus actionum tuæ fraternitatis, ita to-
» tum pietate ac patientia geſtum cognovimus, ut in omnibus Dominum
» laudaremus.

Zoſimus in epiſtola ad Africanos Epiſcopos, quos ad ſuſcipiendam omnium Eccleſiarum ſollicitudinem, ut potè quæ ad dignitatem ſedis Apo-
» ſtolicæ valde conducat, ita adhortatur : Magnum pondus examinis ma-
» gna deſiderat, ut non ſit rebus ipſis quæ geruntur inferior libra judicii.
» His accedit Apoſtolicæ ſedis auctoritas, cui in honorem beatiſſimi Pe-
» tri Patrum decreta peculiarem quamdam ſanxere reverentiam. Oran-
» dum igitur, & inceſſanter orandum, ut continuâ gratiâ, perennique ad-
» jutorio Dei pax ex hoc fonte in totum orbem fidei & Catholicæ ſocietatis
» nullis nubibus interfuſcata mittatur. Charitas enim, quæ ſicut ſcriptum
» eſt Deus eſt, perfectâ plenitudinis abundantiâ gratulatur : cùm ſi quid vel
» ſuſpicionis habuerit fidei intentionis ſollicitâ, vel in longum perductâ con-
» tentione, aut emendatione corrigitur.

» Bonifacius I. in epiſtola ad Epiſcopos Galliæ : Quidquid autem veſtra
» charitas de hac cauſa duxerit decernendum, cùm ad nos relatum fuerit,
» noſtra, ut condecet, neceſſe eſt auctoritate firmetur. Sic Bonifacius propter unitatem Eccleſiæ, & ſedis Apoſtolicæ honorem probandum ſuaque auctoritate confirmandum cenſet, quidquid ceteri Epiſcopi pro bono univerſæ Eccleſiæ charitate moti decreverunt.

Cæleſtinus I. in epiſtola ad ſynodum Epheſinam quæ extat part. II,
» act. II. *Hæc ad omnes in commune Domini ſacerdotes mandata præ-*
» *dicationis cura pervenit : hereditario in hanc ſollicitudinem jure conſtrin-*
» *gimur*, quicumque per diverſa terrarum, eorum vice nomen Domini
» prædicamus, dum illis dicitur : Ite, docete omnes gentes. Advertere de-
» bet veſtra fraternitas, quia accepimus generale mandatum : omnes etiam
» nos id agere voluit, qui illis ſic omnibus in commune mandavit officium.
» Neceſſe eſt ut competenter noſtros ſequamur auctores. *Subeamus omnes*
» *eorum labores, quibus omnes ſucceſſimus in honore.* Ergo propter honorem Eccleſiæ & ſedis Apoſtolicæ dignitatem apertè docet Cæleſtinus, ad

Digitized by Google

quoſlibet Epiſcopos omnium Eccleſiarum ſollicitudinem, tanquam jus & onus hæreditarium pertinere, quod acceperunt ab Apoſtolis, quibus omnes in honore ſucceſſerunt.

Eadem eſt omnium Eccleſiarum ſollicitudo, quam Cæleſtinus Cyrillo in epiſtola ad ipſum ſcriptâ hoc modo commendat. Tuæ ſit hoc ſanctitatis cum venerando fratrum concilio, ut orti in Eccleſia ſtrepitus comprimantur, & finitum Deo juvante negotium votivâ correctione diſcamus. Conventui autem nos deeſſe non dicimus: neque enim ab his abſentes eſſe poſſumus, quibus nos ubicumque poſitis, fides tamen una conjungit. Nolo nos corpore iſto cenſeri, cujus præſentiam Apoſtolus aſſignat infirmam. Illic ſumus, quidquid illic pro omnibus agitur, cogitamus; ſpiritualiter agimus, quod corporaliter agere non videmur.

Sed vigilantiæ paſtoralis fructus univerſæ Eccleſiæ utiliſſimos Cæleſtinus egregiè ita prædicat in epiſtola poſt damnationem Neſtorii ad Synodum Epheſinam ſcripta: Tandem malorum fine gaudendum eſt; tandem nobis omnibus in commune dicendum: Dextera tua, Domine, glorificata eſt in virtute, dextera manus tua confregit inimicos. Propriè namque ipſi confracti ſunt, quando iniqua loquentium, dicente David, os videamus eſſe obſtructum. Hujuſce tamen tam fideliter peractæ rei vos executores nobiſcum videmus fuiſſe fidei defenſores; qui convenientes in unum, & ſecundùm Apoſtolum, non quæ veſtra ſunt quærentes, ſed quæ Chriſti Jeſu, negotium Domini communis egiſtis. Apud vos ergo de veſtra loquimur ſanctitate, quorum in omnem terram ſonum gaudemus exiiſſe, cùm & in finem ejuſdem orbis prædictæ veritatis à vobis verba venerunt: Deus noſter non patitur latere quod præſtitit, quia nunquam beneficia ſuperna celantur. Denique hic ſummus Pontifex vigilantiam paſtoralem cæterorum Epiſcoporum per omnes Eccleſias adeo probat, ut eos ſuo quidem exemplo excitet ad perficiendum id quod pro bono univerſæ Eccleſiæ agendum reſtabat. Peracta eſt à vobis, inquit, totius ſumma negotii. Agendum nunc eſt quod inſtat & reſtat, ne ſit in vacuum laboratum. Longiùs quidem ſumus poſiti: ſed per ſollicitudinem totum propiùs intuemur. Omnes habet beati Petri Apoſtoli cura præſentes. Non nos ante Deum noſtrum de hoc poſſumus excuſare quod ſcimus. Nam quanquam hæc quæ loquimur ſanctitas veſtra tacuerit; agnovimus tamen omnia diligentiùs requirentes. Tantæ igitur cauſæ finis, qui ſupereſt, actibus veſtris, quæſo, reſpondeat: quia nolumus in modico vos deeſſe, qui maxima peregiſtis.

Sixtus III. in epiſtola ad Joannem Antiochenum: Non parum nobis oneris, non laboris incumbit, ut Eccleſiæ Domini macula deſit & ruga. Qua verò ratione hoc onus, hic labor omnibus Epiſcopis debeat eſſe communis, perſpicuè docet in epiſtola ad univerſos Epiſcopos per Illyricum conſtitutos: Nullum corpus eſt quod capite non regatur. Eſtis quidem membra, ut novimus ſancta; ſed veſtrum caput reſpicere & honorare vos condecet, quoniam honor capitis ad ſpem totius proficit ſanctitatis:

& ſuum corpus ſollicitis tuetur oculis, quod ſibi aptum & dignis videatur ad unamquamque rem officiis convenire. Sed ut omne corpus capite regitur, ita ipſum caput niſi ſuo corpore ſuſtentetur, firmitatem & vigorem ſuum perdit, & non tenet quam habuerat dignitatem. *Eſtote igitur, ut eſſe convenit Domini Sacerdotes, Eccleſiarum præſules, Religionis noſtræ doctores.*

Leo I. in epiſtola ad Julianum Epiſcopum Coenſem: Studeat ergo dilectio tua, frater chariſſime, piam & neceſſariam curam ſollicitudini Apoſtolicæ Sedis impendere, quæ tibi apud ſe nutrito Catholicam contra Neſtorianos & Eutychianos hæreticos actionem materno jure commendat, ut divino fultus auxilio, ſpeculari de Conſtantinopolitanæ urbis opportunitate non deſinas, ut prædictorum dogmatum impius nunquam turbo conſurgat. Hoc igitur modo Juliani vigilantia paſtoralis Sedis Apoſtolicæ dignitati tuendæ multum favebat.

Idem in epiſtola ad Septimium Altinum Epiſcopum: Lectis fraternitatis tuæ literis, vigorem fidei, quam olim noveramus, agnovimus: congratulantes tibi, quod *ad cuſtodiam gregum Chriſti paſtoralem curam vigilanter exequeris*; ne lupi, qui ſub ſpecie ovium ſubintrarunt, beſtiali ſævitia ſimplices quoſque dilacerent, & non ſolùm ipſi nullâ correctione proficiant, ſed etiam ea, quæ ſunt ſana corrumpant.

Porro hujus ſollicitudinis communis præclara eſt ratio, quam S. Leo in epiſtola ad Anaſtaſium Theſſalonicenſem exhibet his verbis: Nemo quod ſuum eſt quærat, ſed quod alterius, ſicut Apoſtolicus ait: unuſquiſque veſtrûm proximo ſuo placeat in bono ad ædificationem. Nec enim poterit unitatis noſtræ firma eſſe compago, niſi nos ad inſeparabilem ſoliditatem vinculum charitatis adſtrinxerit: quia ſicut in uno corpore multa membra habemus, omnia autem membra eumdem actum habent, ita multi unum corpus ſumus in Chriſto, ſinguli autem alter alterius membra. Connexio totius corporis unam ſanitatem, unam pulchritudinem facit. Et hæc quidem connexio totius corporis unanimitatem requirit, ſed præcipuè exigit concordiam ſacerdotum.

Hilarus in epiſtola ad Aſcanium Tarraconenſem Epiſcopum: Tuæ ſollicitudinis eſt, frater chariſſime, omnia debita tibi auctoritate tueri, & illicitis non modo non præbere aſſenſum, ſed etiam cuncta quæ contra regulam facta repereris, coercere. Quam omnium Eccleſiarum ſollicitudinem in quibuslibet Epiſcopis tanti facit, ut nequidem dubitet vigilantiſſimi Epiſcopi conſilia audire, ipſiuſque exemplum ſibi proponere imitandum. Sic enim in epiſtola ad Leontium Epiſcopum Arelatenſem: Affectus itaque tui gratiam perire non paſſus es, quòd ei ſollicitudini intentum te eſſe cognoſco, ut cuſtodiendis paternorum canonum regulis ſtudere me cupias. Quo deſiderio nihil concipi ſalubrius poteſt, quàm ut in una Eccleſia, cui oportet nec maculæ aliquid ineſſe, nec rugæ, una ſit in omnibus obſervatio diſciplinæ. Cui ſi aliquid eruditionis aut correptionis addendum eſt, rectiſſimè per veſtram diligentiam conſuletur, ſi quemadmodum

Digitized by Google

modum es dignatus ſcribere, tam inſtructa ad nos fuerit perſona directa, quæ inquiſitionem noſtram plenè ex omnibus poſſit inſtruere. Spondeo enim, quantùm gratia Dei donat ut ſpondeam, hoc me ad univerſalem Sacerdotum Domini concordiam proviſurum, ut omnes non ſua audeant quærere, ſed quæ ſunt Chriſti ſtudeant obtinere.

Idem in epiſtola ad Epiſcopos diverſarum provinciarum Galliæ: Sed quoniam tanti exceſſus majorem nobis ſollicitudinis materiam detulerunt, hæc ad univerſam charitatem etiam per fratrem & coëpiſcopum noſtrum Antonium ſcripta direximus, quibus admonita *communis omnium ſollicitudo procuret*, ne quiſquam fratrum in alterius proruptus injuriam, tranſcendat terminos à venerandis Patribus conſtitutos. Unde in epiſtola ad Leontium, Veranum & Victurum Epiſcopos, cupiditatem eorum qui majores ſedes ambiunt, hac præclarâ ratione vituperat: Cujus expectatio fructus noſtri miniſterii non in latitudine regionum, ſed in acquiſitione ponitur animarum.

Simplicius, Acacio Epiſcopo Conſtantinopolitano curam univerſæ Eccleſiæ ſæpius in ſuis epiſtolis tùm ipſius vigilantiæ laudibus, tùm negligentiæ reprehenſione atque adhortatione commendat. In epiſtola quæ inſcribitur XX. inter epiſtolas Simplicii tom. IV. ult. edit. Quantos & quàm uberes fructus conſtantiæ fidei, & devotarum circa Religionem Catholicam mentium ſemper habeat fortitudo, labor tuæ dilectionis & eorum qui pariter repentè diabolo jamdudum turbantur, oſtendit. &c. Idipſum ad tuam voluimus pervenire notitiam, ut etiam nunc communium fieres particeps gaudiorum; & in prædictæ Eccleſiæ tranquillitate, quemadmodum diximus, laboris tui nobiſcum carperes fructum.

II. In epiſtola XVII. Miramur pariter & dolemus, ita in tuæ dilectionis animo diſſimulatam lacerare curam charitatis & fidei, ut cùm Chriſtianiſſimus Imperator pietatis & religionis inſtinctu affandi me, & de cauſis Eccleſiaſticis conſulendi, fideles atque ſolertes internuntios deſtinaret, *& ipſe & alterna gratia & vigilantia paſtoralis oblitus*, nec alloqui nos volueris, nec de his quæ ad Catholicæ veritatis cuſtodiam pertinebant, duxeris inſtruendos: atque ideo, frater chariſſime, quæ non immeritò cernis libera affectione culpari, potiori diligentiâ repenſando, cognoſce proinde delegatum tibi munus impendens, ſenſus tuos prudenter attolle, & pro tuendis Calchedonenſis ſynodi conſtitutis vehementer invigila, ne per negligentiam deſidiamque noſtram ſubrepatur gregibus Domini lethale diſpendium.

III. Denique in eadem epiſtola hortatur, ut non tantùm in Eccleſia cui præſidet, ſed ubicumque potuerit, pro unitate Catholicâ, ſuæ vigilantiæ fructus effundat: Opportunitatibus ergo repertis, clementiſſimi principis voluntatem inceſſabiliter pro fide Catholica ſupplicando, & ab his ſedulò revocare quæ nociva ſunt dogmati Chriſtiano, & ſecundùm hæc quæ mandamus, informare crebrò, inque eam partem quæ amica ſit veritati, potius inſtare non deſinas, & ut ſanctum Timotheum venerandus

» Apoſtolus Paulus inſtituit opportunè, importunè obſecrando, inſinuan-
» do, exponendoque nullatenùs allegare ceſſabis, & nobis ſubinde quæ
» gerantur, quæve gerenda ſint, veraciter indicare, ut creditorum tibimet
» diſpenſatione Dominica talentorum in hac multiplicatione fidelis ſervus
» oſtendaris, ſi non tantùm in Eccleſia cui præſides, ſed ubicumque potue-
» ris, pro unitate Catholica, & pro paternis definitionibus ſuadere non re-
» nuas.

Felix III. in epiſtola ad univerſos Epiſcopos per diverſas provincias
» conſtitutos: His itaque ritè diſpoſitis, & ad Eccleſiarum veſtrarum no-
» titiam noſtra deliberatione perlatis, parere vos convenit: quibus, licet
» ad animarum reparationem nihil deeſſe videatur, tamen ſi cui novi ali-
» quid, & quod præterire nos potuit, fuerit revelatum, ſecundùm bea-
» tum Apoſtolum Paulum, tacente priore, fideliter inſinuet: quia Spiritus
» ſanctus, ubi vult, ſpirat, maximè cùm ſua cauſa tractatur: nec nos
» pigebit audire, & ſi quæ ſunt omiſſa, non arroganter abnuere, ſed ratio-
» nabiliter ordinare. Quæ verba deſumpta eſſe videntur ex epiſtola Cy-
» priani ad Quintum, ubi ita loquitur: Nam nec Petrus quem primum
» Dominus elegit, & ſuper quem ædificavit Eccleſiam ſuam, cùm ſecum
» Paulus de circumciſione poſtmodum diſceptaret, vindicavit ſibi aliquid
» inſolenter, aut arroganter aſſumpſit, ut diceret ſe primatum tenere: &
» obtemperari à novellis & poſteris ſibi potius oportere. Nec deſpe-
» xit Paulum quòd Eccleſiæ priùs perſecutor fuiſſet, ſed conſilium veritatis
» admiſit, & rationi legitimæ quam Paulus vindicabat, facilè conſenſit;
» documentum ſcilicet nobis & concordiæ & patientiæ tribuens, ut non per-
» tinaciter noſtra amemus, ſed quæ aliquando à fratribus & collegis noſtris
» utiliter & ſalubriter ſuggeruntur, ſi ſint vera & legitima, ipſa potiùs
» noſtra ducamus. Cui rei Paulus quoque proſpiciens, & concordiæ &
» paci fideliter conſulens in epiſtola ſua poſuit, dicens: Prophetæ autem
» duo, aut tres loquantur, & ceteri examinent. Si autem alii revelatum
» fuerit ſedenti, ille prior taceat. Quâ in parte docuit & oſtendit, multa
» ſingulis in melius revelari: & debere unumquemque, non pro eo quod
» ſemel imbiberat & tenebat, pertinaciter congredi, ſed ſi quid melius & uti-
» lius exſtiterit, libenter amplecti. Non enim vincimur, quando offerun-
» tur nobis meliora, ſed inſtruimur; maximè in his quæ ad Eccleſiæ uni-
» tatem pertinent, & ſpei & fidei noſtræ veritatem. Itaque non obſtante
primatus ſui dignitate Felix III. à S. Cypriano didicit vigilantiam cetero-
rum Epiſcoporum per omnes Eccleſias adeo eſſe neceſſariam, ut cuilibet
licet inferiori, ſi melius & utilius revelatum fuerit, quia Spiritus ſanctus
ubi vult ſpirat, oporteat obtemperare.

» Gelaſius I. in epiſtola ad Honorium Dalmatiæ Epiſcopum: Cùm
» dicente magiſtro gentium, ſollicitudine non pigri, atque iterùm, qui
» preæeſt in ſollicitudine, reos proculdubio nos niſi continuo quæreremus,
» etiamſi inaniter eſſent vulgata, convincerent. &c. Quapropter non ſo-
» lùm dilectio tua noſtrâ non debet vigilantiâ permoveri, ſed præſentis

colloquii ſalutatione perceptâ nobiſcum potius induſtriam propriæ ſociare " ſolertiæ. De quo multùm Ruſtico Lugdunenſi Epiſcopo gratulatur in " epiſtola ad ipſum, quam ex Schedis v. Cl. Hieronymi Vignerii R. P. Lucas Acherius edidit tom. v. Spicilegii. Inter ingruentium malorum " turbines & variarum tentationum quibus penè mergimur afflictationes, " tua nobis charitas, amantiſſime frater, grande ſolatium propinavit. Quid " enim conſolatius poſſet accidere, quàm videre fratres cariſſimos invicem " compatientes *& partem oneris ferentes*, quibus non minima benedi- " ctionis portio collata eſt. "

Horſmiſdas in epiſtola ad Dorotheum Theſſalonicenſem Epiſcopum: Hortor propter commune remedium, invito pro ſalute fidelium, pro- " pter generalem ſuadeo medicinam. Quis namque contentus eſt hos vi- " dere diviſos, quorum poteſt unitate gloriari? Unde opus eſt labore com- " muni, ut hoc, quod à patribus noſtris accepimus, conſervantes ſecundè " niſi in illo, poſſimus divino aſtare judicio. Quid aliud eſt iſte labor com- " munis propter commune remedium, propter generalem medicinam, quàm vigilantia paſtoralis quam flagitat omnium Eccleſiarum neceſſitas?

In epiſtola ad Joannem Nicopolitanum Epiſcopum: Iſta charitas, " iſta communis ſalutis excitavit ambitio, quod credo & fraternitatem " veſtram gratanter accipere; quia ubi de animarum ſalute res agitur, " ſtudii tui, vel intentioni debes operam commodare, ut antecedendo fru- " ctum de tali poſſis laude percipere. Illa eſt quoque vigilantia paſtoralis, " ſeu omnium Eccleſiarum ſollicitudo, quæ eleganter appellatur communis ſalutis ambitio, ubi de ſalute animarum res agitur.

In epiſtola ad Avitum Viennenſem Epiſcopum, cujus laudat ſtudium cognoſcendi de ſtatu Eccleſiæ Orientalis: Qui de his quæ ad diſcipli- " nam Catholicam pertinent maximè ſciens inſtrui cupit, quid ſtudii circa " mandata divina habeat, evidenter oſtendit. Non enim poteſt eſſe hujuſ- " modi cura, niſi ubi fides fuerit infucata. Atque ideò exultamus in Domino " de ſinceritate propoſiti tui, dilectiſſime frater, dum te ſecundùm directas " per Alexium Preſbyterum atque Venantium Diaconum literas intuemur, " & de impiis tranſgreſſoribus Eutychete atque Neſtorio ſedis Apoſtolicæ " conſtituta recolere, & ſi quid adverſus eos admonitio noſtra promo- " verit, per quos Orientales Eccleſiæ confunduntur, inquirere. Digna " planè ſollicitudo. "

In epiſtola ad Timotheum Conſtantinopolitanum Epiſcopum: Adjacet " tibi modò ad juſta populos incitando, modò pro fide principalibus veſti- " giis ſupplicando, dirigere quod devium eſt, ſolidare quod dubium: magno " te convenit labore providere, ut cauſas tranſacti temporis rectæ tegat ſe- " dulitas actionis. Præſtat quidem animæ ſuæ, *per quem univerſali ali-* " *quid confert Eccleſiæ.* "

In epiſtola ad univerſos Epiſcopos in Orientis partibus conſtitutos: Qui " ſe ad paſcendas Dominici gregis oves gaudet adſcitum, cogitet de com- " miſsâ ſibi gubernatione judicium. Pervigil adhibenda tutela eſt, continuan- "

» di cuſtodia : non dandus lupis rapacibus locus , non ullis caſibus relin-
» quendus : quia neglectus error ovium , culpa paſtorum eſt. Veniet qui
» rationes creditæ diſpenſationis examinet. &c. Per univerſas gentes ver-
» bi prædicatio mandatur Apoſtolis , & quàm inexcuſabiliter hoc quiſquam
» poteſt ſibi tacere commiſſum. &c. Nonne hoc ante oculos habens , diſci-
» pulum ita gentium doctor inſtituit , ut oportunè evangelizare non ceſſet ?
» admonens : Attende tibi , & doctrinæ : inſta in illis : hoc enim faciens , &
» teipſum ſalvum facies , & eos qui te audiunt.

» In epiſtola ad Epiſcopos Orientales ſecunda legatione tranſmiſſa : An-
» nuntiate quæ colitis , *& participate etiam per univerſum orbem man-*
» *data evangelica quæ tenetis : ſupra ſtipendia veſtra , correctio quoque vobis*
» *adſcribatur aliena.* Inter ceterorum enumerationem , quibus ſibi divinam
» gratiam plenus ſpiritu Dei propheta conciliat , interea quibus miſericor-
» diam , qua conſervetur , exorat : docere ſe iniquos vias Domini , & con-
» verſionem per ſe fieri prædicat impiorum. Beati , quibus vita innocenter
» acta dat præmium. Beati , per quos aliis quoque præſtatur exemplum. Quos
quidem ad hanc omnium Eccleſiarum ſollicitudinem ſuſcipiendam ſuo
» quoque exemplo invitat his verbis : Et nos quidem , quantum in no-
» bis eſt , nec ſollicitudine , nec labore ceſſamus , ut humilitatem , quam nos
» Dominus noſter docuit , imitati , quæ ſaluti eorum conveniunt , poſtule-
» mus : ut diſpenſationis mihi creditæ , dum agnoſcitur cura , probentur
» officia.

In epiſtola ad univerſos Epiſcopos Hiſpaniæ cap. 1. de Epiſcopis juxta
» ſtatuta canonum ordinandis : Ut in ſacerdotibus ordinandis , quæ ſunt
» à Patribus præſcripta & definita cogitetis : quia ſicut eſt caput Eccleſiæ
» Chriſtus , *Chriſti autem Vicarii* Sacerdotes , ſic & in eligendis his cu-
» ram oportet eſſe perſpicuam. Irreprehenſibiles enim eſſe convenit , quos
» præeſſe neceſſe eſt corrigendis : nec quidquid deeſſe illi perſonæ , *penes*
» *quam eſt Religionis ſumma & ſubſtantia diſciplina.* Id eſt , cui ſicut Apo-
ſtolis , à Chriſto univerſæ Eccleſiæ cura commiſſa eſt. Etenim maxima
Apoſtolorum dignitas in eo conſiſtit , quòd conſtituti ſint Chriſti Vicarii ,
penes quos fuit Religionis ſumma & ſubſtantia diſciplinæ.

» In epiſtola ad Joannem Conſtantinopolitanum Epiſcopum : *Nobis*
» *una cauſa ſollicitudo , una cuſtodia eſt* , ita pacem cupere , ut ſic Religio-
» nis , ſic venerabilium Patrum conſtituta ſerventur : quoniam quæ inter
» ſe conſonâ credulitate non diſcrepant , æquum eſt ut ſimili obſervatio-
» ne ſubſiſtant.

» In altera epiſtola ad eundem : De Antiochenæ quoque atque Ale-
» xandrinæ Eccleſiarum ſtatu non ſuperſedeas eſſe ſollicitus , & clementiſ-
» ſimo ſubinde principe ſupplicato , ut in his quoque pacem religioſa ordina-
» tione reſtituat , quatenùs bonis cœptis plenæ cumulum perfectionis ad-
» jungat.

» In epiſtola ad Germanum & Joannem Epiſcopos : De his quæ acta cha-
» ritatis veſtræ relatio comprehendit , gratias Deo noſtro referimus , qui

Digitized by Google

laborem veſtrum juvare dignatus eſt, & hortamur ut Clementiſſimo Principi & piiſſimæ Auguſtæ conjugi ejus officiis imminere competentibus debeatis, & agere auxiliante Chriſto noſtro univerſis ſub Eccleſiaſtica obſervatione diſpoſitis, *ut omnes Eccleſiæ quæ in qualibet mundi parte ſunt poſitæ, ad communionem ſedis Apoſtolicæ revocentur.* De Alexandrina atque Antiochenâ Eccleſiis laborate, ut noſtræ fidei ſub obſervatione rationabili connectantur, quia tantæ rei perfectio, tam Clementiſſimo Principi, quàm vobis, gratiam divinæ propitiationis acquirit. Conſtat igitur ad dignitatem Eccleſiæ ſeu ſedis Apoſtolicæ multùm conferre ceterorum Epiſcoporum vigilantiam per omnes Eccleſias.

In epiſtola ad Joannem Melicitanum Epiſcopum: cui de omnium Eccleſiarum ſollicitudine, quam hic cum ipſo ſuſcepit, ita gratulatur: Vota noſtra charitatem tuam latere nolumus, ne qui particeps fuit ſollicitudinis, gaudiorum fructu reddatur extorris.

Joannes I. ſeu auctor epiſtolæ, quæ ſub titulo Joannis I. inſcribitur ad Zachariam Archiepiſcopum: *Hujus ergo rei gratia vobis & nobis ſancta commiſſa eſt Eccleſia*, ut pro omnibus *laboremus, & cunctis opem ferre non negligamus*: quoniam dum fortis armatus cuſtodit atrium ſuum, in pace ſunt omnia quæ poſſidet. Ideoque tantâ urgente neceſſitate, *ſummopere veſtra Apoſtolicaque auctoritate*, & reliquos Epiſcopos oportet reprimere infeſtos, relevare oppreſſos, ut abſque gravi, Domino auxiliante, difficultate, ipſi gratanter omni tempore ſacrificare mereamur illæſi.

Felix IV. ſeu auctor epiſtolæ ſub nomine Felicis IV. ad omnes Epiſcopos: Et quando bona audio de vobis, nimis ſum gaviſus: & econtra quando mala, nimis conturbatus. Ego verò quamvis à vobis per longa terrarum atque maris intervalla disjunctus ſim, ſum tamen omnino vobis corde conjunctus. Idque de beatitudine veſtra erga me modis omnibus confido, quia cùm me viciſſim diligitis, à me non longè eſtis. Unde gratias referimus illi grano ſinapis, qui ex modici deſpicabiliſque ſeminis ſpecie, ita ramis ex eadem ſpecie ſurgentibus, atque ſe diſtendentibus, uſquequaque diffuſis, ut in eis volatilia cœli nidificent: gratiaque ſit fermento illi, quod tribus farinæ ſatis totius generis humani maſſam in unitate conſperſit: atque parvo lapidi, qui abſciſſus eſt de monte ſine manibus, & occupavit univerſam faciem orbis terræ, qui ad hoc ſe uſquequaque diſtendit, ut omni humano genere in unitatem redacto, totius corpus perficeretur Eccleſiæ, atque ita ad totius compagis pertineret commodum membrorum partialis iſta diſtinctio. Unde nos quoque à vobis non longè ſumus: quia in illo, qui ubique eſt, unum ſumus. Agamus ergo ei gratias, qui ſolutis inimicitiis in carne ſua fecit, ut in omni orbe terrarum unus eſſet grex, & unum ovile ſub ſe uno paſtore, ſemper memores quid nos egregius prædicator admoneat dicens: ſolliciti ſervate unitatem ſpiritus in vinculo pacis. Mira hæc unitas, quæ facit unum gregem, unum ovile ſub uno paſtore, unam Eccleſiam, unamque ſedem

Digitized by Google

Apoſtolicam; in qua quidquid agit pro bono ſuæ Eccleſiæ Vicarius Chriſti, qualem vocat Horſniſdas quemlibet Epiſcopum, ſicut per eum omnes vicarii Chriſti cenſentur agere, pro omnibus quoque & ad omnium Eccleſiarum utilitatem agere dicitur. Unde ſi quis ab uno Epiſcopo in gremium Eccleſiæ recipiebatur, juxta canones ab omnibus Epiſcopis & per omnes Eccleſias ſuſceptus erat: cùm econtrariò ſi quis in una Eccleſia depoſitus aut excommunicatus fuerit, à ceteris univerſæ Eccleſiæ Antiſtitibus tanquam ab ipſiſmet privatim excommunicatus habe-retur; quemadmodum Joannes Launoius ſummus Theologus in ſuis epiſtolis doctiſſimis totâ Patrum traditione demonſtravit.

Joannes II. ſeu auctor epiſtolæ Joannis II. ad Valerium Epiſcopum: » Taliter, frater cariſſime, ſemper age, ceteroſque omnes agere mone, ut » abolito hoc, qui natus videbatur, errore, in laudem & gloriam Dei per » totum mundum una fides ſit, & una eademque confeſſio. A quocunque auctore hæc dicta ſint: non dubium eſt, quin illa cum traditione ſummorum Pontificum plane conſentiant.

Silverius ſive auctor epiſtolæ, quæ præfert nomen Silverii ad Amatorem: » O quàm bona eſt charitas, quæ abſentia per imaginem, præ» ſentia ſibimetipſi exhibet per amorem. Diviſa tangit, confuſa ordinat, » inæqualia ſociat, imperfecta perficit. Quam rectè prædicator egregius » vinculum perfectionis vocat: quia virtutes quidem ceteræ perfectionem » generant, ſed tamen eas charitas ligat, ut ab amantis mente diſſolvi jam » nequeant. Hac itaque virtute, frater cariſſime, plenum te reperio, dum non » ſolùm de me ſciſcitando & viſitando curam habes, ſed etiam bonis tuis » me fulcire & ſuſtentare non diſinis. &c. Agat ſemper unuſquiſque ve» ſtrûm hac informatione, Apoſtolicâ fultus auctoritate, juxta vires ſuas, » & fraternâ dilectione, ac ſancta Religione mores proprios conſervare, & » *in communi alterutrum adjuvare*, & in charitate permanere, & Dei vo» luntati indeſinenter ſtudeat inhærere, ut ſimul laudantes Dominum, in» defeſſis illi gratias ſemper agamus.

» Vigilius in epiſtola ad Eutherium: Directas ad nos tuæ charitatis epi» ſtolas, plenas Catholicæ inquiſitionis ſollicitudine, gratanter accepimus, » benedicentes Dei noſtri clementiam, quia tales in extremis mundi parti» bus dignatur ſuis ovibus providere paſtores, per quos & paſcuis valeant » ſalutaribus abundare, & ab antiqui hoſtis rapacitate ſervari, ut inſidias » nequeant ejus ſubreptionis incurrere.

» In epiſtola ad Auxanium Arelatenſem: Convenit enim nos doctoris » gentium mandata recolere, quibus Timotheum diſcipulum ſuum inſtru» ctionibus ſanctis hortatur, dicens: exemplum eſto fidelium in verbo, in » converſatione, in charitate, in fide, in caſtitate. Et ſicut item Apoſtolo» rum primus ſaluberrimâ admonitione præcipiens: Paſcite qui in vobis eſt » gregem Dei, conſequenti adhortatione ſubjungit: Forma facti gregis ex » animo: & cùm apparuerit Princeps paſtorum, percipietis immarceſſi» bilem gloriæ coronam. Sic Vigilius declarat omnibus Epiſcopis æque

Digitized by Google

ac ſibi ipſi competere hanc ſaluberrimam Pauli admonitionem : Paſcite qui in vobis eſt gregem Dei , id eſt,qui vobis à Deo commiſſus eſt.

In epiſtola ad Epiſcopos Galliæ : Quantùm nos divina potentia Apoſtolorum primi ſedem , non pro noſtris meritis , ſed pro ineffabili ſuæ miſericordiæ pietate habere conſtituit , tantùm nos de univerſarum Eccleſiarum diſpoſitione & pace & ſtatu curam habere convenit , cùm gentium dicat Apoſtolus : inſtantia mea quotidiana , ſollicitudo omnium Eccleſiarum. Cujus ſollicitudinis hanc affert rationem in altera epiſtola ad eoſdem : tantùm nos de univerſarum pace Eccleſiarum , quæ licet in multis , una tamen eſt toto orbe diffuſa , inceſſanti ſtudio convenit eſſe ſollicitos. Quâ ſimili ratione utitur , ſcilicet fidei & Eccleſiæ unitate , ad officium paſtorale quorumlibet Epiſcoporum adverſus hæreſes armandum. Sic enim loquitur in epiſtola encyclica ad univerſam Eccleſiam : Et prout diverſarum hæreſum damnanda exigebat adverſitas , eamdem fidem uno eodemque ſenſu atque ſpiritu declarantes latiſſimè ediderunt. Hinc eſt quod Deus noſter contra errorum hujuſmodi feritatem paſtorale cœlitùs armavit officium , quod beatiſſimo Petro Apoſtolo trinâ præceptione commendans ait : Paſce oves meas : & rectè illi paſcendarum eſt cura commiſſa , cujus fidei præclara confeſſio Dei eſt ore laudata. Itaque omnibus Eccleſiæ Antiſtitibus mandata eſt communis cura paſtoralis & cuilibet Epiſcopo in perſona Petri dictum eſt : Paſce oves meas , ſicut totâ Patrum traditione probavit in ſuis epiſtolis Joannes Launoius ſedis Apoſtolicæ defenſor invictiſſimus.

Vigilius in epiſtola ad Valentinianum Epiſcopum de tomis provinciæ Scythiæ,quem laudat ob pontificalem omnium Eccleſiarum ſollicitudinem, quam ipſe ſuſcipiebat : Fraternitatis tuæ relegentes ſcripta , Pontificalem in vobis ſollicitudinem ineſſe gratanter accepimus : quia prophetica tibi poſſunt verba competenter aptari , quibus ait : Salvabo gregem meum, & ſuſcitabo ſuper eum paſtorem qui paſcat eum , ſervum meum. Oportet ergo charitatem tuam ea quoque Domini noſtri verba ſectari , per quæ dixit : Speculatorem te poſui domui Iſraël , & audies de ore meo verbum, & annuntiabis eis ex me : & convocatos eos , quos ſcandalizari diverſis rumoribus retuliſti , inceſſanter hortari , ne per hos forſitan ſeducantur, qui ſub prætextu Catholico , nequiſſimo ſpiritu ſimplicium Chriſtianorum corda fallaciâ ſuâ decipere moliuntur.

Idem in epiſtola ad Aurelianum Epiſcopum Arelatenſem : Fraternitatis veſtræ literas pridiè Idus Julias , Anaſtaſio deferente , ſuſcepimus : & gratias referimus divinæ Clementiæ , quia ſollicitudinem veſtram in fidei cauſa , vel in noſtræ opinione perſonæ , ſacris relegimus convenire mandatis , ut dignè charitati tuæ verba Dei & convenienter aptentur , quibus ait : Elegi te ſacerdotem ex omnibus , aſcendens ad altare meum , & portes coram me nomen magnum cunctis diebus vitæ tuæ. Neceſſe ergo nobis eſt charitatis veſtræ ſollicitudinem brevi interim , quantùm pro temporis qualitate potuimus , relevare colloquio.

Pelagius I. in epiſtola ad Sapaudum Arelatenſem : Hoc enim antiquitatis memoria docet, hoc etiam Romana teſtantur Scrinia à ſanctis patribus & deceſſoribus noſtris tuis deceſſoribus eſſe conceſſum : ut illius ſtabilis petræ ſempiterna ſoliditas, ſupra quam Dominus Salvator noſter propriam fundavit Eccleſiam à ſolis ortu uſque ad occaſum, primatus ſui apicem ſucceſſorum ſuorum auctoritate, tam per ſe, quàm per vicarios ſuos, firmiter obtineret. Nos autem, ſicut dicit beatus Apoſtolus, non in immenſum gloriamur, ſed ſecundùm menſuram regulæ, quâ menſus eſt nobis Deus menſuram pertingendi uſque ad vos. Nec enim quaſi non pertingentes ſuperextendimus nos. Sic ergo participata ſollicitudine ſanctam Dei univerſalem Eccleſiam noſtri per Dei gratiam rexere majores. Hinc liquet quantùm Sedis Apoſtolicæ dignitati faveat ceterorũ Epiſcoporum vigilantia, adeo ut auctoritate Petri motus cum Felice III. ſuo prædeceſſore arbitretur, ſe aliorum ſententiam, ſuâ mutatâ, quotieſcumque illis melius revelatum fuerit, ſequi debere; & quidem in honorem Sedis Apoſtolicæ, cui mutatio ſententiæ in crimine objici non poteſt, quam cuncta Eccleſia humiliter in ejus auctore veneratur. Sic ergo in epiſtola ad Eliam Aquileienſem, & alios Iſtriæ Epiſcopos. Qui tamen ab eodem Paulo poſtmodùm ratione ſuſceptâ, dum quoſdam conſpiceret qui gentiles ad Eccleſiam venientes pondere ſervandæ circumciſionis onerarent, dicit : Cur tentatis Deum, imponentes jugum cervicibus diſcipulorum, quod neque patres noſtri, neque nos portare potuimus? Nunquid fratres lectiſſimi, Petro Apoſtolorum principi ſibi diſſimilia docenti debuit ad hæc verba reſponderi? hæc quæ dicis, audire non poſſumus, quia aliud ante prædicaſti? Si igitur in trium capitulorum negotio, aliud cùm veritas quæreretur, aliud autem inventa veritate, dictum eſt: *cur mutatio ſententia huic ſedi in crimine objicitur, quæ à cunctâ Eccleſiâ humiliter in ejus auctore veneratur*? Non enim mutatio ſententiæ, ſed inconſtantia. Senſus in culpa eſt. Quando ergo ad cognitionem recti, intentio incommutabilis permaneat; quid obſtat, ſi ignorantiam ſuam deferens, verba permutet.

Pelagius I. ſive auctor epiſtolæ ſub titulo Pelagii I. ad Vigilium Epiſcopum : Gaudeo fidei devotione, quòd religioſum ſtudium & divinum officium dignanter impendis, & maximè quod fidei inimicos æmularis, Apoſtolicæ ſedis quærens exempla. Quæ poſteà ita proponit imitanda: Memor enim ſum, me ſub illius nomine Eccleſiæ præſidere, cujus à Domino Jeſu Chriſto eſt glorificata confeſſio, & cujus fides omnes quidem hæreſes deſtruit, ſed maximè impietatem præſentis erroris expugnat. Et intelligo, aliter mihi non licere, quàm ut omnes conatus meos ei cauſæ, in qua univerſalis Eccleſiæ ſalus infeſtatur, impendam.

Joannes III. ſive auctor epiſtolæ ſub nomine Joannis III. ad Epiſcopos Germaniæ & Galliæ : Optaveram ſiquidem, chariſſimi, pro noſtri charitate collegii, omnes Domini ſacerdotes in una devotione perſiſtere, nec quemquam prohibitâ gratiâ aut favore ſacerdotum ſectari, aut à via recta diſcedere

Digitized by Google

diſcedere. Et poſt alia : Si Domini deſideramus eſſe diſcipuli, ipſius «
imitemur veſtigia, ut de nobis dicatur : Ego ſum paſtor bonus, & agnoſco «
oves meas, & voco eas nominatim, & cognoſcunt me meæ ; &c. Et ite- «
rùm, monente Dominicæ vocis imperio, quo beatiſſimus Apoſtolus Pe- «
trus trinâ repetitione myſticæ ſanctionis imbuitur, ut *Chriſti oves, qui* «
Chriſtum amat, diligenter & cum magna cura paſcat. &c. tantuſque vos
beati Petri Apoſtolorum principis amor accendat, ut in ovili ipſius, cui
omnes creaturæ ſunt traditæ, omnes taliter errantes, & illicita atque pro- «
hibita præſumentes, ſanctis veſtris ſtudiis ſummo redintegrare cum deſi- «
derio feſtinetis, qualiter animæ precioſo Chriſti ſanguine redemptæ, eo- «
rum non depereant deceptione. Itaque ipſiuſmet Chriſti & Petri exem- «
plis invitantur quicumque amant Chriſtum, ut univerſum Chriſti gregem
diligenter & cum magna cura paſcant.

Pelagius II. in epiſtola ad Aunacharium Epiſcopum Antiſiodorenſem :
Si enim mundo venerabilem judicatis hanc urbem, ſi ad pacem Sedis «
Apoſtolicæ cunctarum regere moderamina Eccleſiarum prædicatis ; cur «
non & tribulationes noſtras, & temporales anguſtias charitatis compaſſio- «
ne gemiſcitis ? ſcientes divino per Apoſtolum nobis ore mandari, ut nos «
invicem diligamus, ut onera invicem noſtra portemus ; ut quotiens fra- «
trum quicumque uritur, nos uramur : dum penè in conſpectu veſtro tan- «
tus ſanguis innocentium effuſus ſit, ita ſacra violentur altaria, ita Ca- «
tholicæ fidei ab idololatris inſultetur. «

In epiſtola I. ad Eliam & Epiſcopos Iſtriæ : Tantummodò rogamus, «
& obſecramus, & per divinum vos tremendumque Dei judicium obteſta- «
mur, ubi ſibi nullus hominum poterit argumentis vel excuſationibus ſubve- «
nire ; ne ulteriùs per vos Dei dividatur Eccleſia, ſed hæreditatem Do- «
mini communi poſſideamus & teneamus ſtudio. Cùm Epiſcopi onera in- «
vicem portare teneantur, atque hæreditatem Domini communi poſſidere
& tenere ſtudio ; non de unâ tantùm Eccleſiâ, ſed de quavis in orbe terra-
rum conſtitutâ ſolliciti eſſe debent. Unde auctor epiſtolæ ſub titulo Pe-
lagii II. ad Epiſcopos Italiæ ita loquitur : Sollicitudinem omnium Eccle- «
ſiarum, juxtà Apoſtolum circumferentes, divinæ circa nos gratiæ memo- «
res eſſe debemus, quòd nos per dignationis ſuæ Dominus miſericordiam «
ad hoc faſtigium ſacerdotale provexit, ut mandatis ipſius inhærentes, in «
quadam ſacerdotum ejus ſpeculâ conſtituti prohibeamus illicita, & ſe- «
quenda doceamus.

Gregorius I. lib. II. epiſt. XXXIII. ad Columbum Epiſcopum Numidiæ : «
Studeamus igitur cor noſtrum terrenorum paſtorum imitatione ſuccen- «
dere, qui hiemales noctes imbribus geluque conſtricti ducunt ſæpe per-
vigiles, ne vel una ovis, & non fortè utilis pereat. Quam etſi inſidiator ore «
voraci momorderit, quomodo ſatagunt, quibus cordis anhelant æſtibus, «
in quas voces ut eruant captum pecus anguſtiâ ſtimulante proſiliunt, ne «
à gregis domino, quidquid per incuriam perdiderint, exigatur ? *Vigile-* «
mus ergo ne quid pereat, & ſi captum fortè quid fuerit, vocibus divinorum «

Digitized by Google

» eloquiorum ad gregem dominicum reducamus, ut ille qui paſtor paſtorum
» eſt *vigilaſſe nos circa gregem ſuum ſuo miſericors dignetur judicio com-*
» *probare.*

» In epiſtola xxxvii. ad Natalem Epiſcopum Salonitanum : Omnino
» exiſtimo incongruum fuiſſe : quia neque ego non comedo, neque ad hoc
» à Paulo dictum eſt, ut membra Chriſti, quæ in ejus corpore, id eſt, in
» Eccleſia invicem ſibi charitatis compage connexa ſunt, nullam de ſe
» ullo modo curam gerant. Sed ſi neque ego ad te, neque tu aliquid per-
» tineres ad me, jure tacere compellerer, ut eum non reprehenderem, qui
» emendari non poſſet. Hæc ergo ſententia ſolummodò propter eos dicta
» eſt, qui illos judicare ſtudent, quorum ſibi cura commiſſa non eſt. At
» poſtquam nos auctore Deo unum ſumus, ſi ea quæ nobis corrigenda ſunt
« taceamus, valde delinquimus.

» In epiſtola xxxix. ad Dominicum Epiſcopum Carthaginenſem : Per
» charitatis quippe compagem, & tua ſunt quæ de me loquor, & mea quæ
» te agere concupiſco.

» Libr. iv. epiſt. xxxvii. ad Anaſtaſium Epiſcopum Antiochenum : Quæ
» verba de ſcriptis veſtris accepta, idcirco in meis epiſtolis pono, ut
» de ſancto Ignatio veſtra beatitudo cognoſcat : quia non ſolùm veſter eſt,
» ſed etiam noſter. Sicut enim magiſtrum ejus Apoſtolorum principem ha-
» bemus communem, ita quoque ejuſdem principis diſcipulum, nullus
» noſtrûm habeat privatum. Sic quibuſcumque utitur rationibus, quibus
probet Eccleſias inter ſe conjungi debere, ut cura Epiſcoporum com-
munis ſit.

» Lib. v. epiſt. ix. ad Eulogium Epiſcopum Alexandrinum : Sicut omni-
» bus liquet, quòd beatus Evangeliſta Marcus à S. Petro Apoſtolo magiſtro
» ſuo Alexandriam ſit tranſmiſſus, ſic hujus nos magiſtri & diſcipuli unita-
» te conſtringimur, *ut & ego ſedi diſcipuli præſidere videar propter magi-*
» *ſtrum, & vos ſedi magiſtri propter diſcipulum.* Ad hanc autem unitatem
» cordium etiam veſtræ ſanctitatis meritis ligamur, quos auctoris ſui ſalu-
» briter ſequi inſtituta cognoſcimus; & ſemper ad magiſtri ſui gremium,
» unde illi prædicatio ſalutis exorta eſt, tota ſe conferre devotione ſen-
» timus.

Lib. vi. epiſt. iv. ad Cyriacum Epiſcopum Conſtantinopolitanum :
» Et paſtori ſanctæ Eccleſiæ dicitur : Simon Joannis, amas me? Paſce oves
» meas. Ex quibus verbis colligitur, quia ſi is qui valet, omnipotentis Dei
» oves renuit paſcere, oſtendit ſe paſtorem ſummum minimè amare.

» In epiſtola vi. de electione Cyriaci Epiſcopi : Qui in adminiſtrandis
» dudum rebus Eccleſiaſticis quàm ſollicitus, & quomodo fuerit exercitatus,
» cuncti novimus. Unde & ſuperna geſtum diſpoſitione non ambigo : ut
» qui benè minima geſſerat, congruè majora ſuſciperet : atque à cura re-
rum, ad animarum regimina tranſiret. Pro qua re totis precibus depre-
camur, ut bonum hoc omnipotens Deus ſerenitati dominorum, piæque
eorum ſoboli, & in præſenti ſeculo, atque in perpetua remuneratione

Digitized by Google

retribuat : & prædicto fratri & conſacerdoti meo, qui dominico gregi « prælatus eſt , animarum curam plenâ ſollicitudine exhibere concedat. « Dominicus grex, cui prælatus eſt, univerſa eſt Eccleſia; quandoquidem hoc intelligi debet juxta antecedentem expoſitionem horum verborum : Paſce oves meas.

Lib. VI. epiſt. XXXVII. ad Eulogium Epiſcopum Alexandrinum : *Cùm* « *ergo unius atque una ſit ſedes*, cui ex auctoritate divina tres nunc Epiſ- « copi præſident, quidquid ego de vobis boni audio, hoc mihi imputo. Si « quid de me boni creditis, hoc veſtris meritis imputate : quia in illo unum « ſumus, qui ait : ut omnes unum ſint, ſicut & tu pater in me, & ego in te, « ut & ipſi in nobis unum ſint. «

Lib. VII. epiſtola L. ad Marinianum Archiepiſcopum Ravennæ : Unde « quia cunctarum Eccleſiarum injuncta nos ſollicitudinis cura conſtringit, « ne diutiùs gregi fidelium deſit cuſtodia paſtoralis, illorum precibus hujuſ- « que ex ſui impoſſibilitate renunciatione compulſi, viſum nobis eſt eidem « Ariminenſi Eccleſiæ debere Epiſcopum ordinari. «

In epiſtola LXIV. ad Joannem Epiſcopum Syracuſanum : Tamen ſi « quid boni vel ipſa vel altera Eccleſia habet, *ego & minores meos quos ab* « *illicitis prohibeo, in bono imitari paratus ſum.* Stultus eſt enim qui in « eo ſe primum exiſtimat, ut bona quæ viderit, diſcere contemnat. Adeo « ut S. Gregorius putet, ſi qua culpa in Epiſcopis invenitur, quemlibet Epiſcopum innocentiâ ſuperiorem poſſe de ceteris ſollicitum eſſe, ſicut in epiſtola ſequenti clarè oſtendit his verbis : Et valde dubium eſt utrum « purè an certè, quia à coepiſcopis ſuis impetitur, nobis modò talia loqua- « tur. Nam quòd ſe dicit ſedi Apoſtolicæ ſubjici, *ſi qua culpa in Epiſco-* « *pis invenitur, neſcio quis ei Epiſcopus ſubjectus non ſit. Cum verò culpa non* « *exigit, omnes ſecundùm rationem humilitatis æquales ſunt.* «

Bonifacius V. in epiſtola ad Juſtum nuper Roffenſem Epiſcopum, modo Melliti ſucceſſorem in Archiepiſcopatu Cantuariæ : Suſceptis « namque apicibus filii noſtri Adelvaldi Regis, reperimus quanta ſacri elo- « quii eruditione ejus animum ad veræ converſionis & indubitatæ fidei « credulitatem fraternitas veſtra perduxerit. Qua ex re de longanimitate « clementiæ cæleſtis certam aſſumentes fiduciam, non ſolùm ſuppoſitarum « ei gentium pleniſſimam ſalutem, imò quoque vicinarum, veſtræ quoque « prædicationis miniſterio credimus ſubſequendam, quatenus, ſicut ſcrip- « tum eſt, conſummati operis veſtri merces à retributore omnium bonorum « Domino tribuatur. Et verè per omnem terram exiſſe ſonum eorum, & in « fines orbis terræ verba ipſorum, univerſalis gentium confeſſio ſuſcepto « Chriſtianæ ſacramento fidei proteſtatur. «

Theodorus in epiſtola ſynodica ad Paulum Patriarcham Conſtantino-politanum : Nos ergo quid niſi diſpenſatores unius paſtoris ſumus ? Ipſo « enim paſcente paſcimus, & regente regimus, quoniam omnes ſub eodem « paſtore cum ovibus ipſius oves paſcuæ ſumus. «

Martinus I. in epiſtola ad Antonium Epiſcopum Bacharorum : Vos «

» ſemper hortantes, ut in verbo gratiæ permaneatis, ut exemplo aliis eſſe » ſtudeatis, eorum excitetis ſtudium, & veſtro zelo ad meliorem mentem » omnes convertatis, ut illi cum omnibus ſanctis rectas vias ſuas, greſſus » rectos facientes pedibus ſuis, per piam Patrum doctrinam, & efficacem » mandatorum obſervationem. &c. utque ſit unum ovile & unus Paſtor, » is qui ſuper omnes eſt Deus ac Dominus noſter Jeſus Chriſtus, medium » parietem maceriæ ſolvens, & colligens eos qui longè ſunt & qui pro- » pè, per lapidem angularem, in unam & eandem ſalutarem Confeſſio- » nem. Sub uno igitur paſtore omnes Chriſti Vicarii unum ovile, unamque Eccleſiam adminiſtrant.

» In epiſtola ad Pantaleonem : Cujus cauſa lugens & contriſtatus in- » gredior, dies noctesque bonitatem Dei cum lachrymis obſecrans, ne hæ- » reditatem ſuam uſque in finem repellat; ſed oſtium aperiat, quod illi conclu- » ſerunt : ut rurſum iſtic ſacerdotii ejus per ſupplementum Epiſcoporum » ſplendor & ornamentum exoriatur, Eccleſiæ oves cura paſtorali ſervans, » & à luporum inſidiis vigilanti ſtudio eripiens. Itaque Martinus I. apertè fatetur ceterorum Epiſcoporum per univerſam Eccleſiam curam paſtoralem omninò eſſe neceſſariam, ad dignitatem Eccleſiæ & Sedis Apoſtolicæ adverſus hoſtium inſidias tuendam ac defendendam.

Martinus I. præſidens ſancto Concilio Lateranenſi dixit action. 1. » Evangelicus & omnibus hominibus ſalutaris ſermo, qui ſecundùm virtu- » tem ſuæ divinæ prædicationis orbis terrarum fines complexus eſt, volens » manifeſtare miniſtros & prædicatores ſollicitos eſſe, nos dumtaxat, qui » Chriſtiani populi paſtoris ſuſcipere meruimus officium, ſacerdotii divinæ » incarnationis ſummæque diſpenſationis, per quam noſtram aſſumens mi- » rificè renovavit naturam, demonſtravit, ſicut noſtis, reverendiſſimi » fratres, paſtores vigilantes & conſervantes cuſtodias noctis. Et poſt alia: » *Et maximè præceptum habentes Apoſtolicum attendere nos ipſos & gregi,* » *in quo nos Spiritus ſanctus poſuit Epiſcopos regere Dei Eccleſiam, quam* » *acquiſivit per ſanguinem proprium* : Sed & iterum attendere lupos, atten- » dere malos operarios, qui perverſa faciunt & loquuntur, ut trahere poſt » ſe diſcipulos valeant, ne quandoquidem radix amaritudinis ſurſum ger- » minans nocere valeat fidem *per negligentiam eorum, id eſt, noſtram om-* » *nium ſacerdotum, qui evellere mala, & meliora plantare ſunt ab eo* » *propoſiti.*

Sequuntur juxta ſeriem traditionis Summorum Pontificum elogia de cura paſtorali Theodori; quæ cùm ſuprà relata fuerint, hîc ideo prætermittuntur.

Quæ omnia obſervanda duxi : ut exempla omnino eſſe probata conſtaret, atque ad vigilantiam paſtoralem Theodori ſanctiſſimi Archiepiſcopi Cantuarienſis adverſus calumniatores defendendam validiſſima.

THEODORI
SANCTISSIMI
ARCHIEPISCOPI
CANTUARIENSIS
DOCTRINA DE
POENITENTIA
Ab omni novitatis ſuſpicione vindicata.

IOANN. Morinus vir doctiſſimus lib x. Pœnitentiæ cap. XVII. Theodorum, tanquam novatorem Eccleſiaſticæ diſciplinæ de pœnitentia ſic exhibet : Hoc conceſſo, inquit, prima iſtius moris fundamenta jacta ſunt in Anglia verſus annum 680: illoque Theodorus homo Græcus, qui primus apertè morem ſuſtulit publicè de criminibus occultis pœnitendi. &c. Quem morem quàm plurimis conciliorum canonibus ſancitum eſſe profitetur lib. v. cap. IX. his verbis : Tot ſunt hujus antiquæ praxis argumenta, quot ferè canones ante mille annos in criminum reos conditi. Idem affirmat ipſe Morinus quibuſdam aliis argumentis, quæ ſuo loco examinanda ſunt. Sed ad probandum nequidem à Theodoro potuiſſe hac in re aliquid novi contra canones introduci, tria priùs oſtendam I. Patres planè negare, hunc morem fuiſſe Eccleſiæ decreto ſancitum, publicè de peccatis occultis pœnitendi. II. eoſdem Affirmare de peccatis occultis morem Eccleſiæ fuiſſe ſecretò pœnitendi. III. Pœnitentiam publicam pro publicis tantùm criminibus ab Eccleſia fuiſſe ſtatutam.

CAPUT I.

Patres negant morem fuiſſe Eccleſiæ decreto ſancitum de peccatis occultis publicè pœnitendi.

» ORigenes in Levitic. cap. III. homil. III. Vis autem ſcire quia con-
» ſentiant hæc etiam evangelicis præceptis ? Ipſe Dominus dicit, ſi
» videris fratrem tuum peccare, argue eum inter te & ipſum ſolum. Si te au-
» dierit, lucratus es fratrem tuum. Quod ſi te non audierit, adhibe tecum
» alios duos, vel tres. Quod ſi nec ipſos audierit, dic Eccleſiæ. Si verò
» nec Eccleſiam audierit, ſit tibi ſicut ethnicus & publicanus. Sed evan-
» gelicum præceptum in eo perfectius datum eſt, quod indicandi pecca-
» tum modum diſciplinamque conſtituit. Non vult enim te, ſi fortè pec-
» catum videris fratris tui continuo evolare ad publicum, & proclamare
» paſſim, ac divulgare aliena peccata : quod eſſet utique non corrigentis, ſed
» potius infamantis. Solus, inquit, inter te & ipſum ſolum corripe eum.
» Ubi enim ſervare ſibi myſterium viderit ille qui peccaverit, ſervabit &
» ipſe emendationis pudorem. Si verò diffamari ſe videat, illicò ad dene-
» gandi impudentiam convertetur : & non ſolùm non emendaveris pecca-
» tum, ſed & duplicaveris. Diſce ergo ex evangeliis ordinem. Primò, in-
» quit, ſolus inter te & ipſum. Secundo adhibe tecum alios duos, vel
» tres. Quare duos, vel tres ? In ore enim, inquit, duorum vel trium teſtium
» ſtabit omne verbum. Quoniam quidem tertiò correptionem mandat ad
» Eccleſiam deferendam, ſecundò vult duos, vel tres teſtes adhiberi : qui-
» bus præſentibus correptus, ſi emendare ſe non vult, cum ad Eccleſiam
» delatum fuerit ejus peccatum, poſſit duobus adhibitis teſtibus confutari.

Quot dogmata, tot argumenta, quibus Origenes apertè negat morem fuiſſe Eccleſiæ, publicè de peccatis occultis pœnitendi. I. Evangelicum præceptum dicit in eo perfectius datum eſſe, quod indicandi peccatum modum diſciplinamque conſtituit. Atqui liquet, hunc modum indicandi peccata diſciplinâque prorſus evertere pœnitentiam publicam pro peccatis occultis. II, affirmat Chriſtum evangelico præcepto prohibere, ne divulgentur peccata occulta : quid verò magis evulgat peccata occulta, quàm pœnitentia publica, quæ idcirco à Patribus exomologeſis vocatur ? quamvis enim à confeſſione publica diſtinguant pœnitentiam publicam : illa tamen in publicum adeo proferebat reum ; ut tunc temporis cuique liceret judicare aut homicidii aut adulterii aut idololatriæ labe pollutum eſſe. III. Aſſerit hoc eſſe utique non corrigentis, ſed potius infamantis ; ſed quis crederet temporibus Origenis morem fuiſſe Eccleſiæ, non corrigendi peccatores, ſed potius infamandi : aut ſaltem illud crediditſſe Origenem ? IV.
„ Ubi, inquit Origenes, ſervare ſibi myſterium viderit ille qui peccave-
„ rit, ſervabit & ipſe emendationis pudorem : porro ubinam illud myſterium peccatorum ? Quiſnam emendationis pudor, quem ſervat pœniten-

tia publica? V. Origenes profitetur, non ſervato myſterio peccatorum, neque emendationis pudore, ad impudentiam converti peccatorem: Hoc « igitur modo non ſolùm, inquit, non emendaveris peccatum, ſed & du- « plicaveris. VI. Denique proponit ordinem charitatis à Chriſto in « Evangeliis præſcriptum, ut qui de peccato occulto ab uno correptus ſe emendat, à duobus non debeat corripi: ſi à duobus, & quidem à tribus correptus ſeſe emendet, non debet apud Eccleſiam accuſari, neque ab Eccleſia ejici, nec proindè pœnitentiâ publicâ plecti. Unde conſtat Origenem pluribus argumentis negare morem fuiſſe Eccleſiæ publicè de peccatis occultis pœnitendi.

Origenes in comment. Matth. edit. Huet. tom. 1. p. 335. Poſtquam « verba hæc: Lucratus erit fratrem, ad eum ſolummodò qui obtemperavit, « pertinere declaravit verbum, non idem pro eo ampliùs repetiit qui bis « terve objurgatus fuerit &c. ſi autem te non audierit, adhibe tecum adhuc « unum, vel duo, ut in ore duorum vel trium teſtium ſtet omne verbum. « Quid ergo bis objurgato continget, poſtquàm in ore duorum, vel trium « teſtium ſteterit omne verbum, nobis cogitandum relinquit; & rurſum: « Quod ſi non audierit eos, teſtes videlicet ante adhibitos, dic, inquit, Ec- « cleſiæ: nec adjecit, quid fiet, ſi Eccleſiam non audierit, ſed docuit pro ethni- « co hunc deinceps & publicano ab eo habendum eſſe qui ter illum arguerit, « nec fuerit auditus, ſi Eccleſiæ morem non geſſerit. Si hæc verba, Lucra- « tus erit fratrem, ad eum pertineant qui obtemperavit; nec ille debeat apud Eccleſiam accuſari, neque ab Eccleſia ejici: manifeſtum eſt, Origenem hac expoſitione penitùs negare morem fuiſſe Eccleſiæ publicè de peccatis occultis pœnitendi.

Vetus auctor conſtitutionum Apoſtolicarum, quarum Euſebius meminit lib. III. hiſt. Eccleſ. cap. XXV. diſciplinam Eccleſiæ à Chriſto inſtitutam ſic refert lib. II. cap. XXXVII. Tu igitur conſidera eum, qui accuſatus « eſt, ſapienter animadvertens, quæ ejus vita ſit, & qualis, & ſi repereris « accuſatorem dicere verum, fac ut Dominus faciendum eſſe docuit, conveni « accuſatum ſeorſùm, & argue *eum nemine præſente*, ut eum pœniteat: « ſin autem non paruerit, adhibito uno aut altero, indica ei erratum, mo- « nens eum adhibitis manſuetudine & diſciplina, quoniam in corde bono « requieſcit ſapientia, in corde autem inſipientium dignoſcitur. Et cap. « XXXVIII. Si igitur vobis tribus crediderit: bene habet, ſin aliquis durus « obſtinatuſque erit, dic Eccleſiæ: hanc ſi contempſerit, neque audire vo- « luerit, ſit tibi ut ethnicus & publicanus, & ne eum ad Eccleſiam tamquam « chriſtianum admittas, immo tamquam publicanum devita. Peccator ab « uno ſeorſum corripiendus eſt, nemine alio præſente: & ſi non paruerit, adhibentur duo aut tres, quibus ſi crediderit, res benè ſe habet; non neceſſe eſt illum apud Eccleſiam accuſare, neque ab Eccleſia ejicere, niſi poſteà durus & obſtinatus effectus crimen publicum reddat. Illa eſt Eccleſiæ diſciplina, quam quis non poteſt ita proponere, quin apertè neget morem fuiſſe Eccleſiæ publicè de peccatis occultis pœnitendi.

Hilarius Pictavorum Epiſcopus in comment. Matth. canone xviii.
» Quòd ſi peccaverit in te frater tuus, vade & corripe eum &c. Eum or-
» dinem continendæ charitatis nobis Dominus impoſuit, quem ipſe in con-
» ſervando Iſraël tenuerat : Jubet enim peccantem fratrem ab eo ſolo in
» quem peccaverit, corripi atque objurgari. Ipſe enim ſacrificantem diis
» alienis populum Judaicum, majeſtatis ſuæ adventu, & toto præſentis poteſta-
» tis terrore corripuit : tum cùm idem populus Dei propinquantis adven-
» tum, extra montem licet poſitus, ferre non potuit in obedientiam,
» unum atque duos juſſit adhiberi, ut in ore duûm teſtium fides verbi ac ve-
» ritas maneat. Quia inſolenti Iſraël Lex & Prophetæ & Joannes eſt miſ-
» ſus, teſtibuſque iſtis ut peccare deſineret, conventus eſt. Tertio ipſo
» Domini adventu, tanquam cœtu Eccleſiæ inſpectantis admonitus eſt :
» fruſtraque habitis his objurgationibus, publicani aut ethnici vilitate ne-
» gligitur. Ad terrorem autem metus maximi, quo in præſens omnes con-
» tinerentur, immobile ſeveritatis Apoſtolicæ judicium præmiſit : ut quos in
» terris ligaverint, id eſt, peccatorum nodis innexos reliquerint, & quos ſol-
» verint, confeſſione videlicet veniæ, receperint in ſalutem. S. Hilarius af-
firmat eum eſſe ordinem charitatis continendæ, quem Deus erga populum
Iſraël tenuit, & Chriſtus in evangelio præcepit, ut peccatores ſeorſum
corripiantur : deinde ſub duobus aut tribus teſtibus : nec debeant publicè
objurgari, niſi pertinaces in cœtu Eccleſiæ accuſati condemnentur. Quare
planè negat Hilarius morem fuiſſe Eccleſiæ decreto ſancitum publicè de
peccatis occultis pœnitendi.

» Joannes Chryſoſtomus in homilia lxi. cap. xviii. Matth. Si autem
» peccaverit in te frater tuus, vade & corripe eum inter te & ipſum ſo-
» lum; ſi te audierit, lucratus eris fratrem tuum. Quoniam acri oratione
» adverſus ſcandalizantes uſus, multis eos argumentis terruit, ne ſupini at-
» que deſides hæc ratione fiant hi quibus ſcandala inferuntur; & ne putantes
» totam in alios culpam eſſe rejectam, ad mollitiei vitium delabantur, &
» quaſi omni favore digni in arrogantiam incidant : Perſpice quomodò ipſos
» etiam comprimit atque coërcet, & inter duos ſolummodo redargutionem
» fieri jubet, *ne ſcilicet teſtimonio multitudinis graviore accuſatione viſa,*
» *dedignatus ille duriorem ſe ad corrigendum prebeat* : ideo dicit, inter
» te & ipſum ſolum, & ſiquidem te audierit, lucratus es fratrem tuum.
» Quid eſt, ſi te audierit? ſi perſuaſus videlicet abs te, peccati ſe condem-
» nabit, lucratus es fratrem tuum &c. Quid igitur, inquies, faciam ſi
» durus ac pertinax fuerit? aſſume tecum, inquit, unum, aut duos:
» ut in ore duorum aut trium teſtium ſtet omne verbum. Nam quantò ille
» impudentior, atque pertinacior fuerit : tantò magis ad emendationem ejus
» abſque ira & moleſtia nobis ſtudendum eſt. Nam & medicus cum gra-
» viorem viderit morbum, non deſiſtit, nec moleſtia oppreſſus deficit, ſed
» ad ferenda remedia diligentius ſe accingit, quod nos quoque facere ju-
» bet. &c. Et ſi pertinacia obduratus eſt, etiam Eccleſiam ad hunc ægrotum
» adducat. Dic enim Eccleſiæ &c. Vides non ſupplicii, ſed emendationis

gratiâ

Digitized by Google

gratià id fieri ; propterea nullos ſibi initio præbet , ſed cum ipſe per ſe nihil effecerit , *neque tunc multitudini committendam rem præcipit* , ſed unum aut ad ſummum alterum addidit : quos ſi propter ſuam proterviam deſpexerit , tunc tandem ad Eccleſiam offerendam rem cenſuit. *Ita magnum ſibi eſt ſtudium , ne proximorum delicta , niſi poſt primam & alteram admonitionem efferantur.* Quid autem ſibi vult , in ore duorum vel trium teſtium ſtabit omne verbum ? habes jam teſtes , inquit , opus abs te tuum ita eſſe confectum , ut nihil quod ad te pertineat , reliquum eſſe videatur. Si autem eos non audierit , dic Eccleſiæ præſulibus ſcilicet ac præſidentibus &c. Quæcumque alligaveritis ſuper terram , erunt & ligata in cœlis &c. Nam cum hæc ſciat , quamvis primo ingreſſu minus fecerit , multitudine tamen judiciorum convictus , iram fortaſſe deponet. *Hac enim de cauſa non confeſtim abſcindit* , ſed ad tertium uſque judicium progreſſus eſt : ut ſi primo non paruerit , obtemperet alteri. Sic S. J. Chryſ. negat morem fuiſſe Eccleſiæ decreto ſancitum , publicè de peccatis occultis pœnitendi ; quem repudiat veluti charitati omnino contrarium. Neque tunc , inquit , multitudini committendam rem præcipit. Hac de cauſa non confeſtim abſcindit , ſed ad tertium uſque judicium progreſſus eſt , ne ſcilicet teſtimonio multitudinis graviore accuſatione viſa dedignatus ille duriorem ſe ad corrigendum præbeat.

J. Chryſoſtomus in homilia XXIX. ep ad Corinth. II. Ecce tertio hoc venio ad vos : in ore duorum ac trium teſtium ſtabit omne verbum. Cum aliunde etiam multis ex rebus tum vel hinc maximè Pauli ſapientiam , paternumque affectum perſpicere licet : nimirum quàm in denunciandis quidem ſuppliciis multus ac vehemens , in inferendis autem ſegnis ac tardus ſit. Neque enim de iis qui peccabant , *pœnas ſtatim ſumpſit : ſed ſemel atque iterum admonuit.* Ac ne ſic quidem in contumaces animadvertit : ſed rurſus admonet ac denunciat dicens , tertio hoc venio ad vos : ac priuſquam adſim, rurſus ſcribo. Poſtea ne cunctatio ſegnitiem illis pariat , vide quo pacto hic quoque eos corrigat, aſſiduè nempe interminans, ac plagas intentans , atque hiſce verbis utens , Si venero iterum , non parcam. Et ne , cùm venero , lugeam multos. Hæc porro idcirco facit ac loquitur, ut hac quoque parte omnium Dominum imitetur. Nam & Deus aſſiduè quidem comminatur , *ac ſæpe pœnas denunciat : ſed non ſæpe punit & cruciatum infert.* Hoc itaque ipſe quoque facit. Ob idque etiam ante dicebat , parcens vobis non ultrà veni Corinthum : Quid eſt , parcens vobis ? hoc eſt , ne vos ſceleribus devinctos inveniens , ac ſine ulla emendatione in his perſtantes , pœna & cruciatu vos afficiam &c. Quod autem ait , hanc ſententiam habet : ſemel dixi , atque iterum , cum ad vos acceſſi : & nunc item per literas dico. *Ac ſiquidem me audieritis , quod cupiebam contigit. Sin autem verba mea contempſeritis , deinceps neceſſe erit, ut præſtem quæ dixi ac ſupplicium irrogem &c.* Vides paternam curam ac ſollicitudinem ? vides magiſtro congruentem providentiam ? *Nec tacuit , nec rurſus pœnam intulit* : Verùm ſæpius quoque prædicit , atque in inter-

» minatione conſtanter permanet, ac ſupplicium differt. Quód ſi in pec-
» catis obſtinati maneant, tum demum reipſa pœnam ſe inflicturum minatur.
» Quid autem prædixiſti, ac nunc etiam præſens ſcribis? Quod ſi venero
» iterum non parcam. Poſteaquam ſuperius ſe hoc, niſi neceſſitate coactum,
» facere non poſſe oſtendit, ac luctum & humiliationem eam rem appella-
» vit, ne cum venero, inquit, humiliet me Deus apud vos, & lugeam eos qui
» antè peccaverunt, & non egerunt pœnitentiam, ac ſeſe ipſis excuſans, ſe-
» mel & iterum ac tertiò prædixiſſe aſſeruit, quódque nihil non agat ac mo-
» liatur, quò ſupplicium atque animadverſionem propulſet, eóſque verbo-
» rum terrore meliores efficiat, tum verò grave illud & horrendum collo-
» cat, dicens, ſi venero iterum, non parcam. Non dixit, puniam ac vin-
» dicabo, pœnaſque expetam: verùm paternis verbis ſupplicium ponit,
» hinc nimirum viſcera ſua, animumque ipſis condoleſcentem oſtendens,
» quòd pro ſua erga eos indulgentia, ſemper ſupplicium infligere differret.
» Poſteà autem ne nunc quoque ita exiſtimarent, eum rurſus dilatione uti,
» ac verborum tantum minas adhibere, ob eam cauſam priùs quoque di-
» xit, in ore duorum vel trium teſtium ſtabit omne verbum. Et ſi venero
» iterum, non parcam. Quod autem ait, eſt ejuſmodi: non jam diutius
» cunctabor, *ſi vos quod Deus avertat, emendationis expertes invenero*, ſed
» pœnas haud dubiè inferam, ac quod dixi, præſtabo. Cùm Divus Paulus Dominum imitans, pœnas non ſtatim ſumpſerit de immunditia, & fornicatione & impudicitia quam multi geſſerant: ſed ſemel atque iterum eos admonuerit; cumque tot minas intenderit, ut vitia ſua corrigerent, atque ipſorum contumaciâ non cogeretur illos ab Eccleſia expellere, neque ſupplicio afficere: nonne omnibus Eccleſiæ prælatis egregium patientiæ præbuit exemplum? Quod à Joanne Chryſoſtomo adeo luculenter expoſitum, ſatis declarat morem non fuiſſe Eccleſiæ decreto ſancitum de criminibus occultis & iis quæ peccantium contumacia non reddit publica, publicè pœnitendi.

» Hieronymus in eadem verba Matth. Corripe eum &c. corripiendus eſt
» autem frater ſeorſum: ne ſi ſemel pudorem ac verecundiam amiſerit, re-
» maneat in peccato. Et ſiquidem audierimus, lucrifacimus animam ejus, &
» per alterius ſalutem, nobis quoque acquiritur ſalus. Sin autem audire no-
» luerit, adhibeatur frater. Quod ſi nec illum audierit, adhibeatur & ter-
» tius, vel corrigendi ſtudio vel conveniendi ſub teſtibus. Porro ſi nec il-
» los audire voluerit, tunc multis dicendum eſt, ut deteſtationi eum ha-
» beant; *Et qui non potuit pudore ſalvari, ſalvetur opprobriis.* Quando
» autem dicitur: ſit tibi ſicut ethnicus & publicanus, oſtenditur majoris
» eſſe deteſtationis qui ſub nomine fidelis agit opera infidelium, quàm hi qui
» apertè gentiles ſunt. &c. Amen dico vobis: quæcumque alligaveritis &c.
» poteſtatem tribuit Apoſtolis, ut ſciant qui à talibus condemnantur, hu-
» manam ſententiam divina ſententia roborari: & quodcumque ligatum
» fuerit in terra, ligari pariter & in cœlo. Si igitur juxta Hieronymi ſententiam, cùm ille trium teſtimonium audire noluerit, tunc multis dicen-

Digitized by Google

ctum ſit, ut qui non potuerit pudore ſalvari ſalvetur opprobriis; proculdubiò ſi ſub trium teſtimonio fuiſſet emendatus, tunc non multis dicendum fuiſſèt; & qui potuiſſet pudore ſanari, non ſanaretur opprobriis publicæ pœnitentiæ. Itaque Hieronymus negat morem fuiſſe Eccleſiæ decreto ſancitum, publicè de peccatis occultis pœnitendi.

Bachiarius in epiſt. ad Januarium de recipiendis lapſis. Ecce prohibetur ne in terminis Geth, neque in finibus Aſcalonis, hoc eſt, in notitiam ſecularium ſive hominum mundanorum, caſus fratris vel ruina ſeminetur: Et nos paſſi ſumus, non ſolum ipſam quam incolit civitatem, ſed etiam totum orbem, famæ ipſius deſperatione compleri? Nonne huic præcepto cohæret etiam ille Evangelicus ſermo, qui dicit: Si peccaverit in te frater tuus, corripe eum ſolus, quòd ſi te non audierit, adhibe tecum duos vel tres teſtes, & reliqua quæ continet ſermo præcepti &c. Cùm Bacchiarius increpet quorumdam temeritatem, qui peccata occulta publicaverant, liquidò negat morem fuiſſe Eccleſiæ decreto ſancitum publicè de criminibus occultis pœnitendi.

Auguſtinus ſerm. XVI. de verbis Domini. Ergo corripe inter te & ipſum ſolum, intuens correctioni, parcens pudori. Fortè enim præ verecundia incipit defendere peccatum ſuum, & quem vis correctiorem, facis pejorem. Corripe ergo inter te, & ipſum ſolum. Si te audierit, lucratus es fratrem tuum, quia perierat niſi faceres. Si autem non te audierit, id eſt, peccatum ſuum quaſi juſtitiam defenderit, adhibe illi duos vel tres, quia in ore duorum vel trium teſtium ſtet omne verbum. Si nec ipſos audierit, refer ad Eccleſiam: ſi nec Eccleſiam audierit, ſit tibi ſicut ethnicus & publicanus. Noli illum deputare jam in numero fratrum tuorum, nec ideo tamen ſalus ejus negligenda eſt. &c. Et infrà. ſi peccaverit in te frater tuus, corripe eum inter te & ipſum ſolum. Quare? quia peccavit in te. Quid eſt, in te peccavit? Tu ſcis, quia peccavit. Quia enim ſecretum fuit, quando in te peccavit: Secretum quære, cùm corrigis quod in te peccavit. Nam ſi ſolus noſti quia peccavit in te, & eum vis coram omnibus arguere, non es correptor ſed proditor &c. *Ergo ipſa corripienda ſunt coram omnibus, quæ peccantur coram omnibus. Ipſa verò corripienda ſunt ſecretius, quæ peccantur ſecretius.* Profectò his verbis negat S. Auguſtinus morem fuiſſe Eccleſiæ decreto ſancitum publicè de peccatis occultis pœnitendi.

Julianus Pomerius lib. I. de vita contemplativa cap. V. Ceterum ſi Eccleſiæ communione priventur infirmi, qui curari adhibita increpatione non poſſunt, aut intolerabilis mole triſtitiæ ſupra modum gravati ſuccumbunt, & ſanctorum omnium vultus, per quos poſſent reſtitui Deo refugiunt: aut certè ad omnem peccandi impudentiam, ſi fuerint exacerbati, proſiliunt: *& quicquid mali occultè faciebant*, publicè perpetrabunt: in tantam veſaniam reparandæ ſalutis deſperatione prolapſi ut ſeria verba corripientium in jocos exitiabiles impudenti urbanitate convertant, ac maledicaces inſe ex ipſâ jactatione turpitudinis ſuæ turpiter viventium

» malevolas lætitias paſcant. Propter hoc ergo, blanda pietate portandi
» ſunt, qui increpari pro ſua infirmitate non poſſunt. Et revera, ſi peccan-
» ti ſalubrem pudorem, dum pro eo erubeſcis, incutias, ac verecundiam,
» quam pro peccatis ejus aſſumis, in eum pia animi compaſſione transfun-
» das, facile in illo reprimis omnem peccandi licentiam: atque ei to-
» tam impudentiam demis licentioſæ turpitudinis hortatricem. Tunc
» mores ejus verecundia cuſtos integritatis ornabit, ut ei placeat
» quod antè ſordebat, quando in ſordibus erat: ut ſordeat, quod
» ante placebat, quando ipſe bonis omnibus diſplicebat. Sanctos viros
» amando ſectabitur, & ſectando in eorum ſimilitudinem paulatim vitæ
» prioris emendatione formabitur, ut ei quàm laborioſum fuit in ſubli-
» mitatem virtutis evadere, tam deforme ſit in vitia rurſus, quibus ſe
» gaudet caruiſſe, deſcendere: quia ſicut virtus oneroſa eſt vitioſo, ita vir-
» tutis amico vitioſa voluptas amara eſt. Ecce quomodo peccantes omnes
» blandè tractat aut increpat, qui nihil aliud, niſi eorum ſalutem, quibus
» vult prodeſſe, conſiderat. Julianus Pomerius oſtendit primò quàm per-
nicioſa ſit infirmis increpatio publica, adeo ut timendum ſit ne quicquid
mali occultè faciebant, publicè perpetrent: deinde declarat, quàm utilis
ſit ac prorſus neceſſaria pœnitentia ſecreta pro peccatis occultis. Ergo
planè negat cum ceteris Patribus, morem fuiſſe Eccleſiæ decreto ſancitum
publicè de peccatis occultis pœnitendi.

CAPUT II.

Patres affirmant pro peccatis occultis pœnitentiam ſecretò factam ſufficere; atque de illis morem Eccleſiæ fuiſſe ſecretò pœnitendi.

Argumenta quibus Patres negant morem fuiſſe Eccleſiæ decreto ſancitum, publicè de peccatis occultis pœnitendi; eadem probant pro peccatis occultis pœnitentiam ſecretò factam ſufficere. Etenim ſi qui ab uno correptus ſeſe emendaverit, ille non debeat à duobus aut tribus corripi: & qui primò non obtemperans, ſed duobus aut tribus paruerit, ille non debeat ab Eccleſia ejici, id eſt pœnitentia publica plecti; cùm omninò neceſſaria ſit pœnitentia, neceſſe eſt quoque ipſi pœnitentiam ſecretò factam ſufficere Unde patet morem Eccleſiæ fuiſſe de peccatis occultis ſecretò pœnitendi. Eamdem tamen quæſtionem aliis argumentis manifeſtis demonſtrabimus, ut omnis tollatur dubitatio.

Origenes in pſalmum XXXVIII. homil. II. Si autem ipſe ſui accuſator
» fiat, dum accuſat ſemetipſum, & confitetur, ſimul evomit & delictum,
» atque omnem morbi digerit cauſam. Tantummodò circumſpice dili-
» gentius, cui debeas confiteri peccatum tuum. Proba prius medicum,
» cui debeas cauſam languoris exponere, qui ſciat infirmari cum in-
» firmante, flere cum flente, qui condolendi & compatiendi noverit diſci-
» plinam: ut ita demum ſi quid ille dixerit, qui ſe prius & eruditum me-

Digitized by Google

dicum oſtenderit, & miſericordem, ſi quid conſilii dederit, facias, & ſequaris : ſi intellexerit, & præviderit talem eſſe languorem tuum, qui in conventu totius Eccleſiæ exponi debeat, & curari, ex quo fortaſſis & ceteri ædificari poterunt, & tu ipſe facile ſanari, multa hoc deliberatione, & ſatis perito medici illius conſilio procurandum eſt. En tria argumenta quibus Origenes affirmat morem Eccleſiæ fuiſſe de peccatis occultis ſecretò pœnitendi. I. Non probat Origenes coram omnibus ſe reum confiteri, ſed tantùm coram medico perito & probato. Numquid verò probandus eſſet medicus ? numquid circumſpiciendum eſſet peccatori, cui confiteretur peccatum, niſi mos Eccleſiæ fuiſſet ſecretò pœnitendi ? Fruſtrà reſpondetur, confeſſionem publicam à publica pœnitentia diſtingui : non minùs enim pudori parceret pœnitentia publica, ex quâ tunc temporis cuique licuiſſet judicare, aut homicidii crimen, aut adulterii, aut idololatriæ commiſſum eſſe. II. Iſte medicus probatus dat conſilium publicè pœnitendi, & non præceptum. Ergo nondùm Eccleſiæ decreto ſancita erat pro criminibus occultis publica pœnitentia : ſed potius mos erat ſecretò pœnitendi : quia, ut ait Hieronymus lib. 1. adverſus Jovinianum : Ubi conſilium datur, offerentis arbitrium eſt : Ubi præceptum, neceſſitas eſt ſervientis. III. Publicè pœnitendi conſilium datur ſolummodò in caſu ſingulari : atqui ſicut exceptio firmat regulam, ita morem Eccleſiæ ſecretò pœnitendi pro criminibus occultis demonſtrat caſus ſingularis. Patres concilii Neocæſarienſis can. IV. Si quis propoſuerit concupiſcere mulierem ad dormiendum cum ipſa, ejus autem deſiderium ad opus non venerit, videtur eſſe à gratia liberatus. Grave crimen eſt adulterium in corde commiſſum, & tamen Patres declarant pœnitentiam ſecretò factam ſufficere, ac proinde morem fuiſſe Eccleſiæ de criminibus occultis ſecretò pœnitendi.

Hilarius Pictavorum Epiſcopus in Pſalm. LI. enarratione. Non enim confeſſio peccatorum niſi in hujus ſeculi tempore eſt : dum voluntati ſuæ unuſquiſque permiſſus eſt, & per vitæ licentiam habet confeſſionis arbitrium. &c. Confeſſionis autem cauſam addidit dicens : quia feciſti : auctorem ſcilicet univerſitatis hujus Dominum eſſe confeſſus, *nulli alii docens confitendum* quàm qui fecit olivam fructiferam ſpei miſericordiæ in ſeculum ſeculi.

Baſilius magnus in homilia in pſalmum XXXVII. Proprium eſt hominum prudentium, ob ea quæ peccando admiſerint præſumpta quapiam cogitatione aut ſurreptione inimici non ſe efferre, ſed pudore aſpergi potius & erubeſcere, & veluti ſtimulis conſcientiam pertundere ſeque gerere ſubmiſſius atque humiliari. David igitur poſt hæc ait : Rugiebam à gemitu cordis mei, vel ſecundum Aquilam, fremebam à fremitu cordis mei. *Non ut multis manifeſtus fiam, ore fatear, ſed corde ipſo clauſis oculis tibi ſoli reſpicienti arcana mecum ipſe rugiens, oſtendo meos gemitus* non enim multis verbis mihi opus ad confeſſionem, ad quam & cordis mei ſuſpiria, & ex animæ penetralibus imis ad te Deum meum tranſmiſſi queſtus ſatis exiſtunt.

» Baſilius in regulis brevioribus Reſp. ad Interrogat. ccxxix. Omnino » in peccatorum confeſſione eadem ratio eſt, quæ etiam in apertione vitio- » rum corporis. Ut igitur vitia corporis nequaquam quibuſvis temerè ho- » mines aperiunt, ſed *iis tantummodo etiam peccatorum confeſſio fieri debet,* » *apud eos videlicet, qui ea poſſint curare* : conſentaneum in modum illi, » quod ſcriptum eſt, vos qui firmiores eſtis, imbecillitates infirmio- » rum portate, hoc eſt tollite diligentia, & cura veſtra. Sic S. Hilarius & Baſilius adeo ſecretam eſſe volunt confeſſionem & pœnitentiam, ut coram Deo ſolo, & coram iis tantùm qui curare poſſint, eam agendam eſſe dicant. Quare apertè affirmant morem Eccleſię fuiſſe de peccatis occultis ſecretò pœnitendi.

Gregorius Nyſſenus in epiſtola canonica ad Letoium Epiſcopum Meliti- » nenſem. *Qui autem latenti ablatione ſibi alienum uſurpat*, ſi deinde per » enunciationem peccatum ſuum ſacerdoti aperuerit, vitii ſtudio in cõtrarium » mutato ægritudinem curabit : dico autem, largiendo quæ habet profundit, ut » dum quæ habet profũdit, ſe ab avaritiæ morbo liberum apertè oſtendat. Sin » autem nihil aliud, præterquam ſolum corpus habeat; jubet Apoſtolus per la- » borem corporalem ei morbo mederi. Dictionis autem ita habet contextus: » qui furatur non amplius furetur : ſed potius laboret bonum operans, » ut poſſit ei largiri qui indiget. S. Gregorius Nyſſenus in hac epiſtolâ canonicâ non ſuam, ſed ſuorum patrum ſententiam, atque canonicam referre teſtatur. Cur igitur qui latenti ablatione ſibi alienum uſurpavit, ſecundùm canones non plectitur pœnitentiâ publicâ, ſed ei ſufficit pœnitentia ſecretò facta, niſi quia mos erat Eccleſiæ de peccatis occultis ſecretò pœnitendi?

Hilarius Diaconus auctor ſub Damaſo Papa in quæſtionibus ex veteri » & novo Teſtamento utroque mixtim. quæſt. CII. Et adhuc eſt aliquid » quod deprehendit Novatianus : Cur, inquit, corpus Domini tradunt ejs » quos noverunt peccatores? Quaſi poſſint ipſi accuſatores eſſe, qui ſunt » judices. Si autem accuſati fuerint & manifeſtati, potuerunt abjici. Nam » quis judex accuſantis ſumat perſonam? Nam ſi ipſe Dominus Judam » paſſus eſt quem ſciebat furem eſſe, & ea quæ mittebantur exportare, nec » eum qui accuſatus non eſt, abjecit : *hoc exemplo uti oportet, ut eum ab-* » *jicere non liceat, qui publicè detectus non fuerit.* Nam nec juſto viro » competit âliquem accuſare. Unde Matthæus, Joſeph cùm eſſet, inquit, » homo juſtus, & nollet eam traducere, voluit eam occultè dimittere. » Judas ergo cum eſſet inter diſcipulos, contagione ſua non eos macula- » vit, diſſentientes utique à furtis ejus, & Euchariſtiam inter eos acci- » piens non polluit innocentes. Nec Dominus ei quem latronem ſciebat, » corpus ſuum denegabat, quia ſecundùm Apoſtolum, qui indignè ſumit, » gladium ſibi ſumit. Hilarius Diaconus contra Novatianos morem Eccleſiæ Catholicæ confirmat exemplo Chriſti, ut eum abjicere non liceat, qui publicè detectus non fuerit : ergo mos erat Eccleſiæ de peccatis occultis ſecretò pœnitendi.

Ambroſius in Pſalmum xxxvIII. enarrat. Accuſabatur & tacebat. Ducebatur ad mortem, & ſilentio ſe tegebat, ne nudaret pudorem. Intra ſe tamen loquebatur Deo, qui eam magis audivit tacentem. Quæ ſi voluiſſet loqui, forſitan non eſſet audita. *Et tu ergo qui propoſuiſti ſatisfacere pro delictis Domino Deo tuo, illi ſoli interiore corde te purga,* illum contuere, qui poteſt peccata diluere. Hac exhortatione uti non poteſt S. Ambroſius, quin affirmet morem Eccleſiæ fuiſſe de peccatis occultis ſecretò pœnitendi. Unde auctor ipſius vitę teſtatur hunc morem tam diligenter ſervaſſe, ut ceteris ſacerdotibus bonum reliquerit exemplum. Quotieſcunque, inquit, illi aliquis ad percipiendam pœnitentiam lapſus ſuos confeſſus eſſet, ita flebat, ut & illum flere compelleret. Videbatur etiam ſibi cum jacente jacere. Cauſas autem criminum quas illi confitebantur, *nulli niſi Domino ſoli apud quem intercedebat loquebatur: bonum relinquens exemplum poſteris ſacerdotibus, ut interceſſores apud Deum ſint, magis quàm accuſatores apud homines.* Nam & ſecundum Apoſtolum circa hujuſmodi hominem confirmanda charitas eſt: quia ipſe ſui accuſator eſt, nec expectat accuſatorem, ſed prævenit, ut confitendo ſuum allevet ipſe delictum, nec habeat quod adverſarius criminetur. Ideoque ſcriptura dicit: juſtus in principio ſermonis accuſator eſt ſui. Vocem enim eripit adverſario, & quaſi dentes quoſdam paratos ad prædam criminationis infeſtæ peccatorum ſuorum confeſſione confringit, *dans honorem Deo, cui nuda ſunt omnia, & qui vult vitam magis peccatoris quàm mortem.*

Joannes Chryſoſtomus in homilia xx. in caput Geneſ. v. ſcortator enim, vel adulter, vel qui aliud tale quiddam admiſit, etiamſi omnes latere queat, nunquam tamen ſic in tranquillitate vivit &c. Attamen qui hæc fecit, ſi voluerit, ut decet uti conſcientiæ adjumento, & ad confeſſionem facinorum feſtinare, & medico oſtendere ulcus, qui curet & non exprobret, atque ab illo remedia accipere, *& ſoli ei loqui, nullo alio conſcio, & omnia dicere cum diligentia, facilè peccata ſua emendabit.* Confeſſio enim peccatorum, abolitio etiam eſt delictorum. Quid his verbis clarius, quibus S. J. Chryſ. affirmat pœnitentiâ ſecretò factâ, quælibet crimina, ut ſcorta, adulteria, & alia ejuſdem generis quæ alios latent, aboleri? Quidam putant, ita loqui Joannem Chryſoſtomum, ex eo quòd à prædeceſſore ſuo Nectario Epiſcopo Conſtantinopolitano ſublatam fuiſſe pœnitentiam publicam arbitrentur. Sed primò refelluntur ipſiſmet J. Chryſoſtomi teſtimoniis qui publicam pœnitentiam in ſuis homiliis apud Conſtantinopolim dictis prædicavit ſicut optimè demonſtratur in ipſius vitâ Gallicanâ linguâ ſcriptâ à Godefrido Hermantio Theologo eruditiſſimo & ſocio Sorbonico. II. Nullius momenti poteſt eſſe iſta objectio, cùm non dubium ſit, quin homilias in Geneſim apud Antiochiam recitaverit, ſicut homilias in epiſt. ad Corinth. Ubi pœnitentiam publicam pro peccatis publicis viguiſſe ſic declarat in homilia xvIII. in II. ep. ad Corinth. Iterùm cum arcemus eos qui non poſſunt ſacræ menſæ participes eſſe, aliam fie-

ri oportet precem, omneſque ſimiliter humi jacere, &c.

J. Chryſoſtomus in homilia XXI. ad populum Antiochenum. Contrarium Agonotheta noſter facit, non ipſum aſſumens circumducit, & dicit: Numquis hunc accuſat? ſed clamat, Licet dæmones cum diabolo conſtituti ipſum accuſent *de turpiſſimis & occultis criminibus*, non rejicio nec abominor, ſed ab accuſatoribus ipſum liberans, & ab iniquitate abſolvens, ſic ad certamina duco: nec immerito, &c. Nec hoc tantum eſt admirabile, quod nobis peccata dimittit, verum & *quod ipſa non revelat, nec manifeſta facit, nec accedentes cogit in medio patrata edicere, ſed ſoli ſibi rationem reddere jubet, & ſibi confiteri*: Etenim ex ſecularibus judicibus, ſi quis alicui captorum latronum, vel eorum qui ſepulcra effodiunt diceret, ut peccata confiteretur, & à pœna dimitteretur, omni certè promptitudine hoc ſuſcepiſſent, ſalutis cupiditate pudorem contemnentes; hîc verò non hoc eſt, verum & peccata dimittit, *Nec cogit præſentibus quibuſdam ipſa enunciari: ſed unum ſolum exigit ut ipſe remiſſione fruens doni magnitudinem diſcat.*

J. Chryſ. in homilia VIII. de pœnitentia. Probet autem ſeipſum homo, & ſic de pane illo comedat, & de calice bibat. *Non revelavit ulcus, non in commune theatrum accuſationem produxit. Non deliſtorum teſtes ſtatuit: intus in conſcientia adſtante nemine, præter eum, qui cuncta videt Deum*, qui & ſcrutatur & de peccatis judicat, & omnium vitam quaſi lance quadam librat, judicium peccatorum ſtatuens, & vitam omnem recogitans in mentis judicium peccata deducito, reforma quod deliquiſti, atque ſic pura conſcientia ſacrã attinge menſam, particepſque ſancti ſacrificii fias. Hæc mente retinentes, & omnium quæ de luxuria diximus recordati, quantaque his pœna poſita ſit, qui incontinenter & minus pudicè reſpiciunt in mulieris faciem, & præ gehenna Dei timorem & charitatem habentes ante oculos, *noſmetipſos hinc inde purgantes ſic ſacris myſteriis propinquemus*, ne in judicium damnationemque nobis fiant, ſed in ſalutem & animæ ſanitatem, fiduciamque continuam ſalutis hujus ſuſcipiamus.

In homilia X. de pœnitentia quæ non rectè inſcribitur IX. in editis. Quamvis in extrema canitie peccaveris, ingredere, pœnitentiam age: medicinæ locus eſt hîc, non judicii; *Non pœnas exigens, ſed peccatorum remiſſionem tribuens. Deo ſolum dic peccatum tuum: Tibi ſoli peccavi, & malum coram te feci, & dimittitur peccatum tuum.*

In ſermone de Phariſæo & Publicano. Itaque admoneo ut confitearis peccata tua. *Neque enim te ad theatrum conſervorum tuorum: Nec te cogo ea hominibus enunciare: conſcientiam tuam Deo expone: ei oſtende facta & vulnera; & ab eo medicinam pete: oſtende te non exprobranti, ſed curanti.*

In homilia XXXI. in ep. ad Hebræos Ne nos tantum dicamus peccatores, ſed etiam peccata recenſeamus, unumquodque enumerantes. *Non tibi dico ut ea in publicum proferas, neque apud alios accuſes, ſed ut*

Digitized by Google

ut pareas prophetæ dicenti : Revela Domino viam tuam, apud Deum confitere peccata tua.

In homilia xxxvi. in actus Apoſtolorum. Quid igitur ſi graviter offenderim ? Ceſſa offendere, & lacrymas funde, & ita accede, & ſtatim imprimis invenies illum propitium. *Dic ſolum, offendi, dic ex animo, & pura mente: & ſoluta ſunt omnia.* Non adeo cupis dimitti peccata tua, ſicut ille cupit peccata tua dimitti. Vide eadem in homilia v. de incomprehenſibili Dei natura. conc. iv. de Lazaro. homil. ii. in pſalm. L. & in homilia, quòd non peccata evulganda ſunt. Vide quoque Caſſianum J. Chryſ. diſcipulum in collat. xx. cap. viii. Quæ omnia demonſtrant morem fuiſſe Eccleſiæ, de peccatis occultis ſecreto pœnitendi.

Innocentius I. in epiſtola ad Exuperium Epiſcopum Toloſanum cap. iv. Et illud deſideratum eſt ſciri, cur communicantes viri cum adulteris uxoribus non conveniant, cùm contrà uxores in conſortio adulterorum virorum manere videantur. Super hoc Chriſtiana religio adulterium in utroque ſexu pari ratione condemnat. Sed viros ſuos mulieres non facile de adulterio accuſant, *& non habent latentia peccata vindictam*: Viri autem liberius uxores adulteras apud ſacerdotes deferre conſueverunt, & ideo mulieribus prodito earum crimine denegatur: *Virorum autem latente commiſſo*, non facile quiſquam ex ſuſpicionibus abſtinetur. Qui utique ſubmovebitur, *ſi ejus flagitium detegatur*. Cùm ergo par ſit cauſa, interdum, probatione ceſſante, vindictæ ratio conquieſcit. Quare plures viri adulterantes pœnitentia publica non plectuntur ? Quia non habent, inquit, latentia peccata vindictam, virorum latente commiſſo. Ergo mos erat Eccleſiæ de peccatis occultis ſecretò pœnitendi.

Bacchiarius in epiſtola ad Januarium. Sed prætermiſſis his plangatur defunctus, ſepeliatur mortuus: id eſt, partim noſtro labore, partim verecundiæ ſuæ confuſione *peccatum ejus celetur*, & auferatur è medio: nos autem conſolationis linteamine, & cœleſtis ſpei pigmenta tribuamus. *Ipſe autem intra ſepulcrum ſecreti ſui confuſus peccati pudore, contineat ſe: ibi conſcientiæ ſuæ verme laceretur*, qui totus in eo putredines obligat peccatorum. Nonne illa eſt pœnitentia ſecreto facta? Quam tamen pro adulterio nefando ſufficere exiſtimat Bacchiarus, cujus opuſcula laudat Gennadius in catalogo illuſtrium virorum.

Auguſtinus in Pſalmum xxxi. Pronunciabo adverſum me injuſtitias meas Domino, & tu remiſiſti impietatem cordis mei. Dixi. Quid dixiſti ? Non jam pronunciat, ſed promittit ſe pronunciaturum, & ille jam dimittit. Attendite fratres: magna res, dixi, pronunciabo. Non dixi, pronunciavi, & tu dimiſiſti. Dixi pronunciabo, & tu dimiſiſti: quia eo ipſo quod dixit, pronunciabo, oſtendit quia nondum pronunciaverat, *ſed corde pronunciaverat.* Hoc ipſum dicere, pronunciabo, pronunciare eſt: *ideo & tu remiſiſti impietatem cordis mei.* Confeſſio verò mea ad os nondum venerat. Dixeram enim pronunciabo adverſum me, veruntamen Deus audivit vocem cordis mei. Vox mea in

» ore nondum erat, ſed auris Dei jam in corde erat. Nulla ſecretior pœni-
tentia cogitari poteſt, quam tamen ſufficere arbitratur S. Auguſtinus,
» cùm peccatum à Deo dimiſſum eſſe agnoſcat.
» In Serm. XLIV. in Evangelium Joannis. Qui viderit mulierem ad con-
» cupiſcendum eam, jam mœchatus eſt in corde ſuo. Nondum acceſſit cor-
» pore, conſenſit in corde, *mortuum intus habet, nondum extulit*. Et ſit,
» ut novimus, ut quotidiè homines ſe experiuntur aliquando audito ver-
» bo Dei, tanquam Domino dicente, ſurge, condemnatur conſenſus ad
» iniquitatem, reſpiratur in ſalutem & juſtitiam. *Surgit mortuus in domo,*
» *reviviſcit in cogitationis ſecreto, facta eſt iſta reſurrectio anima mortua in-*
» *tus: intra latebras conſcientia, tanquam intra domeſticos parietes.* Pluri-
» bus aliis in locis eodem modo loquitur. v. g.
« In Sermone XLIV. de verbis Domini. Si verò adhuc peccatum con-
» ceptum eſt, & non proceſſit in factum, pœniteat, corrigatur cogitatio,
ſurgat mortuus intra domum conſcientia. Quomodò ſit iſta reſurre-
ctio animæ mortuæ intus, in cogitationis ſecreto, intra domum conſcien-
» tiæ, intra latebras conſcientiæ, tanquam intra domeſticos parietes, niſi
» pœnitentià ſecretò factà? & cur non adhibetur publica? quia, inquit Au-
» guſtinus, mortuum intus habet & nondum extulit, id eſt crimen non-
» dum eſt publicum.
» In Sermone XV. de verbis Domini. Peccantes coram omnibus cor-
» ripe, ut ceteri timorem habeant. Certè ſi quis, quod ſolum eſt ve-
» rum, diſtinguit tempora, & ſolvit quæſtionem, verum eſt. *Si pecca-*
» *tum in ſecreto eſt, in ſecreto corripe. Si peccatum publicum eſt & apertum,*
publicè corripe, ut ille emendetur, & ceteri timeant.
» Et in ſermone ſequenti quænam ſit Eccleſiæ diſciplina manifeſtè de-
» clarat his verbis: *Ergo corripienda ſunt ſecretius, quæ peccantur ſecre-*
» *tius.* Diſtribuite tempora, & concordat ſcriptura. Sic agamus, & ſic
» agendum eſt, non ſolum quando in nos peccatur, ſed *quando peccatur*
» *ab aliquo, ut ab altero neſciatur, in ſecreto arguere*, ne volentes publicè
» arguere, prodamus hominem. Nos volumus corripere, & corrigere,
» quid ſi inimicus quærit audire quid puniat? Novit enim neſcio quem
» homicidam Epiſcopus, & alius illum nemo novit. Ego volo illum publi-
» cè corripere, & tu quæris inſcribere. Prorſus nec prodo, nec negligo.
» *Corripio in ſecreto*, pono ante oculos Dei judicium, terreo cruentam
» conſcientiam, perſuadeo pœnitentiam. Hac charitate præditi eſſe debe-
» mus. Unde aliquandò homines reprehendunt nos, quod quaſi non cor-
» ripiamus, aut putant nos ſcire quod neſcimus, aut putant nos tacere
» quod ſcimus. Sed fortè quod ſcis & ego ſcio, ſed non coram te cor-
» ripio, quia curare volo, non accuſare. Sunt homines adulteri in domi-
» bus ſuis, *in ſecreto peccant*, aliquando nobis produntur ab uxoribus ſuis
» plerumque zelantibus, aliquando maritorum ſalutem quærentibus. *Nos*
» *non prodimus palam, ſed in ſecreto arguimus. Ubi contigit malum, ibi*
» *moriatur vulnus.* Itaque S. Auguſtinus frequenter docet morem Eccle-
ſiæ fuiſſe, de criminibus occultis ſecretò pœnitendi.

Digitized by Google

Caſſianus in collat. xx. de fine pœnit. cap. v. Quamobrem veriſ- «
ſimus examinator pœnitentiæ & indulgentiæ judex in conſcientia reſi- «
det noſtra, qui abſolutionem reatus noſtri ante cognitionis & judicii «
diem adhuc nobis in hac carne commorantibus detegit, & ſatiſfactionis «
ac remiſſionis gratiam pandit. «

Petrus Chryſologus in ſermone xxiv. Petrus & Paulus Principes «
fidei Chriſtianæ notitiam nominis Chriſti toto orbe diffuderunt: *Mu-* «
lier accedendi ad Chriſtum prima tradidit diſciplinam: mulier prima de- «
dit formam quomodo peccator tacita confeſſione deleat ſine confuſione pec- «
catum: quomodo delinquens ſoli Deo cognitus de reatu nudare apud ho- «
mines verecunda conſcientia non cogatur: quomodo homo poſſit venia judi- «
cium prævenire. Hæc eſt Eccleſiæ diſciplina, de peccatis occultis ſe- »
cretò pœnitendi, cujus mulier prima dedit formam, & quam deinceps pa-
tres unanimi conſenſu prædicarunt.

Patres Concilii Vaſenſis II. Can. viii. Quod ſi ſe tantum Epiſco- «
pus alieni ſceleris conſcium novit, quamdiu probare non poteſt, nihil «
proferat; ſed cum ipſo ad compunctionem ejus *ſecretis correptionibus* «
elaboret. «

Leo I. in epiſtola ad Univerſos Epiſcopos per Campaniam, Samnium
& Picenum conſtitutos. *Illam etiam contra Apoſtolicam regulam præ-* «
ſumptionem, quam nuper agnovi à quibuſdam illicita uſurpatione com- «
mitti, modis omnibus conſtituo ſubmoveri; de pœnitentia videlicet, «
quæ ita à fidelibus poſtulatur, ne de ſingulorum peccatorum genere, li- «
bellis ſcripta profeſſio publicè recitetur: *cum reatus conſcientiarum ſuf-* «
ficiat ſolis ſacerdotibus indicari confeſſione ſecreta. Quamvis enim ple- «
nitudo fidei videatur eſſe laudabilis, quæ propter Dei timorem apud ho- «
mines erubeſcere non veretur: tamen quia non omnium hujuſmodi ſunt «
peccata, ut ea, quæ pœnitentiam poſcunt, non timeant publicare, re- «
moveatur tam improbabilis conſuetudo, ne multi à pœnitentiæ remediis «
arceantur, *dum aut erubeſcunt, aut metuunt inimicis ſuis ſua facta re-ſe-* «
rari, pro quibus poſſint legum conſtitutione percelli. Sufficit enim illa con- «
feſſio, quæ primum Deo offertur, tunc etiam ſacerdoti qui pro delictis «
pœnitentium peccator accedit. Tunc enim demum plures ad pœniten- «
tiam poterunt provocari, *Si populi auribus non publicetur conſcientia* «
confitentis. Quamvis S. Leo loquatur de confeſſione publica, hoc ta- «
men ſimul intelligi debet de pœnitentia publica, quæ non minùs parcebat
pudori, quam confeſſio publica: & quæ ex occultis crimina tam publica
reddebat, ut ab ea eximerentur, quibus timendum eſſet ne inimicis facta
reſerarentur, pro quibus poterant legum conſtitutione percelli; ſicut pro-
bat canon xxxiv. epiſtolæ S. Baſilii ad Amphilochium. Cùm igitur ea-
dem prorſus mala oriantur ex confeſſione & pœnitentia publica, faten-
dum eſt, pœnitentiam publicam pro occultis criminibus à S. Leone voca-
ri contra Apoſtolicam regulam præſumptionem, & improbabilem con-
ſuetudinem, quæ nullo unquam Eccleſiæ decreto firmata fuit. Quamob-

rem conſtat pœnitentiam ſecretò factam pro criminibus occultis ſufficere, atque morem Eccleſiæ fuiſſe de iis ſecretò pœnitendi.

» Gennadius libr. de Eccleſiaſticis dogmatibus cap. LI I. Sed & *ſecreta* » *ſatisfactione ſolvi mortalia crimina non negamus.*

» Julianus Pomerius lib. II. de vita contemplativa cap. VII. Porrò illi, » *quorum peccata humanam notitiam latent* nec ab ipſis confeſſa, nec ab » aliis publicata, ſi ea confiteri aut emendare noluerint, Deum quem » habent teſtem, ipſum habituri ſunt & ultorem. Et quid eis prodeſt hu» manum vitare judicium, cùm ſi in malò ſuo permanſerint, ituri ſint in » æternum, Deo tribuente, ſupplicium. *Quod ſi ipſi judices fiant*, & » veluti ſuæ iniquitatis ultores hîc in ſe voluntariam pœnam ſeveriſſimæ » animadverſionis exerceant, temporalibus pœnis mutabunt æterna ſup» plicia: & lacrymis ex vera cordis compunctione fluentibus reſtinguent » æterni ignis incendia. Quandoquidem ſi ipſi judices fiant, præveniunt judicium Eccleſiæ de pœnitentia publica; manifeſtum eſt ipſis ſufficere pœnitentiam ſecretò factam. Illud etiam perſpicuum eſt, ex eo quòd poſteà eum Clericorum pœnitentia, quam omnes norunt tunc temporis non fuiſſe publicam, eorum pœnitentiam conjungat, atque utramque eodem mo» do ſic deſcribat. Quapropter Deum ſibi facilius placabunt illi, qui » non humano convicti judicio, ſed ultro crimen cognoſcunt: qui aut » propriis illud confeſſionibus produnt, aut neſcientibus aliis quales occul» ti ſunt, ipſi in ſe voluntariæ excommunicationis ſententiam ferunt, & » ab altari cui miniſtrabant, non animo, ſed officio ſeparati, vitam tan» quam mortuam plangunt, certi quòd reconciliato ſibi efficacis pœniten» tiæ fructibus Deo, non ſolùm amiſſa recipiant, ſed etiam cives ſupernæ » civitatis effecti, ad gaudia ſempiterna perveniant. Itaque mos erat Eccleſiæ de peccatis occultis ſecretò pœnitendi.

Cæſarius Arelatenſis Epiſcopus in homilia quæ inſcribitur XLIV. tom. » 2. bibl. Patrum p. 349. Admoneo fratres, in conſpectu Dei &c. ſi au» tem agit pœnitentiam ex toto corde, ſed ſi agat veram pœnitentiam; ubi » Deus vidit ſicut cor David, quando increpatus à Propheta, graviter & » poſt comminationes terribiles Dei, exclamavit dicens: Peccavi, & mox » audivit, Dominus abſtulit peccatum tuum. *Quantum valent tres ſylla*» *bæ? tres enim ſyllabæ ſunt: peccavi: ſed in iſtis tribus ſyllabis flamma ſa*» *crificii cordis ejus ad cœlum aſcendit.* Hæc homilia in quibuſdam codicibus Mss. tribuitur Auguſtino, in aliis Ambroſio. Sed à quocumque auctore catholico hæc dicta ſint, illa ſignificant pro criminibus etiam graviſſimis pœnitentiam ſecretò factam ſufficere.

» Laurentius Novarienſis Epiſcopus in Homilia de pœnitentiâ. Si eſt » in te prudentia, ſi habes conſilium & proprium mentis arbitrium; *Deus* » *in te eſt. Ipſe tibi erit pœnitentia, & fons & baptiſma & remiſſio, qui* » *nunquam in te nec deſinit, nec deficit.* Quid ambiguus æſtuas? Quid re» ſolveris animo, & inter inepta tædia conſcientiæ tuæ fatigatus torpeſcis? » peccaſti poſt fontem, lapſus es poſt baptiſma, feciſti crimen poſt indul-

gentiam generalem, quid nunc perit jam ſpes? numquid intercepta eſt retributio? &c. Ex illa die, illaque hora qua egreſſus de lavacro: *ipſe tibi es fons jugis, & diuturna remiſſio. Non opus habes doctore, nec dextrâ ſacerdotis.* Mox ut aſcendiſti de ſacro fonte, veſtitus es veſte alba, & unctus es unguento myſtico: facta eſt ſuper te invocatio, & venit ſuper te trina virtus, quæ vas novum hâc novâ perfudit doctrinâ. *Exinde teipſum ſtatuit tibi judicem & arbitrum; deditque tibi notitiam, ut poſſis ex te diſcere bonum & malum*: id eſt, inter meritum & peccatum. Et quia non poteras, manens in membris corporiſque compage, liber exiſtere à peccato, immuniſque eſſe à noxa: *poſt baptiſma remedium tuum in teipſo ſtatuit, remiſſionem in arbitrio tuo poſuit, ut non quæras ſacerdotem, cum neceſſitas efflagitaverit. Sed ipſe jam ac ſi ſcitus perſpicuuſque magiſter errorem tuum intra te emendes, & peccatum tuum pœnitudine abluas.* Itaque deſinat duritia, ceſſet deſperatio, deſinat ignavia, *fons nunquam deficit, aqua intus eſt: ablutio in arbitrio eſt*: ſanctificatio in ſolertia eſt, remiſſio in rore lacrymarum. Nolite ſolvere in ſegnitiem: *fons eſt in homine conſervatus perpetua pœnitudo.* Ibi eſt pœnitentia ad vocem Baptiſtæ qui ſic vociferatur in eremo, & penetrabili clamore deſertas hominum mentes exaggerat dicens: pœnitentiam agite, appropinquabit enim regnum cœlorum. Nemo poteſt ſuperni imperii habere apicem, habere faſtigium; niſi fuerit pœnitentiæ ſuffragio fultus. Ad regni ſuperni penetrabilia non pervenit quiſquam, niſi egerit pœnitentiam. Repetit adhuc Baptiſta: ergo, inquit, baptizo vos aquâ in pœnitentiam; ſed alter eſt poſt me veniens, qui vos baptizabit in Spiritu ſancto & igni. Noli tu jam quærere neque Joannem, neque Jordanem, *Ipſe tibi eſto Baptiſta.* Pollutus es poſt lavacrum, vitiata ſunt viſcera tua, contaminata eſt anima? Tinge te in aqua pœnitentiæ, ablue te abundantia lacrymarum, exuberet fons compunctionis in extis tuis: exundent aquæ vivæ in fibris tuis. Para te venienti Domino, & ipſe baptizabit in Spiritu ſancto & igni, habens ventilabrum in manu ſua: quod eſt inſpectio vel ponderatio pœnitudinis ac peccati. Ipſe perpendit in te utrumque pondus: Ipſe conſpicit in te molem, & molem: unam pœnitentiæ, unam peſtilentiæ. Et pœnitentiæ quidem fructus, ac ſi triticum congerit in tuum profectum: peccata verò tua, quaſi peſtilentiæ paleas comburit igni inextinguibili. *Hæc eſt privata remiſſio, intimo corde provocata, & pœnitudine adquiſita.* Quot verba, tot argumenta, quibus probatur pœnitentiam pro criminibus occultis ſecretò factam ſufficere, atque morem Eccleſiæ fuiſſe de peccatis occultis ſecretò pœnitendi.

Gregorius lib. IV. moralium in cap. III. B. Job. cap. XV. *In tenebras ergo diem vertimus*, cùm noſmetipſos diſtrictè punientes, ipſa delectationis pravæ blandimenta per diſtricta pœnitentiæ lamenta cruciamus, & cùm flendo inſequimur, *quicquid in corde taciti ex delectatione peccamus.* Quia enim fidelis quiſque cogitationes in judicio exquiri ſubtiliter non ignorat, Paulo atteſtante, qui ait: inter ſe invicem cogitationum accuſantium, aut etiam defendentium: *ſemetipſum introrſus diſcutiens, ante judicium*

» *vehementer examinat*, ut diſtrictus judex eò jam tranquillius veniat, quò
» reatum ſuum, quem diſcutere appetit, jam pro culpa punitum cernit.
Deinde hanc pœnitentiam ſecretò factam ſufficere, ſatis ſuperque confirmat comparatio, quam S. Gregorius in toto capite ſequenti inſtituit inter pœnitentiam quæ fiet maximè publica in die extremi judicii, & aliam ſpontaneam quæ tunc in hac vita agitur à plurimis, qui intra latebras conſcientiæ ſemetipſos dijudicant, ut non utique in die manifeſtationis à Domino judicentur.

» Gregorius lib. Paſtoralis curæ III. part. admonit. VIII. Aliter admo-
» nendi ſunt impudentes, atque aliter verecundi. Illos namque ab impuden-
» tiæ vitio non niſi *increpatio dura compeſcit*. Iſtos autem plerumque ad me-
» lius *exhortatio modeſta componit*. Illi ſe delinquere neſciunt, niſi etiam *à*
» *pluribus increpentur*: iſtis plerumque *ad converſionem ſufficit, quòd eis*
» *doctor mala ſua ſaltem leniter ad memoriam reducit*. Illos melius corrigit
» qui invehendo reprehendit: iſtis autem major profectus adducitur, ſi
» hoc quod in eis reprehenditur, *quaſi ex latere tangatur*. Quod poſtea oſten-
» dit exemplo Dei, & Pauli; cujuſque rei hanc affert rationem, *Ut*, in-
» quit, *& illorum culpas increpatio dura detegeret, & horum negligentiam*
» *mollior ſermo velaret*. Publica igitur pœnitentia impudentibus neceſſaria eſt, quorum crimina increpatione durâ deteguntur: Occulta verò pœnitentia ſufficit verecundis, quorum peccata molliori ſermone velantur.

» In admonitione xxx. Sæpe enim miſericors Deus eo citius peccata
» cordis abluit, quò hæc exire ad opera non permittit: & cogitata nequitia
» quantocitius ſolvitur, quia effectu operis diſtrictiùs non ligatur. Unde
» rectè per Pſalmiſtam dicitur: Dixi pronunciabo adverſum me injuſtitias
» meas Domino, & tu remiſiſti impietatem cordis mei. Qui enim impieta-
» tem cordis ſubdidit, quia cogitationum injuſtitias pronunciare vellet in-
» dicavit. Denique ait pronunciabo adverſum me injuſtitias meas. Dum-
» que ait: dixi, pronunciabo, atque illico adjunxit, & tu remiſiſti, *quàm*
» *ſit ſuper hac facilis venia oſtendit*. Et dum ſe adhuc petere promitit, hoc
» quod petere ſe promittebat, obtinuit: quatenus *quia uſque ad opus non*
» *venerat culpa, uſque ad cruciatum non perveniret pœnitentia, ſed cogitata*
» *afflictio mentem tergeret, quam nimirum tantummodò cogitata iniquitas*
» *inquinaſſet*.

» In admonitione xxxii. Rurſumque admonendi ſunt, ut ſi mali eſſe non
» metuunt, erubeſcant ſaltem videri quod ſunt. *Plerumque enim culpa dum*
» *abſconditur, effugatur*: quia dum mens erubeſcit videri, quod tamen
» eſſe non timuit, erubeſcit quandoque eſſe quod fugit videri. Sic pluribus teſtimoniis declarat S. Gregorius verecundis, quorum peccata occulta ſunt, pœnitentiam ſecretò factam competere atque ſufficere, & ideo morem Eccleſiæ fuiſſe de peccatis occultis ſecretò pœnitendi.

Joannes Abbas Raithu, ad quem ſcripſit epiſtolam Joannes Climacus,
» in ſuis Scholiis ad V. gradum J. Climaci, & in hæc verba: *ſecuraque cu-*
» *juſque ſui cura*. Quia, inquit, de nullo terreno curat, ſed pro ſe ſibi ſol-

Digitized by Google

ſicita, quomodò ſibi Deum reconciliet, & ſalutem perditam per peccatum inveniat, pœnitendo & lugendo feſtinat. Et pro ſe ſollicita, & pro ſe dijudicata ſit, quia omnia quæ ſunt mundi, & ſe ipſum puniendo contemnit, qui eſt pœnitens, & vigilanter ab omni judicio ſe dignum cernit. *Per ſe igitur cogitatio dijudicata eſt, quia aliquo alio ad dijudicationem non eget, ſed qui eſt pœnitens, ipſe ſui ipſius index & vindex eſt.*

Eligius Noviomenſis Epiſcopus in homilia de filio prodigo. Vos etiam fratres poſt exhortationem quam habuimus ad pœnitentes, mecum admoneo, ut unuſquiſque noſtrûm recurrat ad conſcientiæ ſuæ ſecreta, & interroget ſemetipſum qualiter per totum annum, maximè his ſacris diebus converſatus eſt. Et ſi invenerit in corde ſuo ſpinas & tribulos delictorum, ſtudeat auxiliante Deo quantocyùs evellere, & evellendo eradicare, hiſque eradicatis fodiat vomere ſalutari, ac ſtercora, id eſt, bona opera immittat ut poſſit facere fructum: *Et ſi vel hodie puriter confeſſus ac devotè converſus fuerit ut valeat dignus intereſſe ſolennitati præſentis diei*, quæ quia in ea Dominus cum Apoſtolis ſuis coenavit, cœna vocatur. Videat ſummopere ut ſacramenta corporis & ſanguinis Domini dignè recipere queat; quatenus potius ſalutem quàm damnationem acquirat. &c. Non ergo abhorreamus pœnitentes iſtos propter magnitudinem ſcelerum ſuorum; quia poteſt fieri quòd *multi ſunt inter nos qui pejora commiſerint.* Quare igitur qui forſan pejora commiſit quam pœnitentes publici, & qui in corde ſuo ſpinas & tribulos delictorum invenit, ſi vel hodie puriter confeſſus ac devotè converſus fuerit, dignus valet intereſſe ſolennitati & quidem cœnæ Domini; niſi quia mos Eccleſiæ erat de peccatis occultis ſecretò pœnitendi?

In homilia xv. de utriuſque Agni Paſchalis eſu: Quicumque ergo veſtrûm his quadragenum dierum obſervationibus pœnitentiam & confeſſionis ſuæ debitum ſe exercuiſſe recolit, agat Domino gratias: & quicquid *templum Dei violando in ſe deſtruxerit, non deſperet, ſed citò de malo iniquitatis ſua conſurgat.* Non enim quòd peccat, ſed quòd in peccato perſeverat, Deo odibilis eſt. Ut ergo verbis Domini ſecundum Marcum utar, quibus dicit: quod dico, omnibus dico, vigilate: ſimiliter quod dico, omnibus vobis dico; Clericis, Laicis, ac Sanctimonialibus: ut quicquid ſe recolit invidiæ, aut detractionis, odii quoque & *fornicationis ſive inceſtus*, vel perjurii, ceterorumve vitiorum contagione adtactum, *ſaltem hodie per divinæ ſalutis medicamentum, inquantum prævalet, ſe purificare procuret. Confiteatur adverſum ſe injuſtitiam ſuam Domino, ut remittat impietatem cordis ſui, & reliquiæ cogitationum eius diem feſtum agent Domino.* Tunc enim reliquiæ cogitationis diem feſtum agunt Domino, quando peccator quilibet poſt priùs datam confeſſionem, ſe cohibere pollicetur ab iniquitate ſua, totuſque prærumpit in lacrymas & in affectionem cordis, quoniam cor contritum & humiliatum Deus non ſpernit: *huiuſmodi feſtivitas Angelis exultantibus fit*, veritate atteſtante quæ ait: quoniam gaudium eſt in cœlo ſuper uno peccatore coram An-

„ gelis Dei. Cùm mox S. Eligius convertat ſermonem ad publicos pœnitentes, patet peccatores occultos allocutum eſſe, & eos quidem, quos notat inceſti crimen forſan perpetraſſe: affirmat nihilominùs illos citò poſſe de malo iniquitatis ſuæ conſurgere; ita ut, ſi confiteantur adverſùm ſe injuſtitiam ſuam Domino, ipſe remittet impietatem; reliquiæ cogitationum diem feſtum agent Domino, hæc feſtivitas Angelis exultantibus celebranda ſit: atque hoc eodem die per divinæ ſalutis medicamentum ſe purificaturi ſint.

Hæc ſunt teſtimonia Patrum juxta ſeriem temporum uſque ad Theodorum Archiepiſcopum Cantuarienſem deducta; quæ omnia demonſtrant pro peccatis occultis pœnitentiam ſecretò factam ſufficere, atque morem Eccleſiæ fuiſſe de iis ſecretò pœnitendi.

CAPUT III.

Patres teſtantur pœnitentiam publicam pro publicis tantùm criminibus ab Eccleſia canonicè fuiſſe ſtatutam.

NOn neceſſe eſt oſtendere, Tertullianum in libro de pœnitentia, & Cyprianum in ſuis epiſtolis, de pœnitentia publica ut imperata, nonniſi ob publica crimina locutos eſſe. Quod ſatis ſuperque declaravit Nicolaus Rigaltius vir omnium eruditiſſimus, qui illos Patres ſuis notis illuſtravit.

„ Origenes in Joſu. homil. xx. Sed ſicut dicitur de zizaniis, ne fortè eradicantes zizania ſimul cum illis eradicetis & triticum: ita etiam ſuper iis dici poteſt, *in quibus vel dubia vel occulta peccata ſunt. Neque enim dicimus de iis qui manifeſtè & evidenter crimino ſi ſunt, ut non de Eccleſia expellantur.* Et paulò pòſt. Ergo quia non poſſumus ejicere iſtos qui nos conculcant, eos ſaltem quos poſſumus, *quorum peccata manifeſta ſunt. Vbi enim peccatum non eſt evidens, eiicere de Eccleſia neminem poſſumus*, ne fortè eradicantes zizania, eradicemus ſimul cum ipſis etiam triticum. Si, ubi peccatum non eſt evidens, præſules de Eccleſia neminem poſſunt ejicere; liquet id quod ſuprà dixit Origines, eos ſolummodo qui manifeſtè & evidenter crimino ſi ſunt ab Eccleſia expelli, atque ideò pœnitentiam publicam pro publicis tantùm criminibus ab Eccleſia fuiſſe ſtatutam.

„ Origenes in Judicum cap. 11. homil. 11. Et, ut mihi videtur, dupliciter etiam nunc traduntur homines de Eccleſia in poteſtatem Zabuli. Uno modo quo ſuperiùs diximus, *cum delictum eius manifeſtum ſit Eccleſiæ, & per ſacerdotes de Eccleſia pellitur*, ut notatus ab omnibus erubeſcat, & converſo eveniat illi quod ſequitur, ut ſpiritus ſalvus fiat in die Domini noſtri Jeſu Chriſti. Alio autem modo quis traditur Zabulo, *cùm peccatum eius manifeſtum non ſit hominibus*, Deus autem qui videt in occulto, perſpiciens ejus mentem, & animam vitiis ac paſſionibus ſer-

ſervientem, & in corde ejus non ſolum amorem ſeculi, ſed aut avaritiam, aut libidinem, aut jactantiam, vel alia hujuſmodi, iſtum talem ipſe Dominus tradit ſatanæ. Hæc manifeſta duplicis excommunicationis publicæ & occultæ diſtinctio, manifeſtè oſtendit publicam pœnitentiam pro publicis tantùm criminibus fuiſſe ſtatutam.

Origenes in Matthæum tractat. XXXV. * Propter hoc enim & *in Eccleſia Chriſti conſuetudo tenuit talis, ut qui manifeſti ſunt in magnis delictis, ejiciantur ab oratione communi*, & ne modicum fermentum non ex corde mundo orantium totam unitatis conſperſionem & conſenſus corrumpat. Talis eſt igitur conſuetudo in Eccleſiis Chriſti, ut peccatores ejiciantur ab Eccleſia, & agant pœnitentiam publicam; non quia magna delicta commiſerunt, ſed quia manifeſti ſunt in magnis delictis. Sic Origenes ſæpius declarat publicam pœnitentiam pro publicis tantum criminibus ab Eccleſia fuiſſe ſtatutam.

Patres Concilii Neocæſarienſis can. IX. Quod ſi de ſe non fuerit ipſe confeſſus, *& argui manifeſtè nequiverit*, poteſtatis ſuæ judicio relinquatur.

Baſilius in epiſt. CCXLVI. *Neceſſe eſt canonibus à Domino ſancitis tradi.* Scriptum eſt enim; ſi deliquerit frater tuus, inter te & illum, illum corripe; quod ſi te non audiet, aſſume tibi alium: quod ſi ne ſic audiet, dic Eccleſiæ: quod ſi neque Eccleſiam audiet, ſit tibi de cetero tanquam ethnicus & publicanus. Hoc ipſum in ipſo factitatum fuit. Simul accuſatus & delatus eſt: coram uno atque altero reprehenſus eſt: *tertiò in facie Eccleſiæ.* Quocirca cùm ſimus ipſi conteſtati, neque nobis acquievit; deinceps eſto excommunicatus, & toti Eccleſiæ denuntiatur, ne ipſum admittant. Canonibus à Domino ſancitis ille non traditus fuit, niſi cùm pertinacia ipſius, crimen in publicum protulerit; & hoc non aliter fieri debuiſſe affirmat S. Baſilius. Cùm ergo canones Eccleſiæ à canonibus Domini non ſint diverſi, fateatur quiſque neceſſe eſt publicam pœnitentiam ob crimina tantùm publica ab Eccleſia fuiſſe ſtatutam.

Hilarius Diaconus in epiſtolæ Pauli ad Corinthios I. cap. V. Cognito opere iſto pellendum illum fuiſſe de cœtu fraternitatis. *Omnes enim crimen ejus ſciebant*, & non arguebant: *publicè* enim novercam ſuam loco uxoris habebat. In qua re *neque teſtibus opus erat, neque tergiverſatione aliqua poterat tegi crimen.*

Et in quæſtionibus ex veteri & novo teſtamento utroque mixtim quæſt. CII. Hinc eſt unde Apoſtolus plebem Corinthiorum arguit, propterea quòd illum qui *publicè* uxorem patris habebat, non corriperent aut evitarent, ut ſe emendaret, dicens: Neſcitis quia modicum fermentum totam maſſam corrumpit? Cùm enim non eſſet dux aliquis aut præpoſitus Eccleſiæ, plebis erat corripere eum quem videbant tam turpiter, & obſcœnè inter eos converſari. Ac per hoc quaſi conſentientes eos crimini ejus Apoſtolus arguit. *Nec enim in hac re accuſatore opus erat,*

aut teſtibus. Publice enim novercam ſuam loco uxoris habebat. Expreſſa omnino eſt publicæ pœnitentiæ ratio, quam Hilarius refert. Omnes enim, inquit, crimen ejus ſciebant. Publicè novercam ſuam loco uxoris habebat. In qua re neque teſtibus opus erat, neque tergiverſatione aliqua poterat tegi crimen.

Joannes Chryſoſtomus in caput Matth. XI. homil. LXXXII. Sed facillimum eſt, dicet aliquis, invidos accuſare: dicendum autem eſt, quo modo hoc morbo liberabimur. Quomodo igitur *ne veneno ſuo nos inficiat*, faciemus? ſi dabimus operam, ut quemadmodum fornicatori nefas ad Eccleſiam ingredi, ſic invido quoque. J. Chryſoſtomus invidiam quæ veneno ſuo alios inficit, id eſt, quæ publica eſt, & aliis ſcandalo, pœnitentiâ publicâ puniendam eſſe contendit, quam tamen non judicat eſſe neceſſariam pro ſcortis & adulteriis occultis: ſicut ſupra oſtendimus. Quare apertè teſtatur pœnitentiam publicam pro publicis tantùm criminibus ab Eccleſia fuiſſe ſtatutam.

Auguſtinus in homilia ultima ex L. cap. XI. Judicet ergo ſeipſum homo in iſtis voluntate dum poteſt, & mores convertat in melius, ne cùm non poterit, etiam præter voluntatem à Domino judicetur. Et cùm in ſe protulerit ſeveriſſimæ medicinæ ſententiam, veniat ad antiſtites, per quos illi in Eccleſia claves miniſtrantur, & tanquam bonus incipiens jam eſſe filius, maternorum membrorum ordine cuſtodito, à præpoſitis ſacrorum accipiat ſatisfactionis ſuæ modum, ut in offerendo ſacrificio cordis contribulati, devotus & ſupplex id tamen agat, quod non ſolùm illi proſit ad recipiendam ſalutem, *ſed etiam ceteris ad exemplum: ut ſi peccatum ejus non ſolum in gravi ejus malo, ſed etiam in ſcandalo eſt aliorum*, atque hoc expedire utilitati Eccleſiæ videtur antiſtiti, in notitia multorum, vel etiam totius plebis agere pœnitentiam non recuſet: non reſiſtat, non lethali & mortiferæ plagæ per pudorem addat tumorem. Ut igitur Antiſtes pœnitentiâ publicam peccatori indicat, non ſufficit ut peccatum ejus ſit in gravi malo, ſed etiam in ſcandalo aliorum, id eſt publicum.

Auguſtinus in lib. III. contra Epiſtolam Parmeniani cap. II. Adhoc enim & ipſe Apoſtolus ait, ſi quis frater nominatur. In eo quippe quod ait, ſi quis: nihil aliud videtur ſignificare voluiſſe, niſi eum poſſe tali modo ſalubriter corrigi, qui inter diſſimiles peccat, id eſt, inter eos, quos peccatorum ſimilium peſtilentia non corrumpit. In eo verò quod ait, nominatur: hoc nimirum intelligi voluit, parum eſſe ut ſit quiſque talis, *niſi etiam nominetur, id eſt, famoſus appareat*, ut poſſit omnibus digniſſima videri, quæ in eum fuerit anathematis prolata ſententia. Ita enim & ſalva pace corrigitur, & non interfectoriè percutitur & medicinaliter uritur.

Auguſtinus in ſermone XLI. de Sanctis. Pro capitalibus verò criminibus non hoc ſolum ſufficit, ſed addendæ ſunt lacrymæ, rugitus & gemitus, continuata longo tempore ac protracta jejunia, & largiores eleemoſynæ erogandæ, ultrò nos ipſos à communione Eccleſiæ removentes,

Digitized by Google

in luctu & in triſtitia multo tempore permanentes, & pœnitentiam etiam *publicè agentes. Quia juſtum eſt ut qui cum multorum deſtructione ſe perdiderit, cum multorum ædificatione ſe redimat.*

Auguſtinus in Enchiridio ad Laurentium cap. LXV. Verùm quia plerunque dolor alterius cordis occultus eſt alteri, neque in aliorum notitiam per verba vel quæcunque alia ſigna procedit, cùm ſit coram illo cui dicitur, gemitus meus à te non eſt abſconditus: rectè conſtituuntur ab iis qui Eccleſiæ præſunt, tempora pœnitentiæ, *ut fiat etiam ſatis Eccleſiæ*, in qua remittuntur ipſa peccata. Pœnitentia publica agitur, ut fiat ſatis Eccleſiæ. Porro nullus ſatisfacere cenſetur, niſi qui injuriam intulit, & talem, qualis eſt ſatisfactio. Si igitur ſatisfactio debet eſſe publica, neceſſe quoque eſt, ut publica fuerit injuria.

Auguſtinus lib. de correptione & gratia cap. XVI. Peccantes coram omnibus corripe, ut ceteri timorem habeant. Quod de his peccatis accipiendum eſt *quæ non latent, ne contra Domini ſententiam putetur locutus.* Itaque frequenter S. Auguſtinus teſtatur pœnitentiam publicam pro publicis tantum criminibus ab Eccleſia fuiſſe ſtatutam.

Julianus Pomerius lib. II. de vita contemplativa cap. VII. Ea autem crimina quorumlibet ſi ipſis criminoſis confiteri nolentibus *undecunque claruerint*, quæcunque non fuerint patientiæ leni medicamento ſanata, velut igni quodam piæ increpationis urenda ſunt, & curanda. Quod ſi nec ſic quidem æquanimiter ſuſtinentis, ac piè increpantis medela profecerit in eis, qui diu portati, & ſalubriter objurgati corrigi noluerint, tanquam putres corporis partes debent ferro excommunicationis abſcindi: ne ſicut caro nobis emortua, ſi abſciſſa non fuerit, ſaltem reliquæ carnis putredinis ſuæ contagione corrumpit: ita iſti, qui emendari deſpiciunt, & in ſuo morbo perſiſtunt, ſi moribus depravatis in ſanctorum ſocietate permanſerint, *eos exemplo ſuæ perditionis inficiant.* Propter ſcandalum quod aliis injiciunt, ab Eccleſia expelluntur; Ergo quia ipſorum crimen erat publicum. Et quoniam declarat illos non debere excommunicari, niſi poſtquam diu portati & ſalubriter objurgati noluerint corrigi, & exemplo ſuæ perditionis alios infecerint, clarè oſtendit pœnitentiam publicam pro publicis tantùm criminibus ab Eccleſia fuiſſe ſtatutam.

Cæſarius Arelatenſis in homilia I. Si verò quiſque conſcientiam ſuam interrogans, facinus aliquod capitale commiſit, aut ſi fidem ſuam falſo teſtimonio expugnavit, ac prodidit; aut ſacrum veritatis nomen violavit; ſi veram baptiſmi tunicam, & ſpecioſam virginitatis holoſericam cœno commaculati pudoris infecit, ſi in ſemetipſo novum hominem nece hominis occidit, ſi per augures, & divinos, atque incantatores captivum ſe diabolo tradidit. Hæc & ejuſmodi commiſſa expiari penitus communi & mediocri, licet ſecretâ ſatisfactione non poſſunt. Sed graves cauſæ, graviores & acriores publicas curas requirunt, ut qui *cum plurimorum afflictione ſe perdidit, ſimili modo cum plurimorum ædificatione ſe redimat.*

Illa eſt certiſſima publicæ pœnitentiæ ratio, quam Patres ſæpiſſimè repetunt, ut qui cum plurimorum afflictione & deſtructione ſe perdidit, ſimili modo cum plurimorum ædificatione ſe redimat. Sicque teſtantur publicam pœnitentiam propter crimina publica ab Eccleſia fuiſſe ſtatutam.

Gregorius Magnus lib. XII. epiſt. XXXII. ad Felicem Epiſcopum Meſſa-
» næ. *Manifeſta quoque peccata non ſunt occulta correctione purganda: ſed*
» *palam ſunt arguendi, qui palam nocent*, ut dum aperta objurgatione ſa-
» nantur ii qui eos imitando deliquerant, corrigantur. Dum enim unus
» corripitur, plurimi emendantur. Et melius eſt ut pro multorum ſalute,
» unus condemnetur, quàm per unius licentiam multi periclitentur.

Iſidorus Hiſpalenſis in regulis Monachorum cap. XV. *Peccatum palàm*
» *commiſſum, palàm eſt arguendum*, & dum manifeſtè peccans emendatur,
» ii qui eum in malo imitati ſunt, corrigantur.
» Eligius Noviomenſis Epiſcopus in homilia XVI. Duos prætereà, fra-
» tres mei, alloquimur: quos *publica actio criminalis, publicam coëgit*
» *agere pœnitentiam.* Cùm iidem patres, ut ſuprà oſtendimus, affirment morem fuiſſe Eccleſiæ de peccatis occultis ſecretò pœnitendi, non poſſunt hanc publicæ pœnitentiæ rationem referre; quin manifeſtè declarent, pro publicis tantùm criminibus publicam pœnitentiam ab Eccleſia fuiſſe ſtatutam.

Sed ſi Patres affirment pœnitentiam publicam pro publicis tantùm criminibus ab Eccleſia fuiſſe ſtatutam: ſi Patres teſtentur de peccatis occultis morem Eccleſiæ fuiſſe ſecretò pœnitendi; ſi denique Patres planè negent morem fuiſſe Eccleſiæ decreto ſancitum publicè de peccatis occultis pœnitendi: mirum quomodo J. Morinus dicere potuit, Theodorum primum eſſe, qui apertè morem ſuſtulit publicè de criminibus occultis pœnitendi; hujuſque moris antiqui tot eſſe argumenta, quot ferè canones ante mille annos in criminum reos conditi. Quod ut probet tria præſertim adhibet argumenta, quæ nunc examinanda, ſuoque momento ponderanda ſunt.

CAPUT IV.

Primum argumentum I. Morini proponitur, & refellitur.

IOannes Morinus vir eruditiſſimus, ad probandum criminum occultorum capitalium confeſſione ſacerdoti ſecretò factâ, pœnitentiam ſecundum canones publicè actam fuiſſe, hoc primum proponit argumentum.
» lib. V. de adminiſtratione ſacramenti pœnitentiæ cap. IX. Tot ſunt, in-
» quit, hujus antiquæ praxis argumenta, quot ferè canones antè mille an-
» nos in criminum reos conditi. Quid eſt enim aliud, imò quid aliud ani-
» mo fingi poteſt, quàm pœnitentia publica, cum edicunt canones, qui
» homicidium perpetraverit, qui fornicationem, qui adulterium, qui ince-

ſtum, qui magos & incantatores conſuluerit, &c. in auditione perſeveret tot annis, in ſubſtratione tot annis; in conſiſtentia tot annis: deinde boni, perfecti, communionis ſit particeps? his enim & aliis nominibus reconciliatio cum Deo, & Eccleſia ab antiquis vocari ſolet. Excipiet forſan aliquis negari nullo modo poſſe pœnas iſtas publicas eſſe: Quis enim ſui compos hoc diffiteri poſſet? ſed de peccatis publicis tantùm eſſe intelligendas. Qui ſic excipit tria velim conſideret. Primum eſt quod rectè etiam adnotavit Albaſpinæus Epiſcopus Aurelianenſis in can. XXXII. Concil. Carthag. III. nullum iſtorum canonum diſtinguere inter crimen publicum & occultum. Cujus fornicatio eſt publica ſtabit inter audientes, &c. ſed abſolutè, qui fornicatus fuerit, qui homicidium perpetraverit. Diſtinguunt ſæpe canones homicidium ultrò factum, aut caſu; fornicationem ab adulterio; adulterium naturæ ab humano; inceſtus varias ſpecies, & unicuique convenientes pœnas, ſed ſemper publicas imponunt. At nunquam leges, ſi crimen iſtud eſt publicum, ita punietur; hoc verò modo ſi occultum.

RESP.

Sed nonne apertè diſtinguunt Patres inter crimina publica & occulta; & pœnitentiam quæ utriſque competit, publicis publicam, occultis ſecretam? Quoties negant morem Eccleſiæ fuiſſe de peccatis occultis publicè pœnitendi, ſicut in primo capite oſtendimus: Quoties affirmant morem Eccleſiæ fuiſſe de criminibus occultis ſecretò pœnitendi, ſicut in ſecundo capite declaravimus: Quoties denique aſſerunt pœnitentiam publicam pro publicis tantùm criminibus ab Eccleſia fuiſſe ſtatutam, ſicut in tertio capite probavimus. Quid aliud eſt diſtinguere? quàm cùm S. Auguſtinus v. g. dicit in ſermone XV. de verbis Domini: Certè ſi quis, quod ſolum eſt verum, diſtinguit tempora, & ſolvit quæſtionem, verum eſt. Si peccatum in ſecreto eſt, in ſecreto corripe. Si peccatum publicum eſt & apertum, publicè corripe. &c. Et in ſermone ſequenti: Ergo ipſa corripienda ſunt coram omnibus, quæ peccantur coram omnibus. Ipſa verò corripienda ſunt ſecretius, quæ peccantur ſecretius. Manifeſtiornè diſtinctio afferri poteſt? quàm quæ allata eſt à patribus concilii Neocæſarienſis, qui crimen adulterii in corde commiſſum nullo publicæ pœnitentiæ genere puniendum eſſe decernunt: & à Patribus Concilii Vaſenſis II. qui prohibent can. VIII. ne quis Epiſcopus, cui crimen occultum detectum eſt, reum ab Eccleſia ejiciat, & publicè puniat, ſed ſecretis, ut aiunt Patres, correptionibus elaboret. Manifeſtè quoque diſtinguunt Patres Concilii Carthaginenſis tertii can. III. cujus difficultatem J. Morinus perſpiciens, eam ita ſibi proponit diſſolvendam.

Statim, inquit J. Morinus, forſan objiciet lector can. III. Concilii Carthag. III. Cujuſcunque pœnitentis publicum & vulgatiſſimum crimen eſt, quod univerſa Eccleſia noverit, ante abſidem manus ei imponatur.

» Diverſa quædam eſt lectio in iſto canone, ſed ad rem nihil facit. Verùm » ut bene animadvertit laudatus a nobis capite præcedente, Dionyſius Pe- » tavius validum ex hoc canone cum præcedente comparato pro ſententia » noſtra colligitur argumentum. Præcedit enim, presbyter inconſulto Epiſ- » copo non reconciliet pœnitentem niſi abſente Epiſcopo, & neceſſitate » cogente. Poſtea ſequitur, cujuſcumque autem pœnitentis publicum, &c. » Evidentiſſimè duas pœnitentium publicorum ſpecies conſtituit. Unam » quorum crimen eſt publicum, Alteram quorum crimen non eſt publicum, » hoc eſt occultum.

Verùm ſi his ſic inter ſe comparatis, Canon duas pœnitentium publicorum conſtituat ſpecies, unam quorum crimen eſt publicum, alteram, quorum crimen non eſt publicum, hoc eſt, occultum; neceſſariò inde ſequitur, cujuſcunque pœnitentis crimen eſt publicum & vulgatiſſimum, illum inconſulto Epiſcopo non poſſe à Presbytero reconciliari abſente Epiſcopo & neceſſitate cogente. Quod repugnat diſciplinæ Africanæ, etiam temporibus S. Cypriani, qui in epiſtola XII. edit. Rigalt. ad Clerum ſcribit, ne vacui exeant lapſi, id eſt qui quidem idololatriæ crimine totam Eccleſiam » adverſum ſe commoverant: Si incommodo, inquit, aliquo, & infirmi- » tatis periculo occupati fuerint, non expectatâ præſentiâ noſtrâ apud preſ- » byterum quemque præſentem: vel ſi presbyter repertus non fuerit, & » urgere exitus cœperit, apud diaconum quoque exomologeſim facere de- » licti ſui poſſint; ut manu eis in pœnitentiâ impoſitâ veniant ad Dominum » cum pace. Deinceps ſancitum eſt pluribus canonibus, ne quis vacuus è vitâ exeat. Quapropter à vero ſenſu multum abhorret J. Morini expoſitio. Verus igitur ac genuinus ſenſus hujuſce canonis ſic facilè intelligi poteſt, ut Presbyter, inconſulto Epiſcopo non reconciliet pœnitentem, niſi abſente Epiſcopo, & neceſſitate cogente: cujuſcumque autem pœnitentis publicum crimen eſt, extra neceſſitatis caſum ante abſidem manus imponi debeat. Atque hunc ſenſum certiſſimum eſſe demonſtrat pœnitentiale Theodori, in quo teſtatur apud Romanos reconciliationem pœnitentium fieri intra abſidem, in cœnâ Domini tantum ab Epiſcopo, & conſummatâ pœnitentiâ, & ſi Epiſcopo difficile ſit, Presbytero poſſe neceſſitatis causâ præbere poteſtatem, ut impleat. Eadem teſtantur Halitgarius in præfatione ad pœnitentiale Romanum, Regino lib. 1. de Eccleſiaſticis diſciplinis, cap. CCXCVI. Cùm igitur quorumlibet publicè pœnitentiû apud Romanos extra neceſſitatis caſum reconciliatio fiat intra abſidem: cumque Patres Concilii Carthaginenſis III. aſſerant hujuſce reconciliationis publicæ rationem eſſe crimen publicum, liquet pœnitentiam publicam nonniſi ob publica crimina ab Eccleſia fuiſſe impoſitam, atque idcircò illa crimina publica diſtinxiſſe ab occultis, pro quibus omnes Patres unanimi conſenſu cenſuerunt pœnitentiam ſecretò factam ſufficere.

V. Supra Hilarii Ep. P. ct. teſtimonium &c.

Hic eſt ordo charitatis continendæ, quem Deus erga populum Iſraël tenuit: quem Chriſtus in Evangelio præcepit, & tota Patrum traditio comprobavit. Hæc eſt denique lex æquitatis publicæ, & juris commu-

Digitized by Google

nis ab omnibus ſapientibus laudati, ut ſolvatur quiſque eo modo quo funibus peccatorum ſuorum colligatur.

CAPUT V.

Secundum argumentum refellitur: & oſtenditur, licet ferè omnes antiqui canones intelligendi ſint de criminibus publicis, non tamen rectè à J. Morino concludi, inde ſequi Patres antiquos graviſſimorum animi morborum ſanationem prorſus neglexiſſe, cùm Patres antiqui præter pœnitentiam publicam, & qualem J. Morinus deſcribit, plura alia propoſuerint remedia, quæ ad ſanationem graviſſimorum animi morborum omninò ſufficere judicaverint.

SEcundum, inquit J. Morinus, ſequetur antiquos Patres de publicis criminibus curam tantùm geſſiſſe, de occultis verò nullam. Si enim canones illi de peccatis publicis intelligendi ſunt, de occultis homicidiis, fornicationibus, &c. nulli ampliùs ſuperſunt. Atqui crimina ejuſmodi ſecreta perpetrantur occultè, dum unum aut alterum publicè deprehenditur. Conſequeretur igitur graviſſimorum animi morborum ſanationem antiquos Patres prorſus neglexiſſe; quod cogitare nefas eſt, nedùm dicere. Si pœnitentiæ rationem tantùm haberent pœnarum, tolerari forſan hoc poſſet. Verùm cùm medicamentorum rationem potiſſimum induant, hancque rationem Patres præ ceteris ſpectent, dici non poteſt ulcerum tam peſtiferorum niſi publicè & in propatulo ſerperent, quod quàm rariſſimè, & vix contingit, curationem deſeruiſſe, ſuſque deque habuiſſe, & de levibus tantùm venialibuſque peccatis ſanandis curioſos fuiſſe & ſollicitos.

RESP.

Quamvis Patres antiqui in canonibus, qui ſunt leges publicæ judicii Eccleſiaſtici, non expoſuerint remedia, quibus crimina occulta diluuntur, non tamen inde rectè concluditur a J. Morino Patres antiquos graviſſimorum animi morborum ſanationem prorſus neglexiſſe. Etenim alibi præter pœnitentiam publicam, qualem J. Morinus deſcribit lib. IV. de adminiſtratione ſacramenti pœnitentiæ cap. VII. quamque ab ipſis etiam incunabulis Eccleſiæ conſtitutam eſſe dicit in afflictionibus & macerationibus corporis manifeſtis, Patres antiqui plura alia propoſuerunt remedia, quæ ad ſanationem graviſſimorum animi morborum omnino ſufficere judicaverunt. Ut igitur pateat Patres antiquos graviſſimorum animi morborum ſanationem non neglexiſſe, licet canones intelligendi ſint de criminibus publicis, imò de eorum ſanatione maximam geſſiſſe curam; hæc remedia proferemus ex antiquiſſimis Patribus.

Digitized by Google

Clemens Apoſtolorum diſcipulus in epiſtola, quam nomine Eccleſiæ Romanæ ad Corinthiorum Eccleſiam ſcripſit, & quam Euſebius lib. III. Eccleſ. hiſtor. cap. XVI. teſtatur ab omnibus unanimi cõſenſu receptam eſſe, ut pote eximiam ac prorſus admirabilem, hæc peccatorum remedia proponit. Divinæ gratiæ miniſtri ſpiritu ſancto afflati, de pœnitentia loquuti ſunt: ipſe etiam rerum omnium Dominus cum juramento de pœnitentia loquutus eſt. Vivo, inquit, Dominus, nolo mortem peccatoris, ſicut pœnitentiam addens inſuper dictum egregium; Reſipiſcite domus Iſraël ab iniquitate veſtra. Dic filiis populi mei, ſi peccata veſtra à terra ad cælum uſque multiplicentur, ſi cocco rubriora & cilicio nigriora fuerint, & ad me ex toto corde converſi fueritis & dixeritis, Pater, tanquam populo ſancto aurem vobis præbebo. Et in alio loco, ſic dicit, Lavamini, mundi eſtote, auferte mala ex animabus veſtris ab oculis meis, quieſcite à malitiis veſtris. Diſcite facere bonum, quærite judicium, liberate oppreſſum, judicate pupillo, & juſtificate viduam. Et venite colloquamur, dicit Dominus, & ſi fuerint peccata veſtra quaſi phœnicium, ſicut nivem dealbabo, & ſi fuerint ut coccinum, ſicut lanam dealbabo. Illa ſunt remedia pœnitentiæ, quæ divinæ gratiæ miniſtri Spiritu S. afflati docuerunt, atque ipſe rerum omnium Dominus. Quis porro negabit S. Clementem cenſuiſſe, hæc remedia ex ſcripturis petita ad remiſſionem criminum graviſſimorum ſufficere?

Remedia graviſſimorum animi morborum. Reſipiſcere ab iniquitate. Ex toto corde ad Deum converti. Facere bonum, id eſt, opera charitatis.

Juſtinus martyr in dialogo cum Tryphone Judæo. Non in hiſce beneplacitum conſiſtit Dei noſtri. Si quis in vobis eſt perjurus aut fraudator, peccare deſinat. Si quis fornicator, à malo reſipiſcat: & vera lætaque Dei ſabbata peregerit. Si quis impuras habet manus, lavet, & purus fuerit. S. Juſtinus videtur ſpectaſſe verba epiſtolæ D. Pauli ad Epheſios cap. IV. & V. ubi Apoſtolus proponit apta remedia pro quibuſlibet ferè peccatis, ſcilicet pro peccatis mendacii, loqui veritatem: propter quod deponentes mendacium, loquimini veritatem unuſquiſque cum proximo ſuo, quoniam ſumus invicem membra. Pro peccatis iracundiæ, & vindictæ, manſuetudinem, miſericordiam, ac remiſſionem debitorum: Iraſcimini & nolite peccare; ſol non occidat ſuper iracundiam veſtram. Nolite locum dare diabolo, & omnis amaritudo & ira, & indignatio, & clamor & blaſphemia tollatur à vobis cum omni malitia; eſtote autem invicem benigni, miſericordes, donantes invicem, ſicut & Deus in Chriſto donavit in vobis. Pro crimine furti, eleemoſynam: Qui furabatur jam non furetur: magis autem laboret, operando manibus ſuis quod bonum eſt, ut habeat, unde tribuat neceſſitatem patienti. Pro peccatis fornicationis, immunditiæ, aut avaritiæ: fornicatio autem & omnis immunditia, aut avaritia, ne nominetur in vobis, ſicut decet ſanctos. Deinde Apoſtolus deſcribit quinam ſint hujus pœnitentiæ fructus: Eratis enim aliquando tenebræ, nunc autem lux in Domino. Ut filii lucis ambulate; fructus enim lucis eſt in omni bonitate & juſtitia & veritate, probantes quod ſit beneplacitum Deo: & nolite communicare operibus

Remedia pro quibuſlibet ferè peccatis. Pro peccatis mendacii. Iracundiæ. Furti. Fornicationis, avaritiæ.

ribus infructuoſis tenebrarum, magis autem redarguite. Et in epiſtola ad Galatas cap. v. omnia vitia deſcribit, quibus ſtatim apta remedia ſubjicit: Manifeſta ſunt autem opera carnis, quæ ſunt fornicatio, immunditia, impudicitia, luxuria, idolorum ſervitus, veneficia, inimicitiæ, contentiones, æmulationes, iræ, rixæ, diſſentiones, ſectæ, invidiæ, homicidia, ebrietates, comeſſationes, & his ſimilia: quæ prædico vobis, ſicut prædixi, quoniam qui talia agunt, regnum Dei non poſſidebunt. Fructus autem ſpiritus eſt: charitas, gaudium, pax, patientia, benignitas, bonitas, longanimitas, manſuetudo, fides, modeſtia, continentia, caſtitas. Hæc ſunt remedia, quæ S. Juſtinus martyr poſt Apoſtolum repræſentat, cumque non alia recenſeat, cum D. Paulo illa ſufficere arbitratus eſt.

Et omnium aliorum crimina.

Clemens Alexandrinus pœdag. lib. 1. pœnitentiam agere, eſt à morbo convaleſcere.

Remedia peccatorum.

Lib. 1. Stromatum. Idem paſtor dicit etiam pœnitentiam eſſe magnam intelligentiam. Qui enim eorum quæ fecit ducitur pœnitentia, non amplius facit, vel dicit. &c. Eſt tarda cognitio pœnitentia, cognitio autem eſt prima à peccato ceſſatio. Fidei ergo officium quoque & opus eſt pœnitentia. Niſi enim crediderit eſſe peccatum quo prius tenebatur, non dimovebitur: & niſi crediderit, ei quidem qui delinquit, impendere ſupplicium: paratam autem eſſe ſalutem ei qui ex præceptis vivit, ne ſic quidem mutabitur.

Ceſſatio à peccato.

Fides.

Spes.

Lib. iv. Stromatum: Eſt autem *ſufficiens*, ut ego opinor, homini purgatio, perfecta firmaque ac ſtabilis pœnitentia, ſi cum de præcedentibus nos damnaverimus actionibus, anterius procedamus, poſtea intelligentes, & mentem immerſam amore Dei ſuſtollentes, tam ab iis quæ per ſenſum delectant, quàm prioribus delictis.

Charitas.

Lib. vi. Stromatum: Eſt duplex pœnitentia, una quidem communis, propterea quòd peccaverit: altera verò cum peccati naturam didicerit, perſuadet ab ipſo deſiſtere peccato per principalem rationem cui eſt conſequens ut non peccet.

Propoſitum conſtãs nunquã amplius peccandi.

Libr. Quis dives ſalvandus cap. xxxviii. Si quis illam in animum ſuſceperit, quamvis peccatis obnoxius ſit, quamvis multa illicita perpetraverit, adaucta charitate puraque adhibita reſipiſcentia, errata ſua corrigere poteſt. Pœnitentiæ definitiones quas S. Clemens Alexandrinus refert, maxima continet remedia, quæ ipſe affirmat ad remiſſionem peccatorum graviſſimorum ſufficere; inter quæ tamen nullo modo recenſetur illa pœnitentia publica quam J. Morinus dicit ab ipſis incunabulis Eccleſiæ conſtitutam fuiſſe in afflictionibus & macerationibus corporis manifeſtis.

Ex magna charitate procedens.

Tertullianus lib. ii. adverſus Marcionem cap. xxiv. Nam & in græco ſono, pœnitentiæ nomen, non ex delicti confeſſione, ſed ex animi demutatione compoſitum eſt, quam apud Deum pro rerum variantium ſeſe occurſu regi oſtendimus.

Perfecta animi demutatio.

Non ſolum ſuam miſeriam agnoſcere, ſed ad meliorem frugem ſe convertere. Firma profeſſio ulterius non peccandi. Purgare conſcientiam. Confeſſione ſecretò factâ.

» Origenes lib. III. contra Celſum : Neque injuſto docemus ſufficere ad
» hoc ut à Deo recipiatur, ſi agnoſcat ſuam miſeriam, ſed qui damnatâ præ-
» teritâ ſuâ vitâ, convertat ſe ad meliorem frugem, eum à Deo recipi.
» Lactantius lib. VI. de vero cultu cap. XIII. Agere autem pœniten-
» tiam, nihil aliud eſt, quam profiteri, & affirmare ſe ulterius non pecca-
» turum.
» In eodem libro cap. XXIV. Is enim quem facti ſui pœnitet, errorem ſuum
» priſtinum intelligit. Ideoque Græci melius, & ſignificantius *μετάνοιαν* di-
» cunt, quam nos poſſimus reſipiſcentiam dicere &c. Purgemus igitur con-
» ſcientiam quæ oculis Dei pervia eſt; & ut ait idem, ſemper ita vivamus,
» ut rationem reddendam nobis arbitremur; putemuſque nos momentis om-
» nibus non in aliquo, ut ille dixit, orbis terræ theatro ab hominibus, ſed
» deſuper ſpectari ab eo, qui & judex & teſtis idem futurus eſt, cui ratio-
» nem vitæ repoſcenti, actus ſuos inficiari non licebit. Ergo ſatius eſt aut
» effugere conſcientiam, aut nos ipſos ultro aperire animum, & perniciem
» reſciſſis vulneribus effundere; quibus nemo alius mederi poteſt, niſi ſolus
» ille qui greſſum claudis; viſum cæcis reddidit; maculata membra purgavit,
» mortuos excitavit.

Et morum emendatione.

» Libr. de ira Dei cap. XXI. Itaque Deus non thure, non hoſtia, non
» pretioſis muneribus, quæ omnia ſunt corruptibilia, ſed morum emenda-
» tione placatur; & qui peccare deſinit, iram Dei mortalem facit. Idcir-
» co enim non ad præſens noxium quemque punit, ut habeat homo reſipiſ-
» cendi & corrigendi ſui facultatem.
» Hilarius Pictavorum Epiſcopus in Pſalm. II. Sed hoc irrationabilis
» materiæ vas etiam ſub alia intelligentia ad rationem humanæ voluntatis
» aptatum eſt, homines quidem per hæc vitia ſua cadere : ſed ſi in *his pœni-*
» *terent, id eſt, ſi ab his deſinerent,* ſe quoque Deus in his quæ ad pœnam
» caſus hujus conſtituerit pœnitere.
» Athanaſius in epiſtola de interpretatione Pſalmorum. Sunt quidem &
» in aliis Scripturis ſententiæ prohibitoriæ, quæ mala vetant, ſed in hoc
» codice, quomodo abſtinendum ſit à malis, exprimitur : ut edictum alibi
» eſt, pœnitentiam agendam eſſe, *& pœnitentiam eſſe à peccatis deſinere.*

Quid his remediis ad remiſſionem criminum occultorum efficacius? Inter quæ cum nec Tertullianus, nec Origenes, nec Lactantius, nec Hilarius Pictavorum Epiſcopus, neque Athanaſius ullo modo commemorent pœnitentiam publicam; numquid idcirco dicendum eſt hos omnes Patres graviſſimorum animi morborum curam prorſus neglexiſſe? abſit verò talis injuria

Varia remedia pro variis morbis animi.

Baſilius in homilia in aliquot ſcripturæ locos, ubi de variis diſſerit vi-
» tiis. Hic caſtus eſt, ille libidinoſus. Utrum horum ditior : qui caſtita-
» tem ſervat, an qui pecuniam ex injuria poſſidet? certè qui caſtus. Hu-
» jus memoria ſempiterna : illius fragiles ſunt divitiæ, hujus theſaurum fur
» nullus effodiet : illius divitiæ hodie florent, cras marceſcent. Igitur reſpi-
» ce æqualia ac plana, ſuum cuique tribuens honorem : pretioſiorem ratio-

nem habe, ut miſericordiam invenias. Dic age, eſt ne inter vos quiſquam inanis gloriæ cupidus, qui non ſit iracundus? cupidus es inanis gloriæ? non vides plana. Iracundus es? cum iracundo ne habites. Vides quomodo *per breviloquentiam vitia noſtra corrigantur &c.* Accipe remedium. Si accerſeris medicum, & videris apud eum varia pharmaca variis contenta tabellis, conſiderabis quid tuo morbo conveniat. Non enim qui pede offendit, quærit oculi curationem: Sed qui oculum habet affectum, commodam opem quærit oculo. Itaque *quiſque ſibi ex ſcripturis morbo ſuo* convenientia ſumat. Iracundus es? cohibe iram. Vir iracundus, inquit, turpis eſt, diſce ex hac ſcriptura.

Ex ſcripturis petita.

Gregorius Nazianzenus in oratione xv. Alius noſtrum pauperem oppreſſit, ac terræ partem ipſi abſtraxit, maléque vel per fraudem, vel per vim terminum tranſgreſſus eſt, & agrum agro copulavit, ut proximo aliquid eriperet &c. Alius uſuris & fœnoribus terram contaminavit &c. Alius reti ſuo multa colligenti immolavit, ac pauperis prædam domum habens, aut Dei memoriam ex animo aut certè illius malè recordatus eſt &c. Et poſt alia patrem ſic hortatur, ut ſuum populum hæc doceat remedia, quibus illorum vitia curentur, & ira Dei reprimatur. His populum tuum inſtrue. Doce panem eſurienti frangere, & pauperes tecto carentes colligere, & nuditatem tegere, nec conſanguineos deſpicere: ac nunc præſertim, ut bonum noſtrum ex penuria ſit, non ex abundantia: quo munere Deus magis quàm multis oblationibus, magniſque largitionibus delectatur.

Gregorius Nyſſenus in oratione adverſus eos qui alios acerbius condemnant. Tu verò, cujus animus æger eſt, cur non ad medicum properas? cur non ei confitendo morbum oſtendis tuum? Quid pateris, ut depaſcatur, ut ſuperet, ut inflammetur? Tandem aliquando reſipiſce, ac teipſum noſce. Deum offendiſti, procreatorem tuum irritaſti, eum, qui & præſentis vitæ poteſtatem habet, & futuræ Dominus ac judex eſt. Deliciis indulgens in morbum delapſus es: eum inedia & jejuniis cura. Animus laborat incontinentiâ: adhibetur temperantiæ medicamentum. Multiplici, ac nimia pecuniæ cupiditate in febrim incidiſti: liberalitate & eleemoſyna depellatur. Hæc enim eſt nimium expletæ mentis curatio. Læſit te rerum alienarum direptio: quæ rapta ſunt ad proprios dominos revertantur: mendacium te proxime duxit ad interitum, perdes enim, inquit, omnes qui loquuntur mendacium, veritatis ſtudio periculum evitetur &c. Quid enim aliud eſt pœnitentia, niſi diſſolutio & everſio præteritorum, quæ vel re, vel cogitatione ſunt admiſſa? &c. Oſtende mihi amaras atque uberes lacrymas tuas, ut meas ego quoque commiſceam. Afflictionis participem & ſocium ſume ſacerdotem, ut patrem. &c. Quamobrem major tibi eo fiducia ſit qui te in Deo genuit, quàm in illis, à quibus corpore procreatus es. Audacter oſtende illi quæ ſunt recondita. Animi arcana tanquam occulta vulnera medico retege. Ipſe & honoris, & valetudinis tuæ rationem habebit.

Salubria remedia.

Multùm commendatur confeſſio ſecreto facta. In qua & honoris & valetudinis ratio habetur.

Digitized by Google

» Ambroſius lib. II. epiſtola VII. Simul enim ac confeſſus quis fuerit, » abſolvitur. Denique dixi, pronunciabo adverſum me injuſtitiam meam » Domino, & tu remiſiſti impietatem cordis mei. Mora ergo abſolutionis » in confitendo eſt, confeſſionem ſequitur peccatorum remiſſio. Multiplices animi morbos graviſſimos patres deſcribunt, iiſque multiplicia ſubjiciunt remedia, quæ ad ſalutem aptiſſima eſſe profitentur. Si verò canones publicæ pœnitentiæ intelligendi ſint tam de crimninibus occultis quàm de publicis, cur patres ſaluberrimi remedii non meminerint? Cogitare nefas eſt, nedum dicere illud à patribus tantâ cum incuria fuiſſe prætermiſſum.

Quàm efficax vera cõfeſſio.

Joannes Chryſoſtomus in homilia in pſalmum I. Jacobo Billio Abbate interprete. » Totam tuam juventutem probro ac dedecore affeciſti, totum vitæ tuæ tempus perdidiſti? prius ſcortator eras, poſtea rapuiſti ac » ſuum alteri detraxiſti, perjurio & blaſphemia te obſtrinxiſti. Quænam » tibi ſalutis ſpes eſſe queat? actum eſt de te. Nihil aliud ſupereſt, quàm » ut præſentis ſaltem vitæ voluptatibus fruaris. Hæc diaboli verba ſunt. » At mea contraria: Periiſti: at ſalutem conſequi potes. Stupris ac libidini operam dediſti? at pudicitiæ ſtudere potes. Adulterium admiſiſti? at » hac labe liberari potes. Cecidiſti? at reſurgere potes. Exigua pœnitentia tua eſt? at magna Domini benignitas. Cædem perpetraſti, ſuum alteri ademiſti? at meliorem mentem indue. Adulterio te devinxiſti? at ab » eo te remove. Sauciatus es? at medicinam adhibe &c. Diurno tempore id » faciendi ſpacium non habes, verùm & præfectorum metus, & ſodalium » colloquia, & negotiorum cura, & alendæ prolis ſtudium, & uxoris pro» curatio, & parandæ menſæ ſollicitudo, ac denique infinitæ res animum » tuum diſtrahunt. Si in lecto ſis, atque in peccatorum tuorum memoriam » venias, collacryma: atque hac ratione ea delere potes. Deum tuum roga atque obſecra: ſicque corpus ſomno trade, poſteaquam prius peccata tua confeſſus fueris ac rationes à teipſo exegeris. Sic enim requiem » à Deo obtinebis. Moleſtumne ac grave eſt in lecto jacentem quotidiana » peccata ſupputare? Cùm autem ea ſupputas, animum tuum ſuſpende, » ipſum expoli, ipſum gehennæ metu aperi; ipſi ſectionem, quæ dolore » careat, adhibe. Horrendum tribunal tibi effice, animum leniorem redde: » ut poſtero die ad perpetranda peccata cunctantius accedas.

Remedia pro quibuſlibet criminibus graviſſimis, ſed occultis.

Lacrimæ pœnitentiæ ſecreto factæ.

» J. Chryſoſtomus in homilia X. in caput Matthæi. II. Pœnitentiam » verò dico, non ſolùm ut à malis prioribus deſiſtamus, verum etiam ut » bonorum operum fructibus impleamur. Facite, inquit, fructus dignos pœnitentiæ. Quo autem modo fructificare poterimus? Si utique peccatis » adverſa faciamus. V. g. aliena rapuiſti? incipe donare jam propria. Longo es tempore fornicatus? à legitimo quoque uſu ſuſpendere conjugii, ac » perpetuam continentiam ſæpius paucorum dierum caſtitate meditare. » Injuriam vel opere cuiquam, vel ſermone feciſti? refer benedictionis verba conviciis: & percutientes te, nunc officiis, tunc etiam beneficiis » placare contende. Neque enim vulnerato ſufficit ad ſalutem tantummo-

Varia remedia.

Pro crimine furti Fornicationis. &c.

do ſpicula de corpore evellere, ſed etiam remedia adhibere vulneribus. Deliciis antè & temulentia diffluebas? jejunio & aquæ potu utrumque compenſa, ut famem ſuperes imminentem. Vidiſti impudicis alienum decorem oculis? feminam jam omnino non videas, majore tactus cautione poſt vulnera. Declina, inquit, à malo, & fac bonum.

Quando neceſſaria ſint jejunia.

In homilia XLIII. in cap. Matth. XII. Quis ab avaritiæ crimine mundus? Noli enim mihi dicere, moderate aliena atque timide tetigiſſe: ſed cogita propter hanc rem parvam quam rapuiſti, non parvo te cruciatu in æternum eſſe puniendum. Id inquam cogita & pœnitentiam age. Quis à convicio atque obtrectatione liber eſt? Id autem proculdubio intrudit. Quis *occulte* proximum calumniatus non eſt? Quis ſuperbia non intumuit? hic etiam ceteris omnibus immundior eſt. Quis oculos à laſcivo aſpectu continuit? Quem adulterio deliquiſſe non dubitamus? Quis fruſtra fratri ſuo iratus, non conſilio atque reatui reus eſt? Quis non perjuravit? De quo quid poſſum dicere videtis, cùm qui juravit, eum à malo eſſe contendam. Quis aliquando mammonæ ſervus non fuit? qui profectò fecit ne Chriſti ſervus ſit. Poſſum & alia his majora recenſere: ſed hæc ſufficientia duxi ad compunctionem vos inducere, niſi quis valde lapideus aut inſenſatus eſt. Nam ſi ſingula iſtorum ad gehennam deducunt, quid futurum eſt, ſi ad unum omnia coeunt? *Quomodo igitur, inquies, ſalvari poſſibile eſt?* ſi oppoſita his adhibeamus remedia, miſericordiam in pauperes, orationem, compunctionem, pœnitentiam, humilitatem, contritum cor apprimè, contemptum rerum præſentium. Mille namque ſalutis vias Deus nobis propoſuit, dummodo diligenter velimus attendere. Animadvertamus igitur nos, ita medicinam recipiamus, ut per omnia remedia vulnera noſtra curemus, & maculas detergamus: *quod facilè facimus*, ſi miſericordes ſimus, ſi his qui nobis dolori fuerant, nequaquam iraſcimur: ſi gratias in omnibus Deo agimus, jejunantes pro viribus, orantes aſſiduè, amicos nobis ex mammona iniquitatis facientes. Sic enim certè poterimus & delictorum veniam impetrare, & futura bona conſequi.

Criminibus occultis.

Oppoſita remedia.

In homilia de beato Philogonio: Proinde & tu nunc quibus rebus provocaſti Deum, per has rurſum facito propitium. Provocaſti illum pecuniarum rapina, per eaſdem illum reconcilia, quumque & rapta reſtitueris illis, quos injuria affeceras, & alia inſuper addideris, dicito juxta Zachæum: Reddo omnium, quæ rapui, quadruplum. Provocaſti lingua & maledicentia, multis contumelia affectis, viciſſim linguâ placato, puras emittens preces, benedicens maledicentibus, laudans vituperantes, gratias agens injuriam inferentibus. *Hæc non egent multis diebus anniſve, ſed ſolo animi propoſito, & unico die perficiuntur.* Diſcede à malo, virtutem amplectere, deſiſte à pravitate: *pollicere te poſthac iſta non commiſſurum, & iſtud ſufficiet ad excuſationem. Ego teſtificor ac fideiubeo fore, ut ſi noſtrûm quiſque qui peccatis obnoxii ſumus recedens à priſtinis malis, ex animo vereque promittat Deo ſe poſtea nun-*

Hæc non egent multis diebus.

Nec multo labore.

quam ad illa rediturum, nihil aliud Deus requirit ad excuſationem majorem, &c. Non neceſſe eſt trajicere mare, neque montium ſuperare cacumina, ſed domi ſedens, ſi pietatem exhibeas, multamque cordis compunctionem, potes illum videre, potes totam diruere maceriem, totum ſubmovere obſtaculum, abbreviare viæ longitudinem. J. Chryſoſtomus ſingulis criminibus ſingula appoſuit & idonea remedia, in quibus nullatenus pœnitentia publica deprehenditur. Si loquatur de Lacrymis, ſtatim animadvertit ſe intelligere lacrymas quæ in ſecreto domus ſuæ, & per noctem in lecto effuſæ crimina delent: ſi verò de jejuniis, non ea pro quibuſlibet criminibus, ſicut in pœnitentia publica, mandari declarat, ſed tantùm pro deliciarum & temulentiæ peccatis. Affirmat denique remedia à ſe propoſita, licet non multis diebus, nec multo labore egeant, ea tamen omnino ſufficere, nec aliquid aliud Deum requirere ad excuſationem majorem.

Vera confeſſione.

Hieronymus in epiſtola ad Ruſticum. Quando ingreſſus eſt David ad Bethſabee uxorem Vriæ Ethei, & à Nathan prophetante correptus, reſpondit: *Peccavi. Statimque meruit audire: Et Dominus abs te abſtulit peccatum.* &c. Juſtitia juſti non liberabit eum in quacunque die peccaverit. Et iniquitas iniqui non nocebit ei quacunque die converſus fuerit: unumquemque judicat ſicut invenerit. Nec præterita conſiderat, ſed præſentia: ſi tamen vetera crimina *novella converſione mutentur.*

Perfecta converſione.

Melioris vitæ converſatione crimina purgantur.

Sulpitius Severus in hiſtoria D. Martini cap. XXIV. Teſtabantur etiam aliqui ex fratribus, audiſſe ſe dæmonem protervis Martinum vocibus increpantem, cur intra monaſterium aliquos ex fratribus, qui olim baptiſmum diverſis erroribus perdidiſſent, converſos poſtea recepiſſet, exponentem crimina ſingulorum: Martinum diabolo repugnantem reſpondiſſe conſtanter *antiqua delicta melioris vitæ converſatione purgari*: & per miſericordiam Domini *abſolvendos eſſe peccatis qui peccare deſinerent.*

A remediis criminum publicorum.

Hæc remedia diſtinguntur.

Auguſtinus lib. de fide & operibus cap. XXVI. Sed niſi eſſent quædam ita gravia ut etiam excommunicatione plectenda ſint, non diceret Apoſtolus congregatis vobis & meo ſpiritu tradere ejuſmodi hominem ſatanæ in interitum carnis, ut ſpiritus ſalvus ſit in die Domini Jeſu. Unde etiam dicit: Ne lugeam multos ex iis qui ante peccaverunt, & non egerunt pœnitentiam ſuper immunditiam & fornicationem quam geſſerunt. Item niſi eſſent quædam non ea humilitate pœnitentiæ ſananda, qualis in Eccleſia datur eis qui propriè pœnitentes vocantur, ſed quibuſdam correptionum medicamentis, non diceret ipſe Dominus, corripe eum inter te & ipſum ſolum: & ſi te audierit lucratus es fratrem tuum. Poſtremo niſi eſſent quædam ſine quibus hæc vita non agitur, non quotidianam medelam poneret in oratione quam docuit, &c. Sic remedia criminum occultorum non minùs apertè diſtinguuntur à remediis criminum publicorum, id eſt publici ſcandali, ſicut eodem modo declarat S. Auguſtinus in homilia ultima ex l. cap. XI. quàm à remediis peccatorum, ſine qui-

Digitized by Google

bus hæc vita non agitur, & quorum quotidiana medela eſt. "

Caſſianus in collat. xx. de fine pœnitentiæ cap. x. Noverimus autem nos, ut ſuperiùs diximus, tunc demùm pro præteritis ſatisfeciſſe peccatis, cùm ipſi motus atque affectus per quos pœnitenda commiſimus, fuerint de noſtris cordibus amputati. Quod tamen nullus obtinere poſſe ſe credat, qui non prius ipſas cauſas atque materias, pro quibus in illa collapſus eſt crimina, omni ſpiritus fervore ſucciderit; ut verbi gratiâ, ſi in fornicationem vel adulterium perniciosâ fœminarum familiaritate collapſus eſt, ſumma feſtinatione etiam ipſum earum devitet aſpectum: aut certè, ſi per abundantiam vini epularumque eſt nimietate ſuccenſus, illicientium ciborum crapulam ſummâ diſtrictione caſtiget. Et rurſum, ſi in perjurium, aut furtum, aut homicidium, aut blaſphemiam, pecuniarum deſiderio atque amore correptus incurrit, materiam avaritiæ illectricem ſuæ deceptionis abſcidat. Si in iracundiæ vitium, ſuperbiæ paſſione propellitur, arrogantiæ ipſius fomitem ſummâ humilitatis virtute convellat. &c.

Contraria contrariis curantur.

Fulgentius de incarnatione & gratia Chriſti. Nempe cum ipſe ſalvator noſter propriæ vocis imperio humanam convenit voluntatem dicens: pœnitemini, & credite evangelio, claret tamen quia ut homo in Deum credere incipiat, à Deo accipit pœnitentiam ad vitam, ita ut omnino credere non poſſit, niſi pœnitentiam dono Dei miſerantis acceperit: *quæ eſt autem pœnitentia hominis, niſi mutatio voluntatis?*

Remiſſio peccatorum occultorum.

Libr. I. de remiſſione peccatorum cap. XIII. De illis verò qui intra Eccleſiam poſiti malis operibus inſiſtebant, ſic ad Corinthios loquitur medicinali ſermone: Ne iterum cum venero, humiliet me Deus apud vos, & lugeam multos ex his qui ante peccaverunt, & non egerunt pœnitentiam, ſuper immunditia & fornicatione & impudicitia quam geſſerunt. Nec iſtos utique triſtis doleret, nec illos humiliatus doleret Apoſtolus, ſi impiis & iniquis exacerbantibus divinam juſtitiam ſine converſione cordis remiſſionem peccatorum crederet conferendam: *cum ipſa remiſſio peccatorum nonniſi in converſione cordis ſortiatur effectum.*

In converſione cordis ſortitur effectum.

Cap. XV. Ipſius enim remiſſionis effectus in cordis converſione conſiſtit. &c. Quid eſt enim aliud remiſſionem peccatorum conſequi, niſi à peccati dominatione liberari.

In quo conſiſtit iſta cordis converſio.

Cap. XVI. Converſio autem tunc vera probatur in homine, ſi impietas, & iniquitas pellatur ex corde. Et cap. XVII. Converſio ergo illa in conſpectu Dei grata eſt & accepta, in qua ſimul & fidei rectitudo ſervatur, & vitæ bonæ regula cuſtoditur: id eſt, ut principaliter recta teneatur de Deo ſententia, deinde proximo exhibeatur charitas divinitus imperata.

Eligius Noviomenſis Epiſcopus in homilia II. Si verò tam pauper quis fuerit ut veram innocentiam cum ſimplicitate puri cordis & caſtitate mentis & corporis offerre nequiverit: duos ſaltem turtures, vel duos pullos columbæ; id eſt, duo compunctionis genera, timoris ſcilicet & amoris

Duo genera com-

punctionis quæ ad remiſſionem criminum occultorum ſufficiunt.

offerat. Unum videlicet, hoc eſt, timorem pro peccato, pro quo timet & gemit ne ad tartari ſupplicia pertrahatur. Poſtea verò alterum in holocauſtum; id eſt amorem pro cœleſtis patriæ deſiderio, cùm jam veniam præſumens non gemit pro ſupplicio, ſed quia tamdiu à deſiderato Dei regno differtur.

In homilia XI. Duo ſunt namque genera compunctionis, quibus ſemetipſos Domino in arca cordis immolant fideles; nimirum ſi Dominum ſentiens anima prius timore compungitur; vel poſtea, amore. Prius ſeſe in lachrymis afficit; quia dum peccatorum ſuorum recordatur, pro his perpeti ſupplicia æterna pertimeſcit: at dum longa mortis anxietate fuerit formido conſumpta; quædam jam de præſumptione veniæ ſecuritas naſcitur, & in amorem cœleſtium gaudiorum animus inflammatur: & qui prius flebat ne duceretur ad ſuplicium; poſtmodum flere amariſſimè incipit, quia differtur à regno. Contemplatur etenim mens, qui ſint illi Angelorum chori; quæ ipſa ſocietas beatorum ſpirituum, quæ majeſtas æternæ viſionis Dei, & ampliùs plangit quia bonis perennibus deeſt, quàm flebat priùs cùm mala æterna metuebat. Utramque autem noſtræ compunctionis hoſtiam gratanter accipere dignetur Chriſtus; qui & pro peccato lugentibus atque afflictis clementer errata dimittit, & pro ingreſſu vitæ cœleſtis tota mẽtis intentione ferventes, æterna ſuæ viſionis luce reficit Jeſus Chriſtus Dominus noſter. Et ne quis exiſtimet duo hæc genera compunctionis pœnitentiam publicam complecti, ipſemet poſtea convertens ſermonem ad publicos pœnitentes, teſtatur ſe de alia prius locutum eſſe, id eſt, de pœnitentiâ ſecretâ, quæ criminibus occultis competit.

Timor gehennæ.

Et amor bonorum cœleſtium.

Ex his omnibus manifeſtum eſt, præter pœnitentiam publicam, qualem J. Morinus deſcribit, Patres antiquos docuiſſe tot alia eſſe remedia, quæ ad ſanationem graviſſimorum animi morborum omnino ſufficiunt, quot ſunt crimina occulta. Unde ſatis mirari non poſſum, quòd vir ſummæ eruditionis affirmaverit, ſi canones intelligendi ſint de criminibus publicis, inde ſequi Patres antiquos graviſſimorum animi morborum ſanationem prorſus neglexiſſe, & de criminibus occultis nullam curam geſſiſſe. Non ſolùm enim hoc argumentum nimis probat de pœnitentia publica pro criminibus occultis, ſed etiam pro criminibus publicis, cùm Patres teſtentur antiquos canones pœnitentiæ publicæ non intelligendos eſſe de omnibus criminibus publicis, atque aliam fuiſſe pœnitentiam, quæ ad remiſſionem quorumdam criminum licet publicorum ſufficeret, ſicut in ſequenti capite demonſtramus.

Digitized by Google

CAPUT VI.

Idem argumentum I. Morini refellitur: demonſtratur Patres teſtari antiquos canones pœnitentiæ publicæ intelligendos non eſſe de omnibus criminibus publicis; atque aliam fuiſſe pœnitentiam quæ ad remiſſionem minorum criminum publicorum ſufficere arbitrarentur. Unde dignoſcitur quænam crimina publica, publicæ pœnitentiæ obnoxia fuerint.

ORigenes in commentariis in Matthæum edit. Huët tom. 1. pag. 334.
Quemadmodum igitur qui talia de omni peccato dicta eſſe pronun- «
tiat, ſive peccatum illud cædes ſit, ſive veneficium, ſive puerorum ſtu- «
prum, ſive aliquid ſimile, occaſionem præbuit cur ſummam Chriſti pa- «
tientiam & procraſtinationem animo comprehenderemus; ita è contrario «
qui fratrem ab eo qui frater appellatur diſtinxit, cum qui propter mini- «
ma peccata quibus obnoxii ſunt homines, poſt reprehenſionem non fuerit «
converſus, habendum eſſe docet pro ethnico & publicano, propter pecca- «
ta quæ non ad mortem, vel ut ea in Numeris lex appellat, mortifera non ſunt; «
quod utique nimis crudele videtur; nec enim facile quemquam reperiri «
poſſe arbitror, qui non ter ob idem noxæ genus fuerit objurgatus, ma- «
ledicti, v. g. quo maledici, vel qui ira excandeſcunt, propinquorum no- «
mini detrahunt; vel vinolentiæ; vel orationis mendacis & otioſæ, vel «
alterius cujuſpiam culpæ ex iis quæ multis inhærere ſolent. Secundùm «
Apoſtolum 1. ad Corinth. cap. VI. Neque molles, neque avari, neque
ebrioſi regnum Dei poſſidebunt, & tamen Origenes teſtatur morem non
fuiſſe Eccleſiæ, ut maledicos, nequidem eos, qui propinquorum nomi-
ni detrahebant, & ebrioſos publicâ pœnitentiâ puniret. Si quis objiciat
ab Origene hæc minima vocari, attendat Patres horum temporum non ali-
ter locutos eſſe. Quare apud S. Cyprianum Idololatriæ crimen ſummum
eſt delictum, graviſſimum & extremum: minora verò, adulterium & ho-
micidium.

Cyprianus in libro de Lapſis: Studebant augendo patrimonio ſinguli; & «
obliti quid credentes, aut ſub Apoſtolis antè feciſſent, aut ſemper facere «
deberent, inſatiabili cupiditatis ardore ampliandis facultatibus incuba- «
bant. Non in ſacerdotibus religio devota, non in miniſtris fides integra, «
non in operibus miſericordia, non in moribus diſciplina. Corrupta bar- «
ba in viris, in feminis forma fucata. Adulterati poſt Dei manus oculi, «
capilli mendacio colorati. Ad decipienda corda ſimplicium callidæ frau- «
des, circumveniendis fratribus ſubdolæ voluntates. Jungere cum infide- «
libus vinculum matrimonii, proſtituere gentilibus membra Chriſti: non «
jurare tantùm temerè, ſed adhuc etiam pejerare: præpoſitos ſuperbo tu- «
more contemnere, venenata ſibi ore maledicere, odiis pertinacibus in- «

» vicem diſſidere : Epiſcopi plurimi, quos & hortamento eſſe oportet cæ-
» teris & exemplo, divina procuratione contempta, procuratores rerum
» ſecularium fieri, derelicta cathedra, plebe deſerta, per alienas provin-
» cias oberrantes, negotiationis quæſtuoſæ nundinas aucupari. Eſurientes
» in Eccleſia fratribus non ſubvenire, habere argentum largiter velle, fun-
» dos inſidioſis fraudibus rapere, uſuris multiplicantibus fœnus augere. Ex
his verbis S. Cypriani colligo cum S. Auguſtino lib. III. contra epiſtolam Parmeniani, avaros & rapaces qui regnum Dei non poſſidebunt, temporibus S. Cypriani in Eccleſia fuiſſe toleratos; nec morem Eccleſiæ fuiſſe, ut crimina avaritiæ, furti, & perjurii publicâ pœnitentiâ plecterentur.

„ Pacianus in parænesi ad pœnitentiam : Primùm igitur, ut diximus, de
„ modo peccantium retractemus, sedulò requirentes quæ ſint peccata, quæ
„ crimina : ne quis exiſtimet, propter innumera delicta quorum fraudibus
„ nullus immunis eſt, me, omne hominum genus, indiſcretâ pœnitendi lege
„ conſtringere. Apud Moſen & veteres, minimi quoque peccati, & quadran-
„ tis unius, ut ita dixerim, rei, in eodem infelicitatis æſtuario volutati
„ ſunt. Et qui ſabbata violaverant, & qui immunda contigerant, & qui
„ eſcarum vetita præſumpſerant, & qui murmurabant, & qui pariete cor-
„ rupto, & qui veſte maculatâ templum ſummi regis intraverant, & qui
„ altarium his obnoxii manu contrectaverant, aut veſte contigerant, ut in
„ cœlum aſcendere citiùs fuerit, aut emori ſatiùs quàm hæc univerſa ſerva-
„ re. His igitur nos omnibus multiſque præterea carnalibus vitiis, ut citius ad
„ deſtinata quiſque perveniat, ſanguis Domini liberavit redemptos à ſer-
„ vitute legis, & libertate fidei emancipatos. Ideoque Apoſtolus Paulus;
„ vos autem, inquit, in libertatem vocati eſtis. Hæc illa libertas, quòd
„ non omnibus adſtringimur, quibus veteres tenebantur; ſed donata ut ita
„ dixerim ſylva delictorum & remediorum indulgentia deſtinata in pauca
„ concluſi ſumus & neceſſaria; quæ & ſervare facillimum eſſet credentibus,
„ & cavere : ut meritiſſimo Tartarum non recuſaret qui tantæ donationi
„ ingratus, ne hæc quidem pauca ſervaſſet. Quæ ſint autem iſta, videa-
„ mus. Poſt Domini paſſionem, Apoſtoli tractatis omnibus atque diſcuſ-
„ ſis epiſtolam tradiderunt, his qui ex gentibus crediderant, perferendam.
„ Epiſtolæ ſententia hæc fuit : Apoſtoli & Preſbyteri fratres, his qui ſunt
„ Antiochiæ & Syriæ, & Cyliciæ fratribus qui ſunt ex gentibus ſalutem.
„ Quoniam audivimus quoſdam ex nobis exiiſſe, & conturbaſſe vos verbis.
„ Item infrà : viſum eſt enim ſancto Spiritui & nobis, nullum amplius im-
„ poni vobis pondus præterquam hæc : neceſſe eſt ut abſtineatis vos ab ido-
„ lothytis, & ſanguine, & fornicatione, à quibus obſervantes, bene agetis,
„ valete. Hæc eſt novi Teſtamenti tota concluſio. Deſpectus in multis Spiri-
„ tus ſanctus, hæc nobis, capitalis periculi conditione, legavit. Reliqua
„ peccata meliorum operum compenſatione curantur : hæc verò tria crimi-
„ na, ut Baſiliſci alicujus afflatus, ut veneni calix, ut letalis arundo, me-
„ tuenda ſunt : non enim vitare animam, ſed intercipere noverunt. Qua-

Digitized by Google

iræ tenacitas humanitate redimetur, convitium ſatisfactione penſabitur, triſtitia jucunditate, aſperitas lenitate, gravitate levitas, honeſtate perverſitas, & quæcumque, contrariis emendata proficiunt. Quid verò faciet contemptor Dei? Quid aget ſanguinarius? Quod remedium capiet fornicator? numquid aut placare Dominum deſertor ipſius poterit: aut conſervare ſanguinem ſuum, qui fudit alienum; aut redintegrare Dei templum, qui illud fornicando violavit? Iſta ſunt capitalia, fratres, iſta mortalia. &c. Accipite remedium ſi deſperare cœpiſtis; ſi miſeros vos agnoſcitis, ſi timetis. Multa ſunt in hoc teſtimonio maximè conſidederanda. I. Pacianus declarat à ſe requiri quænam ſint crimina publicâ pœnitentiâ plectenda, ne quis exiſtimet ſe velle omne genus humanum indiſcretâ lege pœnitendi conſtringere. II. Dicit fideles novæ legis ab antiqua lege ſervitutis liberatos ad pauca redactos eſſe & neceſſaria, quæ & ſervare facillimum eſſet & cavere. III. Iſta quæ caveri debent, ab Apoſtolis notata eſſe his verbis: Viſum eſt Spiritui ſancto & nobis, nullum amplius imponi vobis pondus præterquam hæc: neceſſe eſt ut abſtineatis vos ab idolothytis, & ſanguine, & fornicatione &c. IV. Hæc tria crimina vocari capitalia & mortalia, & ſola eſſe quæ pœnitentiæ publicæ remedio indigent. V. Reliqua peccata meliorum operum compenſatione curari. Non igitur rectè J. Morinus concludit, crimina de quibus intelligi non poſſunt antiqui canones pœnitentiæ, ab antiquis patribus prorſus neglecta fuiſſe.

Baſilius in epiſtola canonica ad Amphilochium can. xxx. De his qui rapiunt, canonem quidem antiquum non habemus, ſed propriam ſententiam proferimus, ut ipſi, & qui cum eis rapiunt, tribus annis ſint extra orationes. Cùm S. Baſilius declaret ſe primum eſſe, qui pœnitentiam publicam raptoribus indixerit, numquid idcirco Patres antiqui crimen raptus prorſus neglexerunt, & nullam de eo curam geſſerunt. Sed vide Origenis homiliam III. in Levitici caput vi. Ubi aſſerit omnes raptores ſive mulierum, ſive aliarum rerum non poſſe regnum Dei poſſidere, niſi de iis egerint pœnitentiam.

Baſilius in proœmio ad librum Ethicorum: Sine dubio peſſima nos decepit conſuetudo: ſine dubio magnorum in nobis malorum cauſa extitit perverſa hominum traditio, quæ videlicet ex peccatis partim declinarit, partim nullo diſcrimine adhibito ſuſceperit: & cum aliis vehementer ſe aſſimulet ſuccenſere, veluti homicidio, adulterio, & ceteris generis ejuſdem, alia ne ſimplici quidem increpatione digna judicet, veluti iracundiam, convitium, temulentiam, avaritiam, & ſi qua ſunt his ſimilia, adverſus quæ omnia alibi etiam is, ex cujus ore Chriſtus loquebatur, Paulus ſententiam extulit, cùm dixit, dignos morte eſſe qui talia agunt. Saltem conſuetudinis, quam improbat, ipſe teſtis eſt S. Baſilius. Utrum verò mos quem S. Pacianus teſtatur ex traditione Apoſtolorum deſcendiſſe, jure reprehendendus ſit, ſic exponit ipſius frater S. Gregorius Nyſſenus.

» Gregorius Nyſſenus in epiſtola canonica ad Letoium Epiſcopum: Re-
» ſtat adhæc ut iraſcentem animæ partem examinandam proponamus, quan-
» do lapſa à bono iræ uſu in peccatum ceciderit. Cùm autem multa ſint
» quæ per iram fiunt peccata, & omnis generis mala, placuit omnibus no-
» ſtris patribus, in aliis quidem non nimium ſubtiliter agere, nec nimium
» in eo ſtudii operæque ponere, ut omnia quæ ex ira naſcerentur delicta
» curarent; quamvis ſcriptura non ſolùm vulnus prohibeat, ſed etiam om-
» ne convicium vel maledictum, & ſi quid aliud ejuſmodi ira efficit: ſed
» ſolam cædis cautionem ſuis pœnis introduxerunt. &c. Altera autem ido-
» lolatriæ ſpecies, ſic enim divinus Apoſtolus avaritiam appellat, neſcio,
» quomodo abſque ulla pœnæ medela à patribus prætermiſſa ſit. Atqui
» hoc malum quidem videtur eſſe trium animi conſtitutionum affectio. &c.
» Et ut in univerſum dicam, hic morbus cum apoſtolica avaritiæ definitio-
» ne conſentit. Divinus enim Apoſtolus eam non ſolùm idololatriam, ſed
» etiam omnium malorum radicem pronuntiavit, &c. Sed de iis quidem,
» quoniam id à patribus prætermiſſum eſt, ſufficere exiſtimo publica doctri-
» næ ratione, ea quomodo fieri poteſt curare, veluti quoſdam morbos ex
» repletione ortos, inexplebilis avaritiæ affectiones, oratione purgantes.
» ſolum autem furtum, & ſepulcrorum effoſſionem, & ſacrilegium vitia
» exiſtimamus, quòd ſic à patrum conſequentia, hæc nobis traditio facta
» ſit. Atqui apud divinam ſcripturam & fœnus & uſura ſunt prohibita, &
» per quandam potentiam, ad ſuam poſſeſſionem aliena traducere, etiamſi
» ſub contractus aut tranſactionis ſpecie hoc fortaſſe factum ſit. Quoniam
» ergo nos quidem ad canonum poteſtatem aſſequendam fide digni non ſu-
» mus, in iis quæ ex confeſſo prohibita ſunt, canonicam ſententiam dictis
» jam adjiciemus. S. Gregorius Nyſſenus non vituperat Eccleſiæ morem,
de tribus tantùm criminibus à S. Paciano ſuprà notatis publicè pœniten-
di: Imò exiſtimat ſufficere cetera peccata, quæ licet à regno Dei ex-
cludant, aliis remediis curare, & veluti quoſdam morbos ex reple-
tione ortos, inexplebilis avaritiæ affectiones purgare. Ne quis verò
forſan opponeret ſententiam S. Baſilii & Gregorii Nazianzeni, qui in
» oratione. xxxix. Sic loquitur: Quid autem Novati crudelitatem pro lege
» habeam, qui avaritiam quidem, hoc eſt, alterum idololatriæ genus nullo
» ſupplicio vindicavit, ſtuprum autem ita ſævè acerbeque condemnavit, qua-
» ſi nuda ipſe carnis & corporis parte conſtaret. Veluti objectiones præve-
» niens hæc ita ſe ſentire fatetur, quoniam, inquit, nos quidem ad cano-
» num poteſtatem aſſequendam fide digni non ſumus.

» Ambroſius lib. II. de pœnitentia cap. x. Nam ſi verè agerent pœni-
» tentiam, iterandam poſtea non putarent, quia ſicut unum baptiſ-
» ma ita una pœnitentia, quæ tamen publicè agitur. Nam quotidiani
» nos debet pœnitere peccati. Sed hæc delictorum graviorum, illa le-
» viorum. Quænam verò ſint delicta leviora, ſic declarat in exhortatio-
» ne ad agendam pœnitentiam: Quid eſt bene vivere poſt pœnitentiam?
» doce nos. Dico vobis, abſtinere ab ebrietate, à concupiſcentia, à

Digitized by Google

furto, à malo eloquio, ab ipſo immoderato riſu, à verbo ocioſo, unde reddituri ſunt homines rationem in die judicii. Ecce quæ levia dixi, ut tacerem gravia & peſtifera. Itaque S. Ambroſius affirmat morem non fuiſſe Eccleſiæ de omnibus peccatis publicis ſcilicet ebrietatis, furti, & aliis publicè pœnitendi. Quæ peccata non levia & minora nuncupantur, niſi cum maximis & gravioribus delictis comparata, ut jam ex S. Cypriano animadvertimus.

Joannes Chryſoſtomus non ſolùm crimina graviſſima, adulteria, homicidia, & alia ejuſdem generis; ſed invidiam, & iracundiam, & quidem juramentum publicâ pœnitentiâ puniendum eſſe cenſuit. At privatâ auctoritate non canonicâ hoc à ſe primùm ſtatutum eſſe ipſe in homilia XLII. ad cap. Matth. XII. de invidia apertè declarat his verbis: Quomodo igitur ne veneno ſuo nos inficiat, faciemus? ſi dabimus operam, ut quemadmodum fornicatori nefas ad Eccleſiam ingredi, ſic invido quoque: Imò verò multò magis invidus, quàm fornicator à cœtu fidelium exterminandus eſt. Si enim nunc cùm *id malum indifferens penè videatur*, à nonnullis ſpernitur: profectò ſi atrocitas malignitatis ejus omnibus patuerit, facilè ab ea reſiliemus. Lacrymarum igitur fontes in fletibus manare deberent ex oculis. Deus orandus, perdiſcendumque tibi eſt, turpiſſimum flagitium eſſe invidiam: ſic enim affectus celeriter tanquam à periculoſo morbo fugies, ac pœnitentiam ages. Sed quis ignorat, inquies, vitium eſſe invidiam? Ignorat quidem, ut dicis, nemo: non tamen ſicuti fornicationem, aut adulterium abominandam ducunt. Quod ut credas, quęſo dic mihi: quando quiſquiam amarè flevit, quoniam in invidiam lapſus eſſet? Quando Deum aliquis propitium eſſe ſibi oravit, quoniam invidiâ peccaſſet. *Nemo certè unquam.* Sed quamvis omnibus invidentior hominibus ſit, jejunio tamen *aliquo, aut parvo argento pauperibus dato* effeciſſe credit, ut nihil mali commiſiſſe videatur, cùm tamen omnium peſſima atque ſceleſtiſſima paſſione vexetur. Idem J. Chryſoſtomus de iracundia & juramentis teſtatur in homilia de ſimultate ſeu ira. Ut enim, inquit, fornicantem, blaſphemantemque impoſſibile eſt ſacræ menſæ participem fieri, ita quoque qui inimicitias fovet, aut in ira pertinax eſt, non poteſt frui ſancta communione. Neque id immeritò, qui enim meretricatus eſt, aut adulterium commiſit, ſimul ut animum explevit, finem peccato impoſuit: quod ſi reſipiſcens ſe à lapſu excitare voluerit, magnamque oſtenderit pœnitentiam, aſſequetur haud dubiè non vulgarem conſolationem: qui autem ſimultatis tenax eſt, ſingulis diebus peccatum facit, nec unquam illud abſolvit. Illic in adulterio contra, ſimul cum flagitio expletum eſt peccatum: hîc quotidie idem ſcelus tentatur: quam igitur veniam ſperabimus, qui nos tali belluæ ultrò dedimus? Et in eadem homilia de juramentis: Quadraginta dies jam præterierunt, ſi paſcha quoque ſacrum præterierit, nulli jam deinde veniam dabo; non admonitionem, ſed vim imperii & ſeveritatem non contemnendam adhi-

„ bebo. Non enim hæc valida eſt conſuetudinis excuſatio, cur non prætendit fur conſuetudinem, & à ſupplicio liberatur? Cur non idem facit homicida & adulter? Jam igitur denuntio & proteſtor ſi conveniam ſingulos & capiam. Nam haud dubie capiam: quod ſi deprehendam aliquos hæc vitia non correxiſſe, pœnã irrogabo, edicam ut foris extra ſacra myſteria conſiſtant. Similiter pro ſpectaculis J. Chryſoſtomus non amplius pharmaca levia, ſed ſtyptica & mordacia pœnitentiæ publicæ adhibenda eſſe judicat pluribus in locis, ac præſertim in homilia VII. ad caput Geneſ. I. his verbis: „ Neque enim ſemper expedit pharmaca levia adhibere: ſed quando ulcus curationi reſiſtit, oportet ſtyptica & mordacia admovere, quo morbo occurratur citius. Sciant igitur omnes, his criminibus obnoxii, ſi poſt hanc noſtram admonitionem in ea negligentia manſerint, non toleraturos nos, ſed legibus Eccleſiaſticis uſuros, & magna auſteritate docturos, ne talia poſthac negligant, neve tanto contemptu divina audiant eloquia. Cùm igitur J. Chryſoſtomus ſe profiteatur horum decretorum primum auctorem, de quo plures conquerebantur, ſatis oſtendit hæc ſtatuiſſe privatâ non canonicâ auctoritate: ac proinde non in more Eccleſiæ fuiſſe poſitum, ut ſaltem tunc temporis hæc crimina publica, publicæ pœnitentiæ obnoxia fuerint.

Hieronymus in libro III. in epiſtol. ad Galatas cap. V. „ Ergo in anima in qua peccatum regnaverit, non poteſt Dei regnare regnum. Quæ enim participatio juſtitiæ & iniquitati? quæ communicatio lucis ad tenebras? qui conſenſus Chriſto & belial? Et putamus nos regnum Dei conſequi, ſi à fornicatione, idololatria, & veneficiis immunes ſimus. Ecce inimicitiæ, contentio, ira, rixa, diſſenſio, ebrietas quoque & cetera quæ parva arbitramur, excludunt nos à regno Dei. Nec refert uno quis à beatitudine excludatur, an pluribus: cum omnia ſimiliter excludant, & in hæc verba epiſtolæ poſterioris cap. XIII. Timeo enim ne fortè cùm venero non quales volo inveniam vos: & ego inveniar à vobis qualem non vultis, ne fortè contentiones, æmulationes, animoſitates, diſſentiones, detractiones, ſuſurrationes, inflationes, ſeditiones ſint inter vos. Propter hæc ſe dicebat ſeveriſſimè vindicare. Quid faceret, ſi noſtris temporibus adveniret, quibus ad comparationem aliorum criminum, iſta ne putantur quidem eſſe peccata. Hæc falſa perſuaſio proculdubio nata erat, ex eo quòd iſta peccata quæ licet excludant à regno Dei, non tamen publicâ & arduâ pœnitentiâ, ſed aliis remediis facillimis curari ſolerent.

Auguſtinus libr. de fide & operibus cap. XIX. „ Qui autem opinantur & cetera eleemoſynis facilè compenſari, tria tamen eſſe non dubitant excommunicatione punienda, donec pœnitentiâ humiliore ſanentur, impudicitiam, idololatriam, homicidium. Neque nunc opus eſt quærere qualis ſit eorum iſta ſententia, & utrum corrigenda an approbanda, ne opus ſuſceptum mittamus in longum &c. Etſi S. Auguſtinus alibi videatur di-

Digitized by Google

cere omnia crimina, pœnis publicæ pœnitentiæ obnoxia eſſe, ſed requiſitis multis conditionibus, quas infrà referemus : nunc tamen teſtatur plures eſſe in Eccleſia qui ſine dubio iiſdem rationibus moti, quibus movebantur antiqui patres, & inter ceteros S. Pacianus & Gregorius Nyſſenus, exiſtimabant hæc tria crimina impudicitiam, idololatriam, homicidium ſola eſſe quæ humilioris pœnitentiæ remediis indigerent, cùm cetera eleemoſynis & aliis ejuſmodi facilè compenſari poſſent.

Poſtremò ut traditio Patrum deducatur uſque ad Theodorum, egregium Eligii Epiſcopi Noviomenſis teſtimonium proferam ex homilia XVI. « Pœnitentia autem illa eſt vera, ut jam ampliùs non faciat homo mala quæ « geſſit, ſed de preteritis pœniteat & de futuris caveat, nec ad ipſa iterum « revertatur. Et ideo, chariſſimi, juxta Pſalmiſtæ vocem; declinemus à « malo & faciamus bonum : & ut ſcire poſſitis quomodo id fieri oporteat, « audite quæ dicturi ſumus attentiùs. Quicunque ſuperbus fuit aut elatus, « reprimat ſuperbiam ſuam, & ſit humilis & ſimplex; quia Deus ſuperbis « reſiſtit, humilibus autem dat gratiam. Qui erat iracundus, vel quod eſt « deterius, furibundus & minax, protervus atque crudelis, compeſcat ſævitiam ſuam & mentis crudelitatem, & ſit patiens, mitis atque pius, quoniam ira viri juſtitiam Dei non operatur; & abſque patientia & pietate « regnum Dei conſequi nemo poteſt. Qui fuit graſſatór idem carnifex, ſive, quod eſt deterius, homicida converſus agat dignam pœnitentiam & « ſit manſuetus & pius : quoniam ſicut homicidæ niſi dignam egerint pœnitentiam, vitam æternam conſequi non poſſunt, ita nec graſſatores, « qui ſine pietate miſerorum membra dilaniant ſive detruncant. Qui erat « invidus ſive odioſus, converſus à malitia ſua, ſit benignus atque miſericors, diſcat diligere fratrem ſuum quem prius odio habebat. Qui fuit fornicator aut adulter ſeu inceſtus, immundus; converſus agat pœnitentiam, « & deinceps vivat ſobriè atque continenter. &c. Qui erat ſcurra, id eſt, « minator turpia ſectans & immunda loquens, corrigat ſemetipſum, & deſinat eſſe quod fuit : diſcat bonum loqui, qui prius vana & turpia loquendo « tam ſe quàm auditores ſuos maculabat. Qui erat avarus aut tenax, id eſt, « qui aliena cupiebat, & qui ſua minimè largiebatur contentus ſuis propriis rebus, ſit largus & beneficus : id eſt, aliena non concupiſcat, non « rapiat, non fraudetur, & inquantum vires ei ſuppetunt, porrigat. Qui « furabatur, jam non furetur, ſed magis laboret operando manibus ſuis « quod bonum eſt, ut habeat unde tribuat neceſſitatem patienti. Qui erat « comeſſator, id eſt, glutto aut ebrioſus, ſit parcus & ſobrius. Qui conſueverat propter humanam famam indiſcretè res ſuas in cibo & potu ſuperfluè effundere, diſcat rationabiliter eas diſpenſare; quoniam ſicut » abominatio eſt apud Dominum avaritia, id eſt, tenacitas, ita peccatum « eſt indiſcreta effuſio : nec tenaces enim nos eſſe vult Deus; nec prodigos, « id eſt, effuſos. Qui erat mendax aut falſarius, corrigat malum ſuum, « & ceſſet eſſe qualis fuit, ſitque amator veritatis & rectitudinis. Sic « exceptis criminibus adulterii, homicidii, & aliis quibus digna competit

pœnitentia, qualis tunc in Eccleſia publicè agebatur, teſtatur S. Eligius cetera peccata veluti ſuperbiæ, iracundiæ, & ſævitiæ, quæ excludunt à regno Dei; invidiæ & odii, animi turpia & immunda ſectantis, avaritiæ quæ eſt idolorum ſervitus, ebrietatis, prodigalitatis & mendacii, aliis remediis facilè curari.

Hinc conſtat non pro omnibus criminibus publicis, publicam pœnitentiam fuiſſe impoſitam. Si ergo argumentum J. Morini de criminibus publicis nimium probat, multò magis de criminibus occultis: cumque argumentum quod nimis probat, juxta leges dialecticæ nihil probet; fateatur quiſque neceſſè eſt ſecundum argumentum, quo J. Morinus utitur ad demonſtrandum antiquam Eccleſiæ fuiſſe praxim, de criminibus occultis publicè pœnitendi, nullius eſſe momenti.

CAPUT VII.

Tertium argumentum I. Morini refellitur: & exponitur Auguſtini teſtimonium.

» TErtium, inquit J. Morinus, ſi crimina quis ſponte enuntiaſſet,
» minori tempore in ſubſtratione, auditione &c. commoraturum,
» quam ſi accuſatus & convictus eſſet. Plerique enim canones, & Patrum
» pleraque dicta hanc legem reis criminum dictant, cujus rei teſtimonia
» multa legere potes lib. 2. c. 6. ſi crimina ponas publica pro ſpecie iſta-
» rum legum explananda, quæ ratio fingi poteſt iſtius temperamenti. Si
» crimen publicum eſt, jam convictio per ſe facta eſt: Ipſa facti, ut ita dicam,
» notorietas, convictioni æquivaluit. Delatus tergiverſari non poteſt. Imò
» ne delatore quidem opus habet Epiſcopus, cùm ponatur crimen publicum
» & notorium; ſed monitore, ac ne monitore quidem: cùm eo caſu Epiſ-
» copus ſola muneris peragendi conſcientiâ ſtimulatus publicum peccatorem,
» & reſipiſcentem pœnitentiâ caſtigare poſſit.

RESP.

Quamvis faterer crimen eſſe occultum, quid inde concluditur, ſi poſtea ſpontanea denunciatione coram judicibus Eccleſiæ fiat publicum? volenti enim non fit injuria. Porro iſta denunciatio quæ varias ob cauſas agebatur coram judicibus Eccleſiæ, præſertim verò ne de crimine jam à quibuſdam cognito rei accuſati & convicti majori pœnitentiâ punirentur, non poteſt accipi pro confeſſione ſecreta, propter quam nemini unquam licuit juxta canones mandare pœnitentiam pulicam, ut tot patrum teſtimoniis ſuprà demonſtravimus. Quare tertium J. Morini argumentum nullo modo valere poteſt.

» Perſequitur J. Morinus. Sanctus Auguſtinus homil. 49. ex 50. c. 3. &
» ſequentibus evidenter admodum hoc nos docet. Baptizatos & fideles compellat,

Digitized by Google

pellat, ſi non potuiſtis habere, vel noluiſtis pudicitiam conjuga- «
lem, ſeu continentiam, & deviaſtis à propoſito, ſeu vinculo conju- «
gali, vel devotione continentiæ, ſit in vobis dolor & humilitas pœniten- «
tiæ. Quia verò alicui forſan obſcurum eſſet, quod peccati genus, quam «
pœnitentiam intelligeret, ſtatim hoc explicat; Apertius dico: nemo dicat, «
non intellexi. Qui poſt uxores veſtras vos illicito concubitu maculaſtis, «
ſi præter uxores veſtras cum aliqua concubuiſtis, agite pœnitentiam, qua- «
lis agitur in Eccleſia, ut pro vobis oret Eccleſia. De adulterio perpetrato «
illi quæſtio, eoque potiſſimum occulto: generatim enim quoſlibet adulteros compellat, eoſque pari & indiſtincta neceſſitate, verbiſque de crimine hypotethicis quæ de publico ſtolidè enuntiarentur, ad pœnitentiam publicam exhortatur & adſtringit, pœnitentiam ſcilicet qualis agitur in Eccleſia, ut pro iis oret Eccleſia.

R E S P.

Cùm S. Auguſtinus alibi ſæpiſſime declaret pœnitentiam publicam nonniſi pro publicis criminibus indictam eſſe, & pro occultis ſecretò factam ſufficere, ſicut ſuprà oſtendimus: nemo non videt, ubi S. Auguſtinus loquitur generatim de criminibus publicâ pœnitentiâ puniendis, nonniſi publica intelligi poſſe; v. g. cum quis dicit leges civiles mulieres adulteras punire, loquitur tantum de iis quæ de adulterio convictæ ſunt in judicio ſeculari. Idem verò ſentiendum eſſe de judicio Eccleſiaſtico affirmat S. Au-
guſtinus in homilia ultima ex l. cap. XII. Nos verò, inquit, à com- «
munione prohibere quemquam non poſſumus, quamvis hæc prohibitio «
nondum ſit mortalis ſed medicinalis, niſi aut ſponte confeſſum, aut in ali- «
quo ſive ſeculari ſive Eccleſiaſtico judicio nominatum atque convictum. «
Quis enim ſibi utrumque audeat aſſumere, ut cuiquam ipſe ſit & accuſa- «
tor & judex? Cujuſmodi regulam etiam Paulus Apoſtolus in eadem ad «
Corinthios epiſtolâ breviter inſinuaſſe intelligitur, cum quibuſdam com- «
memoratis criminibus, Eccleſiaſtici judicii formam ad omnia ſimilia ex «
quibuſdam daret. Et paulò pòſt: Noluit enim hominem ab homine judi- «
cari ex arbitrio ſuſpicionis, vel etiam extraordinario uſurpato judicio, ſed «
potius ex lege Dei ſecundum ordinem Eccleſiæ, ſive ultrò confeſſum, ſi- «
ve accuſatum atque convictum. Alioquin illud cur dixit, ſi quis frater «
nominatur aut fornicator, aut idolis ſerviens, & cetera, niſi quia eam «
nominationem intelligi voluit quæ fit in quemquam cum ſententia ordine «
judiciario atque integritate profertur? Nam ſi nominatio ſola ſufficit, mul- «
ti damnandi ſunt innocentes, quia ſæpè falſo in quoquam crimina nomi- «
nantur. «

Perſequitur J. Morinus: Deinde prorſus improbabile eſt eos de pec- «
cato publico ſecretam eſſe agendam pœnitentiam pertinaciter contendiſſe, «
ut contendebant ii quos refutat. Statim enim occurrit quorumdam ob- «
jectioni, qui ut publicæ pœnitentiæ dedecus vitarent prætexebant ſe pri- «

O

» vatim & occultè pœnitentiam agere, quaſi crimini ſuo eluendo privata
» pœnitentia ſufficeret. Sed hoc negat Auguſtinus, & negationis ſuæ ra-
» tionem reddit. Nemo ſibi dicat, occultè ago, apud Deum ago: novit
» Deus qui mihi ignoſcit, quia in corde ago. Ergo ſine cauſa dictum eſt,
» quæ ſolveritis in terra, ſoluta erunt in cœlo? Ergo ſine cauſa ſunt claves
» datæ Eccleſiæ Dei? fruſtramus evangelium Dei, fruſtramus verba Chriſti?
» promittimus vobis quod ille negat? nonne vos decipimus? Qui pœniten-
» tiam occultè vult agere de eo peccato cui publicam impoſuit Eccleſia,
» fruſtrat Evangelium Chriſti, & ſupervacanea exiſtimat illius verba, qui-
» bus Eccleſiæ tribuit ligandi poteſtatem, cùm illi, ejuſque decretis ſeſe non
» ſubmittat. Exiſtimat Eccleſiam eum fallere, & vana remiſſionis peccato-
» rum promiſſione, ſi juſſa fecerit, deludere.

RESP.

At illud non prorſus improbabile eſt, cum paulò infrà S. Auguſtinus teſtetur peccatum celari non potuiſſe. Nonne poterant dicere, ſe de peccatis publicis occultè agere pœnitentiam? qualem non multo poſt plures egiſſe refert Anaſtaſius Sinaïta ad finem orationis de ſancta Synaxi his ver-
» bis: Eſto, fratrem tuum peccatorem eſſe, unde ceteras ejus actiones
» compertas habes? Nam multi crebrò reperiuntur, qui palam peccarunt;
» ſed clam & occultè magnam pœnitentiam egerunt. Et nos quidem novi-
» mus quando peccant, at verò pœnitentiam & converſionem illorum igno-
» ramus, & à nobis quidem judicantur peccatores, apud Deum autem ju-
» ſtificati ſunt.

» Joan. Morinus: Sublato hoc pœnitentiæ occultæ ſuffragio aliud
» pœnitentiæ publicæ agendæ impedimentum tollit, erubeſcentiam ſcili-
» cet, non confeſſionis publicæ; nam non magis erubuiſſet occultè confi-
» teri, quàm occultè pœnitere, unumque facilè ex alio conſequitur. Dein-
» de probabile videtur, imò certum, eos de quibus agit privatim peccata
confeſſos, ſed pœnitentiam publicam recuſaſſe, & privatæ actionem præ-
» texuiſſe. Nam totus eſt ſanctus Auguſtinus ad actionum publicarum ne-
» ceſſitatem adſtruendam. Unde neceſſario inferendum eos in quos diſpu-
» tat, aut jam confeſſos eſſe privatim, aut de confeſſione privatâ litem nul-
» lam moviſſe, ſed tantùm pœnitentiam publicam exhorruiſſe. Sed quic-
» quid ſit, actiones occultas non ſpectavit Auguſtinus, ſed publicas tan-
» tùm de quibus erubeſcentiam amollire conatur. Reſiſtit mihi filius peſti-
» lentiæ, & erubeſcit genu figere ſub benedictione Dei? Quod non eru-
» beſcit Imperator, erubeſcit nec Senator, ſed tantum curialis, &c. propter-
» ea Deus voluit ut Theodoſius Imperator ageret pœnitentiam publicam
» in conſpectu populi, maximè quia peccatum ejus celari non potuit, &
» erubeſcit Senator quod non erubeſcit Imperator. &c. Hoc eſt quod præ-
» ſertim erubeſcebant genua figere in Eccleſia cum pœnitentibus, & caput
» manibus & benedictionibus ſacerdotum ſupponere, ac conſequenter ab
»

Digitized by Google

Eccleſiæ ſacrificio & fidelium cœtu expelli. Ut autem iſta modeſtè & humiliter perferant, Theodoſii Imperatoris exemplo hortatur. Quod notat S. Auguſtinus Theodoſium pœnitentiam publicam egiſſe, maximè quia peccatum ejus celari non potuit, criminis occulti pœnitentiam publicam novo dicto confirmat. Neceſſariò enim hinc infertur criminis & occulti & publici pœnitentiam agi publicam, ſed publici, aut qui celari non poteſt maximè.

RESP.

Quis putet S. Auguſtinum dialecticæ peritum, adulteros quoſlibet occultos ad agendam publicam pœnitentiam exhortari hoc ſcilicet argumento? Deus voluit ut Theodoſius Imperator ageret pœnitentiam publicam in conſpectu populi, maximè quia peccatum ejus celari non potuit; Ergo Deus vult ut vos, quorum peccata ſunt occulta, agatis pœnitentiam publicam. Numquid prompta eſſet excuſatio? Imò Deus non vult, ut agamus pœnitentiam publicam, maximè cùm peccatum noſtrum celari potuerit. Ut igitur exhortatio S. Auguſtini quodammodo valeat, dicere debemus peccata eorum quos ad publicam pœnitentiam agendam hortatur, publica fuiſſe.

Porro hæc verba, maximè cùm, non novo dicto confirmant publicam pœnitentiam agendam eſſe de peccatis occultis, ſed tantùm indicant, fieri poſſe propter quaſdam alias rationes, quas ſuprà expoſuit Origenes; & maximam publicæ pœnitentiæ rationem, & ſolam quæ fuerit à Patribus ſancita, eſſe crimen publicum.

J. Morinus nonnulla alia Patrum teſtimonia proponit, quibus, ne eadem ſæpius repetantur, ſufficit reſpondere: I. Nullum teſtimonium proferri, quod apertè probet pro peccatis occultis ſecundum canones publicam pœnitentiam agendam eſſe. II. Quæ Patres dicunt de peccatis capitalibus pœnitentiâ publicâ diluendis, nonniſi de criminibus publicis intelligi poſſe, cùm Patres alibi manifeſtiſſimè diſtinguant inter crimina publica & occulta, & pœnitentiam quæ utriſque competit, occultis occultam, publicis publicam.

Digitized by Google

CAPUT VIII.

Explicantur quædam verba Pœnitentialis : Atque oſtenditur pœnitentiam publicam, qualem Ioan. Morinus deſcribit, pro publicis criminibus etiam graviſſimis, non eſſe abſolutè neceſſariam ; & quare Patres plures publicos peccatores ab ea exemerint.

ALiquis forſan objiciet verba Pœnitentialis, ubi Theodorus refert in ſua Provincia non eſſe reconciliationem, quia non eſt publica pœnitentia ; contendetque Theodorum non ſolùm pro peccatis occultis, ſed etiam pro publicis pœnitentiam publicam mutaſſe. Verum animadvertendum eſt, id quod nullo unquam Eccleſiæ decreto fuit ſtabilitum, à Theodoro non potuiſſe mutari contra canones, ſcilicet pro criminibus occultis publicam pœnitentiam. De publicis verò criminibus conſiderare oportet, Theodorum diſciplinam totius Eccleſiæ tam Orientalis, quàm Occidentalis proponere ; & morem quem in ſua provincia inſtitutum repererat, ſpectatâ plurimorum infirmitate, maluiſſe tolerare, quàm cum ſcandalo aliorum auferre privatâ auctoritate. Quapropter ne quis ſeverioris diſciplinæ amator vituperet Theodorum, quem patres in ſynodis pium æque ac doctum laudarunt ; oportet oſtendere. I. Pœnitentiam publicam, qualem lib. IV. de pœn. cap. VII. J. Morinus deſcribit, & quam plures dicunt ab incunabulis Eccleſiæ conſtitutam eſſe in afflictionibus & macerationibus corporis manifeſtis ac diuturnis, non eſſe omnino neceſſariam ad remiſſionem publicorum criminum etiam graviſſimorum. II. Quibuſnam rationibus moti ſunt patres, ut multos peccatores publicos ab illâ pœnitentia eximerent.

Ad remiſſioné graviſſimorum & publicorum criminum non abſolutè neceſſaria eſt pœnitentia publica, quam plures dicunt ab incunabulis Eccleſiæ conſtitutam eſſe in afflictionibus corporis manifeſtis ac diuturnis.

Juſtinus in Apologia juxta Euſebium primæ, quæ idcirco malè inſcribitur ſecunda in editis. » Propheta à perſona patris dicit : & diem magnum jejunii, & otium non ſuſtinebo, neque cùm veneritis ut appareatis mihi, exaudiam vos. Plenæ ſunt manus veſtræ ſanguine. Et cùm offertis ſimilam aut incenſum, abominatio mihi eſt. Adipem agnorum & ſanguinem hircorum nolo. Quis enim requiſivit hæc ex manibus veſtris ? verum diſſolve omnem colligationem iniquitatis ; diſrumpe faſciculos violentorum contractuum ; vagum & nudum tege ; frange eſurienti panem tuum. Et qualia quidem ſint quæ per vates ſuos à Deo præcepta ſint, his exemplis intelligere poteſtis.

» In dialogo cum Tryphone judæo : Quid mihi jejunatis, ut hodie audiatur in clamore vox veſtra ? *Iejunium hoc ego non elegi, ut in die humiliet vir animam ſuam. Atque ſi flectas tanquam circulum collum ſuum, & ſaccum cineremque ſubſternas*, ne ſi quidem vocabitis jejunium & diem acceptum Domino. Non iſtiuſmodi jejunium ego elegi, dicit Dominus : ſed ſolve omnem colligationem iniquitatis : ſolve obligationes vio-

lentorum contractuum. Emitte confractos in remiſſione, & omnem ſyngrapham iniquam diſcerpe; frange eſurienti panem tuum, & egenos vagos induc in domum tuam. Cùm videris nudum, operi eum: Et è vernaculis ſeminis tui ne quemquam deſpexeris. Tunc erumpet matutinum lumen tuum; & ſanitates peccatores citius orientur: & præibit ante te juſtitia tua, & gloria Dei complectetur te. Tunc clamabis, & Deus exaudiet te: adhuc te loquente, dicet: Ecce adſum. Si abſtuleris à te colligationem, & manuum complicationem, & verbum murmuris, & dederis eſurienti panem tuum ex animo, & animam humiliatam impleveris: tunc exorietur in tenebris lumen tuum, & tenebræ tuæ ut meridies. S. Juſtinus loquitur de pœnitentia quæ ad remiſſionem graviſſimorum & publicorum criminum penitus ſufficit: Attamen non illa eſt pœnitentia, qualem J. Morinus deſcribit, & quam plures viri docti dixerunt ab incunabulis Eccleſiæ conſtitutam eſſe in afflictionibus corporis manifeſtis ac diuturnis. Itaque S. Juſtinus hanc pœnitentiam ad remiſſionem graviſſimorum & publicorum criminum non abſolutè neceſſariam eſſe judicavit.

Theophilus Antiochenus ad Autolicum lib. III. Ceterum Eſaias Propheta communiter omnes, imprimis tamen Judæos compellat, ut ad pœnitentiam convolent, dicens: Quærite Dominum, quando ille inveniri poteſt: invocate eum, quando ille propè eſt. Derelinquat impius viam ſuam, & vir iniquus cogitationes ſuas, & revertatur ad Dominum, & miſerebitur ejus, & ad Deum noſtrum, quoniam abundabit ut remittat. Alius præterea propheta Ezechiel inquit. Quod ſi impius averſus fuerit ab omnibus peccatis ſuis quæ fecit, & cuſtodierit omnia ſtatuta mea, feceritque judicium & juſtitiam, vivendo vivet & non morietur. Omnes iniquitates ejus quas fecit non venient in recordationem ejus, ſed in juſtitia ſua quam fecit, vivet. Nunquid deſidero aut volo mortem impii, dicit Dominus Deus? an non magis ut convertat ſe à viis ſuis & vivat? Eſaias iterum inquit pœnitentiam inculcans; convertimini qui profundum conſilium initis & iniquum, ut ſalvemini. Similiter Hieremias: convertimini ad Dominum Deum veſtrum, quemadmodum vindemians ad cartallum, & miſericordiam conſequemini. Plurima ſunt & numerum ferè omnem excedunt, quæ in Scriptura ſacra de pœnitentia agenda comprehenduntur. &c. Utriuſque teſtamenti miniſtri, uno eodemque Spiritu inſpirati loquuti ſunt. Eſaias ſic clamat: auferte malitiam conatuum veſtrorum à conſpectu oculorum meorum, ceſſate malefacere, diſcite benefacere, quærite judicium, ſalvate oppreſſum, agite in judicio cauſam pupilli & viduæ. Idem alibi dicit: diſſolve impias colligationes, ſolve faſciculos oneroſos, dimitte confractos liberos, & ut dirumpatis omne onus. Nunquid ut partiaris eſurienti panem tuum, & pauperes vagos introducas in domum? ſi videris nudum, operies eum, & à propinquo tuo te non abſcondes. Tunc proferetur quaſi aurora lux tua, & ſanitas tua velociter creſcet, & ibit ante te juſtitia tua. His adſtipulatur Hieremias di-

» cens: ſtate juxta vias, & circumſpicite, interrogate de ſemitis antiquis, &
» quæ via melior fuerit, in ea ambulate: ut inveniatis requiem pro anima-
» bus veſtris: judicium juſtum judicate; quia in his conſiſtit voluntas Do-
» mini Dei veſtri. Huic conſentit Moſes, qui ait: Cuſtodite judicium, &
» appropinquate ad Dominum Deum veſtrum, qui firmavit cœlum, &
» condidit terram. Ab his non diſſentit Zacharias, dicens: Judicate judi-
» cium veritatis, & facite pietatem atque miſericordiam unuſquiſque cum
» fratre ſuo. Viduam & pupillum, peregrinum & pauperem nolite calum-
» niari: neque cogitetis in corde veſtro unuſquiſque malum fratris ſui. S.
Theophilus pluribus ſcripturarum teſtimoniis & præcipuis, veram deſcri-
bit pœnitentiam, quæ ad remiſſionem publicorum & graviſſimorum
criminum omnino ſufficit: cumque non ea ſit pœnitentia, quam plures
dixerunt ab incunabulis Eccleſiæ conſtitutam eſſe in afflictionibus & ma-
cerationibus corporis manifeſtis ac diuturnis, certum eſt S. Theophilum,
ad remiſſionem publicorum & graviſſimorum criminum non abſolutè ne-
ceſſariam judicaſſe hanc pœnitentiam.

» Irenæus lib. IV. adverſus hæreſes cap. XXXII. Sed miſerans eorum cæci-
» tati, & verum ſacrificium inſinuans, quod offerentes propitiabuntur
» Deum, ut ab eo vitam percipiant. Quemadmodum alibi ait: ſacrificium
» Deo cor contribulatum; odor ſuavitatis Deo cor clarificans eum qui plaſ-
» mavit, &c. Et Zacharias autem in duodecim Prophetis, ſignificans eis vo-
» luntatem Dei, ait: hæc dicit Dominus omnipotens. Iudicium juſtum ju-
» dicate, pietatem & miſericordiam facite unuſquiſque ad fratrem ſuum.
» Viduam & orphanum & proſelytum & pauperem nolite opprimere, &
» unuſquiſque malitiam fratris ſui non recogitet in corde ſuo, & jurationem
» falſam ne dilexeritis. Quoniam hæc omnia odi, dicit Dominus omnipo-
» tens: Et David autem ſimiliter: Quis eſt, inquit, homo qui vult vitam,
» & amat videre dies bonos? Cohibe linguam tuam à malo, & labia tua ne
» loquantur dolum. Declina à malo & fac bonum: inquire pacem, & ſequere
eam. Aliis ſcripturarum teſtimoniis S. Irenæus deſcribit perfectam pro cri-
minibus ſive publicis ſive graviſſimis pœnitentiam, quæ tamen non conſiſtit
in afflictionibus & macerationibus corporis manifeſtis ac diuturnis.

» Clemens Alexandrinus in libro quem inſcripſit: Quiſnam dives ſalu-
» tem conſequi poſſit, pœnitentiam juvenis, qui inſtituto latronum colle-
» gio, ipſe prompto animo dux eorum effectus, violentia, cædibus atque
» atrocitate cunctos ſuperabat, ſic refert. Et accedentem ſenem, id eſt
» Joannem Apoſtolum, complexus, gemitu ac lamentis quantum maximè
» poterat, veniam rogabat, & lacrymis quaſi altero quodam baptiſmo ex-
» piabatur, ſolam dextram occultans. Tum Apoſtolus ſpondens ac deje-
» rans ſe veniam ipſi à Servatore impetraviſſe, oranſque ac in genua pro-
» volutus, & dextram ipſam juvenis, ut pote pœnitentia expurgatam deoſ-
» culans, ipſum in Eccleſiam reduxit. Exinde partim crebris orationibus
» Deum deprecans, partim continuatis unà cum juvene ſimul decertans,
» omnibus denique verborum illecebris animum ejus demulcens, non prius

Digitized by Google

abſceſſit quàm illum Eccleſiæ reſtituiſſet, magnumque ſinceræ pœnitentiæ exemplum, & iteratæ regenerationis ingens documentum, & conſpicuæ reſurrectionis trophæum omnibus oſtendiſſet. En magnum pœnitentiæ exemplum, quod declarat crimina publica & graviſſima abſque diuturnis afflictionibus & macerationibus corporis dilui poſſe.

Huc uſque teſtimonia Patrum planè demonſtrant publicam pœnitentiam quæ conſiſtit in afflictionibus & macerationibus corporis manifeſtis ac diuturnis, non eſſe abſolutè neceſſariam. Illud quoque erit perſpicuum, etiam dum maximè hæc pœnitētia vigebat, ſi oſtendamus quibuſnam rationibus moti ſint Patres, ut multos peccatores publicos à pœnitentia publica eximerent.

II. Quinam ſint peccatores publici, quos patres à pœnitentia publica exemerunt: & quare.

I. Clerici qui confitebantur ſe antè ordinationem deliquiſſe.

Patres Concilii Neocæſarienſis can. IX. Preſbyter ſi præoccupatus corporali peccato provehatur, & confeſſus fuerit de ſe, quod ante ordinationem deliquerit, oblata non conſecret, manens in reliquis officiis, propter ſtudium bonum. Nam peccata reliqua plerique dixerunt per manus impoſitionem poſſe dimitti. Crimen occultum ipsâ confeſſione fit publicum. Qui tamen illud commiſit, propter manus impoſitionem quam in ordinatione accepit, à pœnitentiâ publicâ liberatur. Quam rationem poſthac Innocentius I. confutaſſe videtur in epiſtola ad Epiſcopos Macedoniæ cap. IV. his verbis: Ergo ſi ita eſt, applicentur ad ordinationem ſacrilegi, adulteri, atque omnium criminum rei, quia benedictione ordinationis crimina vel vitia putantur auferri. Nullus ſit pœnitentiæ locus, quia id poteſt præſtare ordinatio, quod longa ſatisfactio præſtare conſuevit.

II. Clerici qui poſt ordinationem crimen perpetrarunt.

Baſilius in epiſtola canonica ad Amphilochium can. XXXII. Qui peccatum ad mortem peccant clerici, à gradu quidem deponuntur, à laicorum autem communione non arcentur. Non enim vindicabis bis in idipſum. Quamvis alterius diſciplinæ antiquiſſima ſint exempla: hæc tamen antiqua eſt & valde probata, quam S. Baſilius ut jam ſuo tempore ſtabilitam refert, & cujus poſteà Patres teſtes ſunt ac defenſores, Optatus Milevitanus in fine lib. II. Siricius in epiſtola ad Himerium Tarraconenſem cap. XIV. Patres Concilii Carthaginenſis V. can. XI. qui canon refertur in integro codice Eccleſiæ Africanæ can. XXVII. Hieronymus in epiſtola ad Sabinianum, Auguſtinus lib. I. de baptiſmo contra Donatiſtas cap. I. Leo I. in ep. ad Ruſticum Narbonenſem Reſp. II. Quod, inquit, ſine dubio ex Apoſtolica traditione deſcendit, ſecundùm quod ſcriptum eſt: ſacerdos ſi peccaverit, quis orabit pro eo? Unde hujuſmodi lapſis ad promerendam miſericordiam Dei privata eſt expetenda ſeceſſio, ubi illis ſatisfactio, ſi fuerit digna, ſit etiam fructuoſa. Patres Concilii Epaunenſis can. XXII. Si preſbyter aut diaconus crimen capitale commiſerit, ab officii honore depoſitus in monaſterium retrudatur, ibi tantummodo, quamdiu vixerit, communione ſumenda. Et Iſidorus Hiſpalenſis lib. II. de Eccleſiaſticis officiis cap. XVI. Honorum duntaxat dignitate ſervata, ita ut à ſacerdotibus & levitis Deo tantùm teſte fiat, à ceteris verò adſtante coram Deo ſolemniter ſacerdote.

Digitized by Google

» Baſilius in eadem ep. canonica can. XXXIV. Adulteratas mulieres, & confitentes, vel quomodocumque convictas publicare quidem patres noſtri prohibuerunt, ne convictis mortis cauſam præbeamus. Eas autem ſtare ſine communione juſſerunt donec impleretur tempus pœnitentiæ.

III. Mulieres adulteræ.

» Gregorius Nazianzenus in oratione XXXIX. Siquidem illi pœnitentia minimè ducebantur optimo jure eos repulit, nam ne ipſe quidem eos recipio, qui vel nullo modo vel non ſatis deprimuntur, nec patrato crimini parem vitæ emendationem afferunt: Cumque recipio, convenientem ipſis locum aſſigno: ſin autem lacrymis confectos, haudquaquam imitabor.

IV. Perfectè contriti.

» Joannes Chryſoſtomus in homilia de David & Saule: Nihil inquam, iſtiuſmodi frigidorum verborum locutus eſt publicanus, quibus utimur quotidie nos, convitiis ac maledictis aſpergentes, ſed amarè ſuſpirans pectuſque percutiens, hoc tantummodo dixit, Propitius eſto mihi peccatori, & deſcendit juſtificatus. Vides celeritatem? Accepit probrum, & abluit probrum: agnovit peccata, & depoſuit peccata, & criminum accuſatio facta eſt illi criminum remiſſio, & hoſtis inſciens factus eſt beneficus. *Quot labores erant publicano ſubeundi, jejunando, humi dormiendo, vigilando, bona ſua egenis impartiendo, longo tempore in ſacco & cinere ſedendo, ut illa tam multa peccata poſſet deponere?* At nunc quum nihil tale fecerit, ſimplici verbo omnem depoſuit iniquitatem, ac probra convitiaque phariſæi, qui videbatur illum contumelia afficere, pepererunt juſtitiæ coronam, *idque ſine ſudoribus, ſine laboribus, & abſque longi temporis mora.*

Vere pœnitentes.

» In homilia I. de pœnitentia: Cujus autem rei gratia præfinitum ſpatium ad tam breve tempus redegit? quo & barbarorum diſcas virtutem, dico autem Ninivitarum tribus diebus tantum peccatorum iram ſolvere valentium: atque Dei clementiam admireris, trium dierum pœnitentia contenti tot pro peccatis? tuque deſperatione non corruas: etſi millies peccaveris. Quemadmodum enim anima pigritans atque negligens, quanquam multùm ad pœnitentiam temporis accipiat, nihil operatur magnum, neque ſibiipſi Deum ob deſidiam conciliat: Sic qui propoſito excitato fervet, atque multa cùm ſolertia pœnitentiam oſtendit? brevi temporis momento longævi temporis peccata delere poterit. Nonne tertiò Petrus negavit? nonne tertiò cum juramento? nonne vilis cujuſdam ancillæ verba timens? Quid ergo? *Oportuit ne illum ad pœnitentiam multos annos terrere? Nequaquam, ſed eadem nocte lapſus eſt & erectus, vulnuſque & medicinam accepit: ægrotavit, atque ad priorem rediit ſanitatem.*

Et qui fervente animo, flagranti corde, ardentique fide ad Dominum convertuntur.

» In homilia de beato Philogonio: Neque mihi quiſquam dixerit, Vereor, habeo conſcientiam peccatis oppletam, ſarcinam circumfero graviſſimam. Sufficit enim horum quinque dierum tempus, ſi ſobrius fueris, ſi attentus, ſi vigilaveris, ut multitudinem peccatorum reddas con-

Illi liberantur ab afflictionibus & macerationibus corporis diuturnis.

tra-

tractiorem. Nec illud perpende quod breve tempus eſt, ſed illud conſidera quod benignus eſt Dominus. Quandoquidem & Ninivitæ tridui ſpacio tantam iram Dei à ſe depulerunt, nec obſtitit illis temporis anguſtia, ſed animi promptitudo, amplectens Domini benignitatem, totum peragere valuit. Et meretrix illa brevi temporis momento, quum ad Chriſtum acceſſiſſet, omnia probra diluit. Quia & calumniantibus Judæis, quòd illam admiſiſſet, tantamque præbuiſſet fiduciam, Chriſtus illis quidem ſilentium impoſuit, hanc verò malis omnibus liberatam, comprobatoque illius ſtudio, ita domum remiſit. Quid ita tandem? quoniam ferventi animo, & flagranti corde, ardentique acceſſit fide, ſanctoſque illos ac ſacros attigit pedes, ſolutis capillis, fontibus lacrymarum ex oculis emiſſis, unguento profuſo.

Bacchiarius in epiſtola ad Januarium de recipiendis lapſis. Qualiter rogo, de miſericordia Domini poſſumus deſperare; qui etiam Pharaonem arguit, quare nequaquam pœnitere dignatus ſit &c. Salomon ille mirabilis, qui meruit adſiſtrici Dei, hoc eſt, ſapientiæ copulari, in alienigenarum mulierum incurrit amplexus; & vinculo libidinis illaqueatus, etiam ſacrilegii errore ſe polluit, quia ſimulacrum Chamos Moabitico Idolo fabricavit: ſed qui per prophetam culpam erroris agnovit, nunquid miſericordiæ cœleſtis extorris eſt? Ac forſitan dicas, nuſquam eum in canone lego pœnituiſſe, neque miſericordiam conſecutum. Audi ergo, frater, pœnitentia ejus, quæ non inſcribitur publicis legibus, fortaſſe ideo *acceptabilior judicatur, quia non ad faciem populi, ſed in ſecreto conſcientia Deo teſte pœnituit.* Veniam autem ex hoc, conſecutum eſſe agnoſcimus; quia cum ſolutus fuiſſet à corpore, ſepultum illum inter regum Iſraelitarum corpora Scriptura commemorat; quod tamen alibi, peccatoribus regibus abnegatum eſſe cognoſcimus, qui uſque in finem vitæ ſuæ in propoſiti perverſitate manſerunt: Et ideo quia inter reges juſtos meruit ſepeliri, non fuit alienus à venia; veniam autem ipſam ſine pœnitentia non potuit promereri.

Pro publicis criminibus quandoque acceptabilior [illegible]orum pœnitentia ſecretò facta.

Auguſtinus in homilia ultima ex l. cap. xι. Nemo arbitretur fratres propterea ſe conſilium ſalutiferæ hujus debere pœnitentiæ contemnere, quia multos fortè advertit & novit ad ſacra altaris accedere, quorum talia crimina non ignorat. *Multi enim corriguntur ut Petrus.* Quare canones Epiſcopis permittunt pœnitentiæ pœnas eo leviores ac minores reddere, quo magis cordis compunctio augetur: atque patres docent non tam conſiderandam eſſe menſuram temporis quàm doloris. Auguſtinus in Enchiridio ad Laurentium cap. LXV. In actione autem pœnitentiæ, ubi tale crimen commiſſum eſt, ut is qui commiſit à Chriſti etiam corpore ſeparetur, non tam conſideranda eſt menſura temporis, quàm doloris. Cor enim contritum & humiliatum Deus non ſpernit. Leo I. in ep. ad Nicetam Epiſcopum Aquilejenſem: cap. v. Conſultationi charitatis tuæ hoc etiam reſpondendum eſſe credidimus; non tam temporis longitudine, quàm cordis compunctione penſanda eſt.

Qui convertuntur ut Petrus non egent pœnitentia publica.

P

Digitized by Google

» Vigilius PP. in ep. ad Cæſarium Arelatenſem: Sed quia, ſicut charitatem tuam bene noſſe confidimus, modus pœnitentiæ præſentium potius ſacerdotum inſpectioni committitur, ut juxta compunctionis meritum veniæ quoque poſſit indulgeri remedium, tuæ hoc potius æſtimationi credimus relinquendum. Unde Gennadius teſtatur in libro de Eccleſiaſticis dogmatibus cap. LIII. à pœnitentia publica prorſus immunes eſſe, quicunque veræ ac perfectæ pœnitentiæ ſigna certiſſima dabant. Sed & ſecreta, inquit, ſatisfactione ſolvi mortalia crimina non negamus, ſed mutato prius ſeculari habitu, & confeſſo religionis ſtudio per vitæ correctionem, & jugi imo perpetuo luctu miſerante Deo, ita duntaxat, ut contraria pro iis quæ pœnitet, agat, & Euchariſtiam omnibus dominicis diebus ſupplex & ſubmiſſus uſque ad mortem percipiat. Denique patres unanimi conſenſu declarant nihil aliud, quàm charitatem à peccatoribus requirere Deum à quo nonniſi cupiditate receſſerunt: hoc eſſe, in quo conſiſtit tota lex & prophetæ: ac propterea jugum eſſe ſuave, & onus leve, ad quod Chriſtus omnes vocat qui laborant & criminum pondere onerati ſunt. Innumera ferè de hac re Patrum teſtimonia proferre poſſem, ſed omnium inſtar erit Salviani teſtimonium qui ſic loquitur in libro VII. de vero judicio, & providentia Dei. Præſertim cùm à nobis Deus nihil oneroſum, nihil grave exigat, &c. Quid namque ait? Venite ad me omnes, qui laboratis & onerati eſtis, & ego reficiam vos. Tollite jugum meum ſuper vos, & diſcite à me, quia mitis ſum & humilis corde, & invenietis requiem animabus veſtris. Jugum enim meum ſuave, & onus meum leve. Non ergò nos ad laborem vocat Dominus, ſed ad refectionem. Quid namque à nobis exigit, quid præſtari ſibi à nobis jubet, niſi ſolam tantummodo fidem, caſtitatem, humilitatem, ſobrietatem, miſericordiam, ſanctitatem? Quæ utique omnia non onerant nos, ſed ornant: nec ſolum hoc, ſed adeo vitam præſentem ornant, ut futuram plus ornare poſſint.

v. Qui ut Judas, & utpote nimis infirmi tolerari debent, atque ideircò illos ab Eccleſia ejicere aut iis imponere pœnitentiam publicam non licebat. Contra eos hanc tolerantiam reprehendunt. Severio-

Non ſolùm qui convertebantur ut Petrus, non eis imponebatur pœnitentia publica, ſed etiam multis qui ut Judas, aut utpote nimis infirmi tolerabantur. Illa eſt ſecunda ratio quam Auguſtinus refert in homilia ex l. cap. XI. Multi enim corriguntur ut Petrus, *multi tolerantur ut Judas.* Eumdem rationem alibi explicat S. Auguſtinus in lib. de fide & operibus cap. III. Utrumque faciendum eſt, ſicut & *infirmitatis diverſitas admonet*, eorum quos utique non perdendos, ſed corrigendos curandoſque ſuſcepimus, & alius ſic, alius autem ſic ſanandus eſt: ita etiam eſt ratio diſſimulandi & tolerandi malos in Eccleſia: & eſt rurſus ratio caſtigandi & corripiendi, non admittendi vel à communione removendi. Errant autem homines non ſervantes modum, & cùm in unam partem procliviter ire cœperint, non reſpiciunt divinæ auctoritatis alia teſtimonia, quibus poſſint ab illa intentione revocari, & in ea quæ ex utriſque temperata eſt veritate ac moderatione conſiſtere.

Auguſtinus in epiſtola XLVIII. Vincentio contra Donatum & Rogat,

Digitized by Google

de corrigendis hæreticis : Propter bonos mali tolerandi ſunt : ſicut toleraverunt prophetæ contra quos tanta dicebant, *nec communionem ſacramentorum* illius populi relinquebant : ſicut ipſe Dominus nocentem Judam uſque ad condignum ejus exitum toleravit, & eum *ſacram cœnam cum innocentibus communicare permiſit* : ſicut tolerarunt Apoſtoli eos qui per invidiam, quod ipſius diaboli vitium eſt, Chriſtum annunciabant : ſicut toleravit Cyprianus collegarum avaritiam, quam ſecundùm Apoſtolum appellat idololatriam.

tis diſciplinæ amatores inſtrui debent exemplis prophetarum, Chriſti, Apoſtolorum, & Cypriani. Hæc exempla & alia fuſius repræſentantur.

Auguſtinus in lib. III. contra epiſtolam Parmeniani. cap. IV. Dixit Eſaias, recedite, recedite, exite inde, & immundum nolite tangere. Sed cur ipſe in illo populo immunditiam quam graviter arguebat, in una cum eis congregatione tangebat. &c. Dixit David, non ſedi cum concilio vanitatis, & cum facinoroſis non introibo : odio habui curiam nequiſſimorum, & cum iis non ſedebo. Legant quales in ſe temporibus ſuis in illo populo toleravit, qui unctionis myſtico ſacramento tantum honorem detulit, ut id nec in ſceleratiſſimo Saüle contemneret, immo tantum veneraretur, ut amplius omnino non poſſet. &c. An hoc dicturi ſunt quòd illis temporibus recedere juſtis à malo populo non licebat, iſtis verò temporibus licet ? Quid dici perverſius poteſt, illo tempore non potuiſſe bonos à malis corporaliter ſeparari, quando multa ſacramenta corporaliter obſervari videbantur : nunc autem neceſſariam eſſe corporalem ſeparationem, quando jam illa ſpiritaliter obſervantur ? Væ cæcis ducentibus & cœcis ſequentibus.

Exemplum prophetarum qui populum perverſum à communione ſacramentorum non rejecerunt.

Auguſtinus in expoſitionis evangelii Joannis tractatu L. Quid ergo voluit Dominus noſter Jeſus Chriſtus fratres mei admonere Eccleſiam, quando unum perditum inter duodecim habere voluit, niſi ut malos toleremus, ne corpus Chriſti dividamus ? Ecce inter ſanctos eſt Judas, ecce fur eſt Judas, & ne contemnas, fur ſacrilegus, non qualiſcunque fur. Fur loculorum, ſed dominicorum : loculorum, ſed ſacrorum. Si crimina diſcernuntur in foro qualiſcunque furti, & peculatus (peculatus enim dicitur furtum de republica, & non ſic judicatur furtum rei privatæ quomodo publicæ) quanto vehementius judicandus eſt fur ſacrilegus, qui auſus fuerit non undecunque tollere, ſed de Eccleſia tollere ? Qui aliquid de Eccleſia furatur, Judæ perdito comparatur. Talis erat iſte Judas, & tamen cum ſanctis diſcipulis undecim intrabat & exibat, ad ipſam Dominicam cœnam pariter acceſſit, converſari cum eis potuit, eos inquinare non potuit. *De uno pane & Petrus & Iudas accepit,* & tamen quæ pars fideli cum infideli ? Petrus enim accepit ad vitam, Judas ad mortem. &c. Quare furem admiſit, niſi ut ejus Eccleſia fures patienter toleret ? Sed ille qui conſueverat de loculis pecuniam tollere, non dubitavit accepta pecunia ipſum Dominum vendere. Videamus quid ad iſta Dominus reſpondeat, videte fratres, non illi ait, propter furta tua dicis iſta. *Furem noverat, & prodere nolebat, ſed potius tolerabat*, & ad perferendos malos in Eccleſia nobis exemplum patientiæ demonſtrabat.

Exemplum Domini qui Judam nocentem, ſacram cœnam cum innocentibus cõmunicare permiſit.

Digitized by Google

» Auguſtinus lib. III. contra epiſtolam Parmeniani cap. II. Cum verò
» idem morbus plurimos occupaverit, nihil aliud bonis reſtat quàm do-
» lor & gemitus, ut per illud ſignum quod Ezechieli ſancto revelatur il-
» læſi evadere ab illorum vaſtatione mereantur. Ideoque idem Apoſto-

Exemplum Apoſtolorum, qui malos Chriſtianos in Eccleſia tolerarunt, ne, multos fornicatoreſ à communione ſanctorum excluſere.

» lus cum jam multos comperiſſet, & immunda luxuria & fornicationi-
» bus inquinatos, ad eoſdem Corinthios in ſecunda epiſtola ſcribens, non
» itidem præcipit ut cum talibus nec cibum ſumerent. Multi enim erant,
» nec dici de his poterat, ſi quis frater nominatur fornicator, aut idolis ſer-
» viens, aut avarus, aut aliquid *tale cum ejuſmodi nec cibum quidem ſimul*
» *ſumere:* Sed ait, ne iterum cum venero ad vos, humiliet me Deus, &
» lugeam multos ex iis qui ante peccaverunt, & non egerunt pœnitentiam
» ſuper immunditia & luxuria & fornicatione quam geſſerunt: per luctum
» ſuum potius eos divino flagello coercendos minans, quàm per illam cor-
» reptionem, ut ceteri ab eorum conjunctione ſe contineant. Conſequen-
» ter enim dicit, ecce tertio hoc veniam ad vos, ut in ore duorum vel trium
» teſtium ſtet omne verbum. Prædixi & prædico ſicut præſens ſecundo, &
» nunc abſens iis qui ante peccaverunt, & ceteris omnibus: quia ſi venero
» iterum, non parcam, quia probationem quæritis ejus qui in me loquitur
» Chriſtus.

Aliud exemplum Apoſtolorum qui facinoroſos Chriſti prædicatores ab Eccleſia non repulerunt.

» Cap. IV. ejuſdem libri. Poſtremò ſi prophetæ poſteros monuerunt
» ut ſe ante tempus ultimæ ventilationis à paleis corporaliter ſepararent, &
» tali ſeparatione caverent tangere immundum, & cum facinoroſis non
» introirent, cur hoc non fecit Apoſtolus Paulus? An palea non erant qui
» non ex veritate, ſed ex invidia Chriſtum annunciabant? An immundi
» non erant qui non caſtè evangelium prædicabant? hos in illis temporibus
» Eccleſia fuiſſe teſtatur, cujus excellentiſſimam charitatem omnia toleran-
» tem, etiam poſteriores imitati ſunt.

Exemplum Cypriani & Chriſtianorum qui cum multis avaris & rapacibus panem Domini manducabant, & calicem Domini bibebant.

» Cap. II. ejuſdem libri. Aperiantur oculi cordis, ne fruſtra pateant
» oculi corporis, & legant prædicatorem liberum veritatis in eadem ipſa pri-
» ma ad Corinthios epiſtola ſcribentem, nolite errare: neque fornicarii, ne-
» que idolis ſervientes, neque adulteri, neque molles, neque maſculorum
» concubitores, neque fures, neque avari, neque ebrioſi, neque maledici,
» neque rapaces regnum Dei poſſidebunt. Quomodo ergo Cyprianus &
» alia frumenta dominica in illa tunc unitatis Eccleſia cum avaris & rapa-
» cibus, cum his qui regnum Dei non poſſidebunt, non laicis vel quibuſ-
» cunque clericis, ſed & ipſis Epiſcopis *panem Domini manducabant, &*
» *calicem Domini bibebant*, cum idem Apoſtolus præcipiat non eis com-
» miſceri, & clamet cum ejuſmodi nec cibum ſumere? An quia non pote-
» rant ab eis corporaliter ſeparari, ne ſimiliter eradicarent & triticum, ſuf-
» ficiebat eis à talibus corde ſejungi, vita moribuſque diſtingui, *propter*
» *compenſationem cuſtodiendæ pacis & unitatis*, *propter ſalutem infirmorum &*
» *tanquam lactentium frumentorum*, ne membra corporis Chriſti per ſacri-
» lega ſchiſmata laniarent? & infra cap. IV. An immunditia, an etiam
» avaritia? Quam Cyprianus corde non tetigit, & tamen inter avaros paca-

Digitized by Google

tiſſimè vixit. Non enim obſurduerat adverſus verba pſalmorum, ut ſederet in conventiculo vanitatis, & cum facinoroſis introiret: odio non haberet curiam malignorum, & cum impiis non ſederet. Annon erat conventiculum vanitatis in eis, qui eſurientibus in Eccleſia fratribus largiſſimo argento nitere cupiebant? An non erant facinoroſi, qui fundos inſidioſe fratribus rapiebant? An nequiſſimi & impii non erant, qui uſuris multiplicantibus fœnus augebant? Ille verò lavabat manus ſuas cum innocentibus, & circundabat altare Domini. Ideo quippe *tolerabat nocentes, ne deſereret innocentes*: cum quibus manus lavabat, quia diligebat ſpeciem domus Domini, quæ ſpecies in vaſis honorabilibus fuit.

His omnibus exemplis motus S. Auguſtinus cenſet ebrioſos & comeſſatores, quorum tanta erat multitudo, potius tolerandos eſſe, quàm ab Eccleſia arcendos & aſpera pœnitentia plectendos. Sic enim loquitur in epiſtola LXIV. Cùm enim Apoſtolus tria breviter genera vitiorum deteſtanda & vitanda uno in loco poſuerit, de quibus innumerabilium peccatorum exſurgit ſeges, unum horum quod ſecundo loco poſuit, acerrime in Eccleſia vindicatur, duo autem reliqua, id eſt primum & ultimum, tolerabilia videntur hominibus, atque ita paulatim fieri poteſt, ut nec vitia jam putentur. Ait enim vas electionis: non in comeſſationibus & ebrietatibus, non in cubilibus & impudicitiis, non in contentione & dolo; ſed induite vos Dominum Jeſum Chriſtum, & carnis curam ne feceritis in concupiſcentiis. Horum ergo trium cubilia & impudicitiæ, tam magnum crimen putantur, ut nemo dignus non modo Eccleſiaſtico miniſterio, ſed ipſa etiam Sacramentorum communione videatur, qui ſe iſto peccato maculaverit. Et rectè omnino. Sed quare ſolum? Comeſſationes enim & ebrietates ita conceſſæ & licitæ putantur, ut in honorem etiam beatiſſimorum Martyrum, non ſolùm per dies ſolennes, quod ipſum lugendum quis non videat qui hæc non carnis oculis inſpicit? ſed etiam quotidie celebrentur. &c. Et paulò poſt: Non ergo aſperè, quantum exiſtimo, non duriter, non modo imperioſo iſta tolluntur, magis docendo quàm jubendo, magis monendo quàm minando. Sic enim agendum eſt cum multitudine peccantium: Severitas autem exercenda eſt in peccata paucorum. Hanc tantæ indulgentiæ rationem, quâ hîc & alibi frequenter utitur & præſertim in libro III. contra epiſtolam Parmeniani, ipſe Auguſtinus diſcere potuerat ab Innocentio I. qui ita in epiſtola ad Epiſcopos Macedoniæ cap. VI. Pervideat ergo dilectio veſtra, hactenus talia tranſiſſe, & advertite, quod ut dicitis neceſſitas imperavit in pace jam Eccleſias conſtitutas, non poſſe præſumere: ſed ut ſæpe accidit, quoties à populis aut turbâ peccatur *quia in omnes propter multitudinem non poteſt vindicari, inultum ſolet tranſire, priora dimittenda Dei judicio*, & de reliquo maxima ſollicitudine præcavendum. Et in epiſtola ad Synodum in Toletana civitate conſtitutam cap. I. Quorum factum ita reprehendimus, *ut propter numerum corrigendorum*, ea quæ quoquo modo facta ſunt, non in dubium vocemus, ſed Dei potius dimittamus judicio.

Exemplum Auguſtini qui cenſet ebrioſos & comeſſatores non ab Eccleſiâ arcendos eſſe propter multitudinem & infirmitatem peccantium.

Digitized by Google

Quot improbi in Eccleſia tolerati ſunt temporibus Salviani.

Salvianus propter eamdem rationem innumeros ferè improbos in Eccleſia toleratos fuiſſe refert lib. 11. de vero judicio & providentiâ Dei :
» Quorum enim quemque invenies in Eccleſia non aut ebrioſum, aut helluo-
» nem, aut adulterum, aut fornicatorem, aut raptorem, aut ganeonem,
» aut latronem, aut homicidam? Et quod omnibus pejus eſt, propè hæc
» cuncta ſine fine. &c. In hanc enim probroſitatem morum propè omnis Ec-
» cleſiæ plebs redacta eſt, ut in cuncto populo Chriſtiano genus quodammo-
» do ſanctitatis ſit, minus eſſe vitioſum &c. In templa autem, vel potiùs
» in altaria atque in ſacraria Dei, paſſim omnes ſordidi ac flagitioſi ſine ullâ
» penitus reverentiâ ſacri honoris irrumpunt. &c. Denique ſi vult quiſpiam
» ſcire quid in templo hujuſmodi homines cogitaverint, videat quid ſequa-
» tur. Siquidem conſummatis ſolemnibus ſacris, ſtatim ad conſuetudina-
» ria omnium ſtudia diſcurrunt, alii ſcilicet ut furentur, alii ut inebrien-
» tur, alii ut fornicentur, alii ut latrocinentur : ut evidenter appareat hoc
» eos eſſe meditatos, dum intra templum ſunt, quod poſtquam egreſſi fue-
» rint, exequuntur.

Non ſolum in Eccleſia Latina.

Poſtremò Juliani Pomerii, & Anaſtaſii Sinaïtæ teſtimonia proferam, quorum primus cùm ſit Latinus, alter verò Græcus, utriuſque Eccleſiæ diſciplinam referunt; & quanta fuerit erga peccatores publicos Eccleſiæ indulgentia propter multitudinem & infirmitatem peccantium teſtantur.
» Sic verò Julianus Pomerius in lib. 11. de vita contemplativa cap. v. Item
» alio locò idem Apoſtolus dicit : vos qui firmiores eſtis, imbecillitates in-
» firmiorum ſuſtinete. Suſtinet ergo æquanimiter ut infirmos, quos emen-
» dare non potuerint caſtigatos. Proinde quia nec objurgari omnes expe-
» dit, nec omnes blandè tractari, ſciunt ſancti ſacerdotes atque diſcernunt,
» quos debeant temperatâ ſeveritate corripere, & quos ſacerdotali magna-
» nimitate portare : & ideò omnium quos per Dei gratiam curant, non vo-
» luntati ſed utilitati proſpiciunt. Denique alios honorari deformiter am-
» bientes, quibus non expedire noverunt, non vitio alicujus invidiæ; *ſed*
» *altæ prudentiæ conſilio* prætermittunt; & alios latere cupientes honorant,
» ut eis aditum ad majores profectus aperiant. Eos quos probant increpa-
» tionem poſſe pati, caſtigant : & impatientes objurgationis ut languidos
» palpant : non eis adulando quod tales ſunt : ſed infirmitatibus talium com-
» patiendo, ſi fortè aliter ſanari non poſſunt.

Sed præcipuè apud Græcos indulgentia exhibebatur peccatoribus publicis, quorum multi pœnitentiâ ſecreta iuſtificati ſunt.

» Anaſtaſius Sinaïta ad finem orationis de ſancta Synaxi. Eſto, fra-
» trem tuum peccatorem eſſe, unde ceteras ejus actiones compertas habes?
» Nam multi crebrò reperiuntur, qui *palam peccarunt*; *ſed clam & occul-*
» *te magnam pœnitentiam egerunt*. Et nos quidem novimus quando peccant,
» at verò pœnitentiam & converſionem illorum ignoramus, & à nobis
» quidem judicantur peccatores, *apud Deum autem juſtificati ſunt*.
» Non igitur abſolutè neceſſaria eſt pœnitentia publica, à qua tot publi-
» cos peccatores Eccleſia exemit, propter multas varias rationes, quæ ſi
» in Patribus laudari debeant, ſaltem in Theodoro reprehendi non poſſunt,
» cujus ſanctitas & doctrina à Synodis toties prædicata eſt.

Digitized by Google

CAPUT IX.

Defenſio Redemptionum pœnitentiarum quas Ioannes Morinus vituperat; ac idcirco à Pœnitentiali Theodori & Romano abjudicat.

IOannes Morinus Lib. x. de adminiſtratione Sacramenti cap. xvi.
Tria nobis ſuperſunt de his pœnitentiarum Redemptionibus demon- «
ſtranda, quæ ſeparatim explicare viſum eſt. Quando in Eccleſia cœpit «
iſtud redemptionis genus; quando deſiit: & qua ratione imminuendis «
antiquis pœnitentiis occaſionem dedit. Primum, ex dictis capite præ- «
cedente facile colligitur: nullum enim teſtimonium octingentis & ali- «
quot annis antiquius protulimus, ideo multo tempore non poteſt hanc «
Epochen antecedere. Nullum certè occurrit unquam hujuſce rei teſtimo- «
nium niſi poſt annum Chriſti ſeptingenteſimum; raraque ſunt hujuſmodi «
teſtimonia donec attingas annum ſalutis nongenteſimum. Lege Caroli «
magni, Ludovici, Caroli Calvi capitularia, leges, concilia iis regnan- «
tibus celebrata nuſquam redemptionum pœnitentiæ mentio. Antiquiſſi- «
ma eſt Iſaaci Lingonenſis quam ex capitularibus dicit ſe excerpſiſſe, ſed «
nunc, ut opinor, canon ille in iis non extat. Quicquid ſit circum- «
ſtantiam peculiarem continet, quæ rectà redemptionem de qua agimus «
non ſpectat. Concilium Triburienſe propriè ad rem facit, ſed anno 895. «
celebratum eſt. Quæ antecedunt concilia ſub Carolinis Imperatoribus «
& regibus iſtorum non meminerunt. Objici poteſt Burchardum, Ivo- «
nem, & Pœnitentiale ab Antonio Auguſtino dictum Romanum nonnul- «
la capitula ex iſtis redemptionum pœnitentialium formulis velut ex Theo- «
doro Cantuarienſi Archiepiſcopo referre. &c. Poſtea refert teſtimonia «
ſynodi Clovelhoviæ in art. III. & IV. ex quibus ſic argumentatur: his «
conſideratis vix adduci poſſum, ut exiſtimem Theodorum Cantuarienſem «
iſtius redemptionis pœnitentialis eſſe auctorem. Nam huic concilio «
præerat Cuſbertus Theodori uno intermedio ſucceſſor, annumque quin- «
quageſimum primum aut alterum poſt Theodori obitum celebrabatur illa «
ſynodus. Quis credat Theodori ſucceſſorem Theodoro viro per totum «
orbem chriſtianum celeberrimo, tam facilè derogaſſe, illius conſtitutio- «
nes vellicaſſe, novitatis accuſaſſe, ceteroſque Epiſcopos unanimi con- «
ſenſu iſta probaſſe? Cum igitur prava iſta conſuetudine invaleſcente, «
aliqui ſcriptores ejuſmodi redemptionum leges Theodori pœnitentiali- «
bus inſeruiſſent, poſtea exemplaria ab iis deſcripta, & undique diſſemi- «
nata multis impoſuerunt, ut Theodori crederent eſſe qui ipſius ſcriptis «
infarta tantùm erant. Idem dicendum videtur de Romano pœnitentiali «
quem Halitgarius ante octingentos annos edidit, & libris ſuis de reme- «
diis peccatorum ultimo loco addidit. «

RESP.

Priuſquam rationes J. Morini expendamus, intelligere oportet, quænam ſint redemptiones pœnitentiarũ, quæ referuntur ab auctoribus ex pœnitentiali Theodori & Romano. Si quis attentè perlegerit eas, quas retulimus ſub nomine Theodori ex codice MS. & quæ leguntur in pœnitentiali Romano, nihil aliud eſſe agnoſcet, quàm commutationes cujuſdam generis pœnitentiæ in aliud: & quidem propter neceſſitatis caſum. Porro hæc pœnitentia ſemper valuit apud Dominum, qui nunquam id quod fieri non poteſt, juſſit. Mirum igitur, quòd J. Morinus affirmet nullum occurrere hujuſce rei teſtimonium, niſi poſt annum Chriſti ſeptingenteſimum: raraque eſſe ejuſmodi teſtimonia uſque ad annum ſalutis nongenteſimum: & ſynodum Clovelhoviæ illas redemptiones damnaſſe: ac propterea non poſſe ad pœnitentiale Theodori pertinere. Conſtat enim à ſynodo Clovelhoviæ tantùm damnatum fuiſſe abuſum redemptionum, ſcilicet quando eo licentiùs peccant, quo majores eleemoſynas largiuntur. Nam Patres ſic loquuntur can. XXVI. Et non ad hoc ſine dubio dandæ, ut quælibet vel minima ſaltem peccata, eo licentius cuiquam agere liceat, quò vel ipſe, vel alius quilibet pro eo eleemoſynas faciat. Quæ prorſus aliena ſunt à redemptionibus pœnitentiarum, quæ citantur ex pœnitentiali Theodori & Romano. Etenim non in illis redemptiones pœnitentiarum commendantur ad licentiùs peccandum, ſed ad faciliorem peccatorum remiſſionem obtinendam: non ad mutandas abſque ulla neceſſitate pœnitentiæ pœnas jure canonico indictas; ſed tantùm propter neceſſitatis caſum, quum pœnitentia aliter peragi non poteſt; & ſecundùm canones, qui permittunt Epiſcopo eas augere aut imminuere, prout præſens rerum ſtatus exegerit.

Verum quoquomodò res accipiatur ſive pro bono aut malo uſu: J. Morinus non veram attigit Epochem. Si intelligatur malus uſus, longo antè tempore Patres antiqui eum redarguerant. Lactantius lib. VI. de vero cultu cap. XIII.
„ ro cultu cap. XIII. Quoties igitur rogaris, tentari te à Deo crede, an
„ ſis dignus exaudiri. Circumſpice conſcientiam tuam, & quantum potes,
„ medere vulneribus; nec tamen quia peccata largitione tolluntur, *dari*
„ *tibi licentiam peccandi putes.* Abolentur enim, ſi Deo largiare, quia pec-
„ caveras. Nam *ſi fiducia largien li pecces, non abol ntur.*
„ Auguſtinus lib. XXI. de civitate Dei ad Marcellinum cap. XXVII. ut autem
„ quotidiana ſibi opinentur, quæ facere omnino non ceſſant, qualiacun-
„ que & quantacunque ſint *per eleemoſynas dimitti poſſe peccata*, orationem
„ quam docuit ipſe Dominus, & ſuffragatricem ſibi adhibere conantur &
„ teſtem. &c. Qualiacunque ergo vel quantacunque, ſint, etiamſi quo-
„ tidie perpetrantur, nec ab eis vita diſcedat in melius commutata, per elee-
„ moſynam veniâ non negatâ remitti ſibi poſſe præſumunt. Sed bene, quòd
„ iſti dignas pro peccatis commonent eleemoſynas eſſe faciendas, quoniam

ſi

Digitized by Google

ſi dicerent qualeſcumque eleemoſynas pro peccatis & quotidianis, & magnis, & quantacunque ſcelerum conſuetudine miſericordiam poſſe impetrare divinam, ut ea quotidiana remiſſio ſequeretur, viderent rem ſe dicere abſurdam atque ridiculam. Sic enim cogerentur fateri fieri poſſe, ut opulentiſſimus homo decem nummulis diurnis in eleemoſynas impenſis homicidia, & adulteria, & nefaria quæque facta redimeret &c. Propter hoc ergo eleemoſynæ faciendæ ſunt, ut cum de præteritis peccatis deprecamur, exaudiamur, non ut in eis perſeverantes, licentiam malefaciendi nos per eleemoſynas comparare credamus.

Cæſarius Arelatenſis in homilia XVII. Eleemoſynas dando alienam carnem paſcimus, & crimina committendo noſtram animam jugulamus. Et ideo ſicut frequenter admonui, ſic pro majoribus peccatis eleemoſynas demus, ut nunquam ad ipſa crimina redeamus.

Eligius Noviomenſis in homilia VIII. Ille verò qui ſuprà dicta mala in corde ſervat, & credit ſe multa eleemoſynis peccata ſua poſſe redimere: audiamus de eo Dominum in Evangelio dicentem: ſi offers munus tuum ad altare, & ibi recordatus fueris quia frater tuus habet aliquid adverſum te, relinque ibi munus tuum ante altare, & vade priùs reconciliari fratri tuo, & tunc veniens offeres munus tuum. Sententia iſta evidenter oſtendit, quod ſacrificium offerre vel eleemoſynas facere nihil proderit, niſi prius reconciliatio præceſſerit inimici. Itaque patres qui tempora à J. Morino præfinita præceſſerunt, abuſum redemptionum pœnitentiarum damnarunt.

Nunc verò ſi redemptiones pœnitentiarum, quales leguntur ſub nomine Theodori & in pœnitentiali Romano, accipiantur ſicut accipi debent pro commutationibus quorumdam pœnitentiarum generum, in quædam alia faciliora, nempe perfectam cordis converſionem, eleemoſynas, orationem &c. & quidem propter neceſſitatis caſum: hæc pœnitentiarum genera antiquiſſima eſſe, & vera quæ in ſcripturis ſanctis ubique celebrantur, atque proinde eſſe præcipua & præſtantiora, quibus peccata facilius remittuntur, ſic manifeſtiſſimè declarant antiqui patres.

Origenes in homilia II. ſuper Leviticum: Audi nunc quantæ ſint remiſſiones peccatorum in Evangeliis. Eſt iſta prima, qua baptizamur in remiſſionem peccatorum. Secunda remiſſio eſt in paſſione martyrii. Tertia eſt quæ pro eleemoſyna datur. Dicit enim Salvator: Verumtamen date eleemoſynam, & ecce omnia munda ſunt vobis. Quarta nobis fit remiſſio peccatorum, per hoc quód & nos remittimus peccata fratribus noſtris. Sic enim dicit ipſe Dominus & Salvator noſter quia ſi dimiſeritis fratribus veſtris ex corde peccata ipſorum, & vobis remittet pater veſter peccata veſtra. Quod ſi non remiſeritis fratribus veſtris ex corde, nec vobis remittet pater veſter: & ſicut in oratione nos dicere docuit: remitte nobis debita noſtra, ſicut & nos remittimus debitoribus noſtris. Quinta peccatorum remiſſio eſt, cum converterit quis peccatorem ab errore viæ ſuæ. Ita

Septem remiſſiones peccatorum.

„ enim dicit ſcriptura divina, quia qui converti fecerit peccatorem ab er-
„ rore viæ ſuæ, ſalvat animam ejus a morte, & cooperit multitudinem pec-
„ catorum. Sexta quoque fit remiſſio per abundantiam charitatis, ſicut &
„ ipſe Dominus dicit. Amen dico tibi, remittuntur ei peccata multa, quo-
„ niam dilexit multum: & Apoſtolus dicit, quoniam charitas cooperit mul-
„ titudinem peccatorum. Eſt adhuc & ſeptima licet dura & laborioſa, per
„ pœnitentiam remiſſio peccatorum, cum lavat peccator in lacrymis ſtra-
„ tum ſuum. Sed iſta omnia requiri forſan dicit aliquis: at qui hoc objicit,
audiat Joannem Chryſoſtomum.

Joannes Chryſoſtomus in homilia quæ inſcribitur IX. de pœnitentiâ:
„ Quidnam id eſt? de pœnitentiâ ſermonem inſtituimus, ac diximus, quod
„ multæ variæque ſunt pœnitentiæ viæ, quibus facilis nobis ſalus fiat.
Plures pœniténtiæ viæ faciles. „ *Nam ſi unam nobis dediſſet, repuliſſemus eam utique, dicentes: nequimus*
„ *hanc ingredi, ſalvari nequimus. Nunc ipſam hanc tuam amputans ob-*
„ *jectionem, non unam tibi, neque ſecundam, neque tertiam, ſed plures ac di-*
„ *verſas dedit, quò multitudine tibi ad cœlum facilis aſcenſus fiat.* Et dice-
„ bamus facilem eſſe pœnitentiam, neque onus in ea: peccator es, Eccle-
„ ſiam ingredere: dic peccavi, & ſolviſti peccatum. Produximus peccan-
„ tem David, & ſolventem peccatum. Hinc ſecundam ſubjecimus viam,
„ ſuper peccatum flere, & diximus: quiſnam hic labor? non pecuniam opus
„ effundere, non longas ire vias, nec tale quid dicere, ſed peccatum flere
„ duntaxat. Hoc de ſcripturâ induximus, quod in Achab Deus conſi-
„ lium mutarit; eo quod fleverit, quod mœſtus fuerit, peccatum ipſi di-
„ miſit, atque hoc ipſe dicebat Heliæ. Vidiſti ut inceſſerit Achab coram
„ me flens, & contriſtatus: non faciam ſecundum iram meam. Hinc ter-
„ tiam dedimus pœnitentiæ viam, ac de Scriptura Phariſæum duximus in
„ medium, ſimul & publicanum: quod Phariſæus quidem ſuperbè elatus,
„ à juſtitia excidit: Publicanus humilibus conſentiens, fructum juſtitiæ
„ ſuſcepit, neque ullo ſub labore preſſus juſtificatus eſt; verba dedit, res
„ accepit. Age ergo cœptum ſequamur, & quartam proferamus viam.
„ Et quænam ea eſt? eleemoſyna, regina illa virtutum, homines celerrimè
„ ipſorum in cœlorum axes adducit, advocati optimi loco fungens. Et
„ paulò infrà: Propterea & *multas vias alias pœnitentiæ diverſas dedit, quò*
„ *nobis omnem deſidiæ occaſionem amputet. Nam ſi unam haberemus ſolam,*
„ *hâc vadere nequiremus*, mucronem hunc diabolus ſemper fugit. Peccaſti,
„ Eccleſiam ingredere, atque tuum dele peccatum. Quoties cecideris
„ in foro toties exurgis: ſic quoties peccaveris, peccati pœniteat, ne-
„ que deſperes. Tametſi ſecundò peccaveris, ſecundò pœniteat, neque
„ animo conſternatus à ſpe repoſitorum bonorum cadas. Quamvis in extre-
„ ma canitie peccaveris, ingredere, pœnitentiam age: medicinæ locus eſt
„ hic non judicii, *non pœnas exigens, ſed peccatorum remiſſionem tribuens.*
„ *Deo ſolum dic peccatum tuum.* Habes & aliam pœnitentiam haud diffici-
„ lem, ſed omninò accommodatiſſimam: qualem? hanc, defle ſuper pecca-
„ tum tuum, idque ex ſacris docetur Evangeliis.

Digitized by Google

S. Auguſtinus lib. II. contra Creſconium Grammaticum cap. XII. Mundantur & verbo veritatis ab illo qui ait, jam vos mundi eſtis, propter verbum quod locutus ſum vobis. Mundantur & ſacrificio contriti cordis ab illo de quo dictum eſt: ſacrificium Deo ſpiritus contribulatus, cor contritum & humiliatum Deus non ſpernit. Mundantur & eleemoſynis ab illo qui ait: date eleemoſynam, & ecce omnia munda ſunt vobis. Mundantur ipſâ, quæ ſupereminet omnibus, charitate ab illo qui per Apoſtolum Petrum dixit: charitas cooperit multitudinem peccatorum; quæ una ſi aſſit, omnia illa rectè fiunt: ſi autem deſit illa, omnia fruſtrà fiunt.

Caſſianus J. Chryſoſtomi diſcipulus in collatione XX. cap. VIII. Poſt illam namque generalem baptiſmi gratiam, & illud pretioſiſſimum martyrii donum, quod ſanguinis ablutione conquiritur, multi ſunt pœnitentiæ fructus, per quos ad expiationem criminum pervenitur. Non enim ſimplici illo pœnitentiæ nomine ſalus æterna repromittitur, de quo beatus Apoſtolus Petrus, Pœnitemini, inquit, & convertimini ut deleantur peccata veſtra. Et Johannes Baptiſta, vel ipſe Dominus: pœnitentiam agite, appropinquabit enim regnum cœlorum. Sed etiam per charitatis affectum peccatorum moles obruitur: charitas enim operit multitudinem peccatorum. Similiter etiam per eleemoſynarum fructum vulneribus noſtris medela præſtatur: quia ſicut aqua extinguit ignem, ita eleemoſyna extinguit peccatum. Ita etiam per lacrymarum profuſionem, conquiritur ablutio peccatorum. Lavabo enim per ſingulas noctes lectum meum, lacrymis meis ſtratum meum rigabo. Denique ſubjungit, oſtendens eas non inaniter fuiſſe profuſas, Diſcedite, inquiens, à me omnes qui operamini iniquitatem, quoniam exaudivit Dominus vocem fletus mei. Nec non per criminum confeſſionem eorum abolitio conceditur: Dixi enim, ait, pronunciabo adverſum me injuſtitiam meam Domino, & tu remiſiſti impietatem peccati mei. Et iterum: Narra tu iniquitates tuas primus ut juſtificeris. Per afflictionem quoque cordis & corporis, admiſſorum ſcelerum remiſſio ſimiliter obtinetur. Nam vide, inquit, humilitatem meam & laborem meum & dimitte omnia peccata mea. Præcipueque per emendationem morum: Auferte, inquit, malum cogitationum veſtrarum ab oculis meis, quieſcite agere perverſè, diſcite benefacere, quærite judicium, ſubvenite oppreſſo, judicate pupillo, defendite viduam, & venite & arguite me dicit Dominus. Etſi fuerint peccata veſtra ut coccinum, velut nix dealbabuntur; & ſi fuerint rubra quaſi vermiculus, velut lana alba erunt. Interdum etiam interceſſione ſanctorum impetratur venia delictorum. Qui enim ſcit fratrem ſuum peccare peccatum ad mortem, petat & dabit ei vitam Deus peccanti non ad mortem. Et iterum: infirmatur quis ex vobis, inducat preſbyteros Eccleſiæ & orent ſuper eum, ungentes eum oleo in nomine Domini, & oratio fidei ſalvabit infirmum, & allevabit eum Dominus: & ſi in peccatis ſit, dimittetur ei. Nonnunquam etiam miſericordiæ ac fidei merito labes excoquitur

Variæ redemptiones penitẽtiatum.

» vitiorum, ſecundùm illud: per miſericordiam & fidem purgantur pecc-
» cata. Per converſionem plerumque & ſalutem eorum qui noſtris monitis
» ac prædicatione ſalvantur. Quoniam qui converti fecerit peccatorem ab
» errore viæ ſuæ, ſalvat animam ejus à morte, & operit multitudinem pec-
» catorum. Per indulgentiam nihilominus & remiſſionem noſtram, ad indul-
» gentiam noſtrorum facinorum pervenitur: ſi enim dimiſeritis hominibus
» peccata eorum, dimittet & vobis pater veſter cœleſtis delicta veſtra. Vi-
» detis ergo quantos miſericordiæ aditus patefecerit clementia Salvatoris,
» ut nemo ſalutem cupiens, deſperatione frangatur, cum videat ſe tan-
» tis ad vitam remediis invitari. Si enim pro infirmitate carnis afflictione
» jejuniorum abolere te peccata non poſſe cauſaris, nec potes dicere: ge-
» nua mea infirmata ſunt à jejunio, & caro mea immutata eſt propter
» oleum: quia cinerem tanquam panem manducabam, & poculum meum
» cum fletu miſcebam: eleemoſynarum *ea redime largitate*. Indigenti ſi non
» habes quod impartias (licet nullum ab hoc opere neceſſitas inopiæ ac pau-
» pertatis excludat, quandoquidem & illius viduæ duo tantùm æra in-
» gentibus divitum muneribus præferuntur, & pro calice aquæ frigi-
» dæ mercedem ſe redditurum Dominus repromittit) certe, *abſque il-*
» *lis morum poteris emendatione purgari*. Quod ſi perfectionem
» virtutum extinctione vitiorum omnium non potes adipiſci, ſollicitudi-
» nem piam erga utilitatem alienæ ſalutis impende. Si autem te idoneum
» huic miniſterio non eſſe conquereris, operire peccata poteris charitatis af-
» fectu. In hoc quoque ſi te fragilem fecerit quælibet mentis ignavia, ora-
» tione ſaltem atque interceſſione ſanctorum remedia vulneribus ſuis
» humilitatis affectu ſubmiſſus implora. Poſtremò quis eſt *qui non*
» *poſſit ſuppliciter dicere, peccatum meum cognitum tibi feci, & injuſti-*
» *tiam meam non operui? Ut per hanc confeſſionem etiam illud confidenter*
» *ſubjungere mereatur, & tu remiſiſti impietatem cordis mei*. Quòd ſi verecun-
» dia retrahente revelare coram hominibus erubeſcis, illi quem latere non
» poſſunt confiteri ea jugi ſupplicatione non deſinas, ac dicere, Iniquita-
» tem meam ego cognoſco, & peccatum meum contra me eſt ſemper, tibi
» ſoli peccavi, & malum coram te feci, qui & abſque illius verecundiæ pu-
» blicatione curare, & ſine improperio peccata donare conſuevit. Poſt
» iſtud quoque tam promptum certumque ſubſidium, aliud quoque adhuc
» facilius largita eſt nobis divina dignatio, ipſamque remedii opem noſtro
» commiſit arbitrio, ut indulgentiam noſtrorum ſcelerum pro noſtro præſu-
» mamus affectu, dicentes ei: Dimitte nobis debita noſtra, ſicut & nos di-
» mittimus debitoribus noſtris.

Quare tot variæ redemptiones.

De iis qui non poſſunt quoddam pœnitentiæ genus adimplere.

» Cæſarius Arelatenſis in homilia IX. Conſiderate, fratres cariſſimi &
» videte quia nulla excuſatio nobis poteſt remanere, per quam dicamus pec-
» cata noſtra non potuiſſe redimere. Potes forſitan dicere, quod carnem
» tuam jejuniis ac vigiliis non poſſis affligere, à vino vel à carnibus non va-
» leas abſtinere: nunquid potes dicere, quod ea quæ tibi, ampliùs quàm o-
» pus erat, Deus dedit, non poſſis pro peccatis tuis pauperibus erogare?

Digitized by Google

Eſt adhuc aliud genus eleemoſynarum, de quo poſſumus ſine ullo labore peccata redimere noſtra. Si enim aliquis ita ſit pauper, ut nec aurum habeat, nec frumentum, nec vinum vel oleum, unde corporalem eleemoſynam faciat: quia non poteſt fieri, ut aliquibus hominibus non patiatur injuriam, toto corde omnibus inimicis indulgeat, & nullum peccatum remaneat, quod ejus conſcientiam mordeat, & ſecurus in oratione Dominica dicat: dimitte nobis debita noſtra ſicut & nos dimittimus debitoribus noſtris. Et implebitur in eo illud, quod Chriſtus in Evangilio promittere dignatus eſt, dicens: ſi dimiſeritis hominibus peccata eorum, dimittet vobis pater veſter cœleſtis peccata veſtra. Et illud: date & dabitur vobis, dimittite & dimittetur vobis. &c. Ecce dixiſti te nec abundanter frumenta colligere, unde victum aut veſtitum poſſis pauperibus dare, nec injuriam ſuſtinere, quas inimicis debeas indulgere: Et ideo dubitas quòd non habeas unde poſſis peccata tua redimere. Accipe ergo, & fideliter præclarum ac præcipuum tertium genus eleemoſynarum. Sit vitæ bona voluntas: omnes homines dilige ſicut teipſum: pro omnibus ora: & hoc illis deſidera quod & tibi: & clamatur tibi ab Angelis: pax hominibus bonæ voluntatis. Et quia bona voluntas, ipſa eſt charitas: ſi illam habere volueris, impletur in te quod ſcriptum eſt: charitas operit multitudinem peccatorum. Agnoſce ergo *quia ſublata eſt omnis excuſatio peccatorum vel contradictio tua. Non enim poteris dicere, quod bonam voluntatem habere non poſſis*, quia poteſt fieri quod non velis: nunquam tamen probare poteris quod non poſſis. Et ideo beneficia & tam præclara medicamenta Domini & Salvatoris noſtri non negligenter, ſed fideliter accipere, & cuſtodire cum ipſius adjutorio laboremus: ut non ſolùm indulgentiam peccatorum accipere, ſed etiam ad æterna mereamur præmia pervenire.

In homilia XXXVIII. Prima remiſſio eſt peccatorum, qua baptizamur in aqua, ſecundum illud quod ſcriptum eſt: Niſi quis renatus fuerit ex aqua & ſpiritu non poteſt videre regnum Dei. Secunda remiſſio eſt charitatis affectus, ut eſt illud: remittuntur ei peccata multa, quia dilexit multū. Tertia remiſſio, eſt eleemoſynarum fructus, ſecundùm hoc: ſicut aqua extinguit ignem, ita eleemoſyna extinguit peccatum. Quarta remiſſio, profuſio lacrymarum, Domino dicente: quia flevit in conſpectu meo, & ambulavit coram me triſtis, non inducam malum in diebus ejus. Quinta remiſſio eſt criminum confeſſio, Pſalmiſta atteſtante: Dixi, confitebor adverſum me injuſtitiam meam Domino, & tu remiſiſti impietatem peccati mei. Sexta remiſſio, eſt afflictio cordis & corporis Apoſtolo conſolante: Dedi hujuſmodi hominem ſatanæ in interitum carnis, ut ſpiritus ſalvus fiat in die Domini noſtri Jeſu Chriſti. Sptima remiſſio, eſt emendatio morum, hoc eſt abrenunciatio vitiorum, Evangeliſta teſtante: Jam ſanus factus es, noli ultra peccare: ne quid tibi deterius contingat. Octava remiſſio eſt, interceſſio ſanctorum, ut eſt illud: ſi quis infirmatur, inducat preſbyteros Eccleſiæ & orent pro eo. Et multùm valet apud Do-

Digitized by Google

» minum oratio juſti aſſidua. Nona remiſſio eſt, miſericordia fidei me-
» ritum, ſecundùm hoc, beati miſericordes, quoniam ipſi miſericordiam
» conſequentur. Decima remiſſio, ſalus aliorum Jacobo Apoſtolo affir-
» mante: qui converti fecerit peccatorem ab errore vitæ ſuæ, ſalvabit a-
» nimam ejus à morte, & cooperiet multitudinem peccatorum. Undeci-
» ma remiſſio eſt, indulgentia & noſtra remiſſio, veritate permittente:
» Dimittite, & dimittetur vobis. Duodecima remiſſio eſt, paſſio martyri,
» ſpe unica ſalutis & indulgentiæ, & latroni cruento, reſpondente Domi-
» no, amen dico tibi, hodie mecum eris in paradiſo.
» Eligius Noviomenſis in homilia IV. Si enim inter vos aliqui ſunt, quod
» abſit, qui ſe huc uſque pœnitentiam agere ſimulaverint potius quàm verè
» egerint; neque iſtis de Dei miſericordia deſperandum eſſe dicimus, ſi
» hodie etiam ad ipſum ſaltem ex toto corde convertantur, apud quem nul-
» las patitur moras vera converſio, dicente Spiritu Dei per Prophetam: Cum
» converſus ingemueris, tunc ſalvus eris: Et alibi, dic tu iniquitates tuas
» prior, ut juſtificeris: Itemque, quia apud Dominum miſericordia ejus, &
» copioſa apud eum redemptio. Denique multiplex miſericordia ejus, ad
» expiationem criminum, multiplices fructus nobis pœnitentiæ contulit: non
» enim tantùm ſimplici illo pœnitentiæ nomine ſalus æterna repromittitur,
» de quo Apoſtolus Petrus: pœnitemini igitur & convertimi ut deleantur
» peccata veſtra. Et Joannes Baptiſta, pœnitentiam agite, appropinqua-
» bit enim regnum cœlorum. Sed etiam fit abſolutio peccatorum per chari-
» tatis affectum, per eleemoſynarum fructum, per profuſionem lacryma-
» rum, per confeſſionem criminum, per cordis & corporis afflictionem;
» præcipueque per morum emendationem: interdum etiam per ſanctorum
» interceſſionem, per indulgentiam quoque ac remiſſionem noſtram qua pec-
» cantibus in nos dimittimus: quibus omnibus modis aboleri poſſe pec-
» cata, divina teſtis eſt Scriptura. Cum ergo indulgentiæ aditus nobis
» ſalutares, Dei noſtri potentia ineffabilis patefecerit: quis miſer miſericor-
» diam & ſalutem deſiderans, deſperatione aliqua frangatur, cùm ad ve-
» niam, etiam multiplicibus remediis invitetur?

Redemptiones igitur pœnitentiarum quales leguntur ſub nomine Theodori, & in pœnitentiali Romano, optimæ ſunt & antiquiſſimæ, quas utpote Patres antiqui in ſcripturis ſanctis ubique eſſe probatas oſtendunt. Quare à vero multùm aberravit J. Morinus qui eas vituperat, & contendit de iis nullum teſtimonium octingentis & aliquot annis antiquius proferri poſſe. Etſi ergo redemptiones pœnitentiarum ſub nomine Theodori ſolummodo retulerim, non affirmando ad ipſius pœnitentiale pertinere: attamen rationes quibus J. Morinus ad id negandum utitur, nullius eſſe ponderis, merito quidem ac jure concludere poſſum.

Digitized by Google

CAPUT X.

Demonſtratur, à Ioanne Morino non certas rationes, & veras cauſas pœnitentialis Theodori expoſitas fuiſſe.

NUnc proponamus quænam ſint rationes & cauſæ à J. Morino allatæ de pœnitentiali Theodori Archiepiſcopi Cantuarienſis. Verùm, inquit in appendice lib. de pœnitentia, in Oriente & Occidente temporibus adnotatis, mutata diſciplinâ res aliter ſe habuit. Tum enim criminum quorumcunque occultorũ pœnitentia ſecretò impoſita eſt, & ea ſecretò peracta, ſecretò quoque reconciliatio facta eſt. Ideo etiam pœnitentiæ iſtius canonicæ impoſitio, & canonica poſt peractam illam pœnitentiam abſolutio quibuſque preſbyteris permiſſa fuit. Ab eo tempore judicatum eſt canones non ſufficere, ſed libellos eſſe componendos in quibus unicuique peccato conveniens eſſet aſſignata pœnitentia: in canonibus ad hunc finem multa ſupereſſe, multa deeſſe. Superſunt canones; plurimi ſcilicet qui de pœnitentiis criminibus imponendis verba non faciunt, quorum numerus alium longè ſuperat. Sed in iis longè plura deſunt. 1. Canones ſæpe de uno & eodem crimine diverſimode definiunt: diverſitas autem iſta ſimplices preſbyteros ad quos privata illa pœnitentiæ impoſitio pertinet, facile perturbat. Deinde incommodum eſt, & bono regimini adverſum crimina in eadem provincia diverſis modis puniri, his hunc canonem ſequentibus, iſtis alium. 2. Nonnumquam canones ſimplicibus preſbyteris obſcuri ſunt, ideo clariori expreſſione indigent. 3. Canones modum rituſve confeſſionis edendæ, pœnitentiæque imponendæ, & reconciliationis præſtandæ non ediſſerunt. 4. Admonitiones & exhortationes confitentibus faciendas, eorumque de virtutibus & vitiis inſtructionem non continent. 5. Sunt multa crimina ſpecialia quibus canones pœnitentiam non imponunt, quorum tamen pœnitentiam viſum eſt multis Epiſcopis non eſſe ſimplicium preſbyterorum arbitrio committendam. Itaque poſtquam criminum omnium occultorum pœna quibuſlibet presbyteris conceſſa eſt, libelli pœnitentiales præter canones conditi ſunt, in quibus hæc omnia diſtinctè in ſimplicium preſbyterorum gratiam & neceſſariam inſtructionem enarrabantur, ut pœnitentiarum imponendarum officio defungi poſſent. Antea autem id non erat ita neceſſarium, eo quòd plurium iſtorum criminum pœnitentiæ eſſent publicæ, & ab Epiſcopis primariiſque ſacerdotibus impoſitæ, qui facilè poterant quæ canonibus deerant, ſupplere. Iſtorum libellorum pœnitentialium in Occidente tres fuerunt celeberrimi. Omnium primus eſt Theodori Cantuarienſis Archiepiſcopi.

Fundamentum præcipuarum rationum J. Morini, propoſitio eſt, cujus falſitatem ſuprà tota Patrum traditione uſque ad Theodorum deductâ

demonſtravimus. Fundamento igitur jam everſo, præcipuæ quoque rationes corruunt. Quocirca non conſtat mutatâ diſciplinâ reconciliationem, & abſolutionem quibuſlibet preſbyteris eſſe permiſſam; imò contrarium legitur in pœnitentiali his verbis: » Reconciliatio pœnitentium in » cœna Domini tantum eſt ab Epiſcopo & conſummatâ pœnitentiâ. Si » verò Epiſcopo difficile ſit, preſbytero poteſt neceſſitatis causâ præbere » poteſtatem ut impleat. Quam diſciplinam & cum præcedenti & ſubſequenti omnino convenire, certiſſimis teſtimoniis in Notis declaravimus. Denique diverſitas diſciplinæ, quâ J. Morinus exiſtimavit ſimplices preſbyteros poſſe facilè perturbari, non ea eſt ratio quæ Theodorum movit ad pœnitentiale ſuum componendum; cùm è contra variam totius Eccleſiæ tam Orientalis, quàm Occidentalis proponat.

Quæ omnia adverſus J. Morinum, cujus etſi variam multiplicemque eruditionem non poſſum non ſuſpicere, notanda tamen judicavi ſolo veritatis amore impulſus, & ſtudio gloriæ Theodori Archiepiſcopi Cantuarienſis, à quo, quantùm potui, omnem amovi novitatis ſuſpicionem.

AD POENITEN-

Digitized by Google

AD POENITENTIALE THEODORI

SANCTISSIMI AC DOCTISSIMI ARCHIEPISCOPI CANTUARIENSIS

OBSERVATIONES ET NOTÆ.

CAPUT PRIMUM.

De Eccleſia, vel de iis quæ intus geruntur.

SACRIFICARE NON LICET. Ne infidelibus, aut paſ- I.
ſivis corporibus honos martyrum deferatur. Quod vetant Patres Concilii Carthaginenſis nomine primi ſub Julio celebrati c. 11. his verbis: Martyrum dignitatem nemo profanus infamet, neque ad paſſiva corpora, quæ ſepulturæ tantùm propter miſericordiam Eccleſiaſticam, commendari mandatum eſt, redigat, ut aut inſaniâ præcipitatos, aut aliquo tali pacto, aut aliâ ratione peccati disjunctos, non ratione vel tempore competen-

In Eccleſia ubi paſſiva corpora ſepeliuntur, ſacrificare non licet.

ti, quo martyria celebrentur, Martyrum nomine appellet. &c. Hoc idem prohibent patres Concilii Bracharenſis II. c. XVIII. Martini Bracharenſis capitula cap. LXVIII. Synodus incerti loci, quam v. cl. J. Sirmondus Concilio Pariſienſi ſubjectam reperit, can. II. Concil. Nanneten. c. VI. Synodus S. Patricii c. XXIII. S. Gregorius in epiſtola de expoſitione diverſarum ad Auguſtinum in reſponſione ad interrogationem IX. Excerptiones Egberti Eboracenſis Archiepiſcopi c. IX. LII. quem citat ex canone Epaonenſi LVI. Vide lib. I. capitul. c. CLIX. lib. II. c. XLVII. Concil. Arelatenſe VI. c. XXI. Theodulfi Epiſcopi Aurelianenſis capit. XI. Concil. Moguntiac. c. LII. in quibus illud idem ob eandem rationem prohibetur.

II. Cur hæc altaria evertantur.

INDE EVULSA. Quare hæc altaria vulgò evertebantur; ſicut patet ex » Concilio Carthaginenſi nomine quinto c. XIV. Ab Epiſcopis qui eiſdem » locis præſunt, ſi fieri poteſt, evertantur. Si autem hoc propter tumultus » populares non ſinitur, plebes tamen admoneantur, ne illa loca frequen» tent; ut qui rectè ſapiunt, nulla ibi ſuperſtitione devincti teneantur. Iſte canon refertur in integro codice canonum Eccleſiæ Africanæ c. LXXXIII. atque in capit. Aquiſgranenſi XLII. Et ſatis repeti non poteſt, ut qui rectè ſapiunt, nullo ſuperſtitionis errore devincti teneantur. De everſione horum altarium egregium Martini exemplum nobis ſuppeditat Sulpitius » Severus in libro ejus hiſtoriæ cap. VIII. atque ita, inquit in fine capitis, » populum ſuperſtitionis illius abſolvit errore.

III. Reædificantur.

SED SI APTA VIDETUR AD CONSECRANDUM. &c. REÆDIFICETUR. Etiam templa deorum poſtquam demolita fuerant, Chriſtiani in Eccleſiam Dei commutabant. Quod teſtatur Sozomenus lib. VI. hiſtor. cap. XX. Aliquando tanta execratione exoſa habebant, ut pollutionem eorum purgabilem non putarent, & ſanctis uſibus applicare deſpicerent, ſicut loquuntur Patres Concilii Epaonenſis can. XXXIII. Quandoque verò non diruebant, ſed » Deo in honorem cujuſdam martyris conſecrabant. Cum verò, inquit, S. » Auguſtinus in epiſtola CLIIII. in uſus communes non proprios ac privatos, » vel in honore Dei veri convertuntur, hoc de illis fit, quod de ipſis ho» minibus, cum ex ſacrilegis & improbis in veram religionem mutantur. Cujus rei inſigne exemplum extat apud Evagrium lib. I. hiſt. cap. XVI. qui refert de Theodoſio, ut Ignatium divinum martyrem majoribus afficeret honoribus, templum jam olim dæmonibus dicatum, quod indigenæ templum fortunæ nuncupabant, in ipſius honorem conſecraſſe. Hinc diſcimus multùm tempori conſulendum, atque hoc unum ſpectandum quod omne ſcandalum removet, & ædificationi plurimorum inſervit.

Deſpiciuntur. Conſecrantur.

IV. Quando liceat in eccleſia nondum dedicata ſynaxim habere.

SI HÆC CONSECRATA PRIUS FUIT. Athanaſio quaſi capitale crimen objiciebatur, quòd in Eccleſia, quæ nondum dedicata fuerat, ſynaxim habuiſſet. Sed exemplis ſuorum patrum, ac teſtimoniis ſcripturæ, illud » crimen facilè diluit in ſua ad Imperatorem Conſtantium apologia. Ce» terum, inquit, quia de magna Eccleſia crimen concinnant, quòd ibi ſy» naxis habita ſit priuſquam dedicaretur, age, etiam ea de re tuæ pietati

Digitized by Google

reſponſum demus: eo enim nos trahunt illi qui in nos odia congerunt. Factum eſt, agnoſco. Deinde exempla Patrum proponit. Præſertim quum non ignorarem iſtiuſmodi exempla apud Patres ſupereſſe, beatæ ſiquidem memoriæ Alexander, quum alia loca anguſta eſſent, in Eccleſia majore Iheone quam ædificabat, ſynaxes celebrari voluit. Id enim habebat hominum frequentia, nec in cogendo populo reſpexit, eam nondum exædificatam eſſe. Quinimo frater tuus beatæ memoriæ in hujuſmodi templo, quum Aquileiæ Synaxis haberetur, ipſe quoque eò ſe contulit: ita nimirum & ego quoque feci. Denique ipſiſmet Chriſti verbis hoc à ſe rectè factum ſic probat. Supereſt igitur, ut anticipem, in quod ille dentem figere poſſet. Objicit in ſuis calumniis, opus nondum dedicatum fuiſſe, ac proinde illegitimè ibi preces conceptas. Dominus tamen in contrarium præcipit: quum dicit, tu autem quum orabis, ingredieris in penetralia tua, & occludes fores tuas. Quid mihi ergo loquitur calumniator? vel quid potius prudenter, & verè Chriſtiani dicant? attendendum eſt, hos tibi conſulendos, interrogandos puta, non autem obtrectatores; cùm de iis ſcriptum ſit, Stultus tibi ſtulta loquetur: de iſtis autem præcipiatur, Ab omni ſapiente accipe conſilium. Sublata tamen neceſſitate, rationem loci, in quo ſynaxis habetur, non eſſe negligendam docet S. Baſilius de baptiſmo cap. VIII. Nobis quoque periculum male obiti mandati, ſi loci rationem neglexerimus; maximè ſi ſacerdotii myſteria in locis profanis celebraverimus: propterea quód ea res judicium haberet contemptus in celebrante, offendiculum quoque generaret pro varietate affectionum, & propter variam multorum in rerum divinarum ſcientia infirmitatem, διὰ τὴν τῶν πολλῶν ἐν τῇ γνώσει διάφορον ἀσθένειαν. Etenim cùm eſſent Chriſtiani pleni gratia & fortitudine, ut ait Joannes Chryſoſtomus in homilia XXXIV. in Matthæum domus ipſæ his priſcis temporibus Eccleſiæ erant. Sed frigeſcente charitate, & ſpectata plurimorum infirmitate à patribus ſancitum eſt, in Eccleſia non offerri, antequam conſecraretur. Vide ſynodum S. Patricii c. XXIII. Excerptiones Egberti Eboracenſis c. IX. capitul. l. VI. c. CCCVII. Concil. Triburienſe c. IV. cujus verba habentur in concilio Moguntino ſub Arnulpho c. IX. Plura jam de conſecratione Eccleſiæ ſuprà retulimus ex variis codicibus Mss. quibus iſtud primum caput Pœnitentialis exponitur. Hîc quoque non erit alienum addere quæſtiones, quas Petrus Cantor movet de eadem materia in libro de Sacramentis.

Exempla patrum.

Teſtimonia ſcripturæ.

Cur ratio loci non negligenda.

Maximè propter infirmos.

R 3

Selecta ex cap. XXXIII. Codicis Ms. de Sacramentis Petri Cantoris Pariſienſis.

QUæritur quid ſit quod dicit Epiſcopus, Ungo te, ad baſilicam ex inſenſatis lapidibus conſtructam. R. quod hic eſt ſenſus verborum, Per te ſignifico fidelium Eccleſiam unctam in ſacramento fidei, & in futuro plenius inungendam. Quæritur etiam quid ſit, quod dicitur, Sit hæc domus firmiter ædificata, cùm fortè ſtructura ipſa muralis ſit in brevi ruitura. R. quod hoc refertur ad illam ſpiritalem Eccleſiam, quæ per illam intelligitur. Quæritur etiam, utrum ex unctione ſacramentali & multiplici benedictione, quæ fit in dedicando, veluti cùm oratur, ut quicumque locum illum aliquid petiturus ingreditur, cuncta ſe impetrare lætetur; locus ille aliquam ſortiatur efficaciam, & aliquem gratiæ cumulum, ut conferat aliquid orantibus in eo, ſcilicet vel majorem devotionem & promptiorem precum exauditionem. Nonne in alio loco poterit quis ex pari charitate, & devotione orare? Quare ergo non habebit æqualem affectum ejus oratio?

Sæpius hic autor ſuas propoſitiones non deſolvit.

Ex cap. XXXIV. de cauſis iterandæ conſecrationis altaris.

SOlent autem diverſæ cauſæ diſtingui; quare fiat iteratio conſecrationis in altari, & inter illas una cauſa ponitur, motio menſæ altaris. Sed antequam de hoc dicamus, quæramus ſi fortè conſecretur altare, cujus vehiculum ſit magna ſtrues lapidum, non tamen terræ infixa, ſed tota mobilis, & tota ſic, ut materia illa inde ad locum aliquem profanum afferatur, an poſſit ibi in eo celebrari. Et poteſt dici, nihil impedire, dummodo in altari nulla fiat motio per tranſlationem. Unde patet magis in Eccleſia non dedicata poſſe ſuper altari illato celebrari. Ut ad aliud procedamus, ponamus, quod in menſa quadam ſive lapidea, ſive lignea lapis aliquis collocetur, ſicut fieri ſolet in altari portatili, illa autem menſa magno è ſtrue lapidum cæmento uniatur. Si ergo lapis ille menſæ immiſſus ſit conſecratus, quæritur an menſa mota à ſtrue, ſit altare denuò conſecrandum, quaſi mota à vehiculo ſuo, cùm illa ſtrues intelligatur ejus eſſe vehiculum. Volunt quidam diſtinguere, utrum in menſa conſecratum altare, antequam uniretur ſtrui lapidis per cæmentum, an poſt. Si ante, ſola menſa intelligatur fuiſſe vehiculum; ideoque ſi poſtea ſeparetur menſa à ſtrue, non intelligitur motum altare, nec eſt denuò conſecrandum. Si autem ſtrui unitâ menſâ fuerit facta conſecratio, videtur etiam ipſa ſtrues pro vehiculo fuiſſe; & tunc judicatur altaris motio facta in menſæ ſeparatione. Hîc tamen credam inveſtigandum, etiamſi ſic fieret, quid intenderet Epiſcopus conſecrare menſam, an altare menſæ infixum. Ubi verò menſa ſuperponitur ſine cæmento, vel quocumque glutino interpoſito, nullam quæſtionem reputo.

Digitized by Google

Ex cap. XXXV. Vtrum deſtructa fabrica Eccleſiæ poſſit in communes uſus aſſumi.

QUæritur deinde de lapidibus, ſive de lignis, quæ fuerunt in ſtructura fabricæ Eccleſiaſticæ: utrum diſruptâ fabricâ, illa poſſit ad uſus communes aſſumi. Videntur ſuper hoc jura prodere Clemens Papa, & Eugenius, & quaſi contrahendum, quod non poſſit. Sed dubitatur utrum ad officinas fratribus neceſſarias, putà capitulum, dormitorium, ſive refectorium poſſit aſſumi. Quod primò non videtur verum, quia lapides illi & ligna ſacra ſunt, loca verò talia vel non profana, vel omnino ita ſacra.

V. Corpora etiam ſanctiſſimorum Martyrum in terra abſcondi debere probat S. Antonius.

Exemplis Patriarcharum & Chriſti.

GRADUS NON DEBEMUS FACERE ANTE ALTARE, UBI RELIQUIÆ. Nam reliquiæ non in altum evehebantur, ſed terra abſcondebantur. Hoc declarat S. Athanaſius in vita S. Antonii qui præter hanc conſuetudinem, ceteras non probat. Mos etenim, inquit, Ægyptiis eſt, nobilium & præcipuè beatorum martyrum corpora linteamine quidem obvoluere, & ſtudium funeri ſolitum non negare: terrâ verò non abſcondere, ſed ſuper lectulos domi poſita reſervare. Hunc honorem quieſcentibus reddi, inveteratæ conſuetudinis vanitas tradidit. De hoc Antonius ſæpe & Epiſcopos deprecatus eſt, ut populos Eccleſiaſticâ conſuetudine corrigerent, & laicos viros, ac mulieres rigidiùs ipſe convenit, dicens: nec licitum hoc eſſe, nec Deo placitum, quippe cùm Patriarcharum, & Prophetarum ſepulchra, quæ ad nos uſque perdurant hæc facta convincerent. Dominici quippe corporis exemplum intueri jubebat, quòd in ſepulchro poſitum, lapide uſque ad reſurrectionis diem tertium clauſum fuerit. Atque his modis vitium circa defunctos Ægypti, etiamſi ſancta eſſent corpora, coarguebat dicens: Quid majus, aut ſanctius corpore poteſt eſſe Dominico, quòd juxta conſuetudinem gentium ceterarum humo conditum eſſe ſcimus? Hæc juſta perſuaſio multorum inſitum evellit errorem, & repoſitis in terra cadaveribus Domino gratias pro bono magiſterio retulerunt. Quod S. Antonius ut errorem & vanam ſuperſtitionem rejiciebat, inveteratam eſſe apud infirmiores fideles conſuetudinem teſtatur auctor libri de reſurrectione, quem V. Cl. J. Sirmondus ſub nomine Euſebii Cæſarienſis edidit. Non enim, ut ait, projecit linguam, quam incidit medicus, ſed accipiens eam ut medicamen ad ſanitatem illius delicti quod admiſerat abnegando, accipiens domi recondit, ut conſueruntinfirmiores, fideles tamen honorare, ſi quid à martyribus ſumpſerint. Utrum verò liceat reliquias ſanctas exponere ad colligendas oblationes pro fabrica Eccleſiæ, ſic exponit Magiſter Robertus de Chorçon in ſua Summa.

Aliam conſuetudinem, ut ſuperſtitionem damnat.

Selecta ex quæſt. II. cap. XII. codicis Ms. Summæ Magiſtri Roberti de Chorçon Illuſtriſſimi Cardinalis.

QUæritur, ſi Prælatus debeat permittere prædicantes propter quæſtum, & tot abominationes interſerentes deferre capſulas & reliquias Sanctorum cum prædictis cedulis, ad colligendas oblationes paſſim pro fabrica Eccleſiæ. Videtur quod nullo modo hoc pati debeat, quia nihil aliud eſt talia conferre prædictis, quàm committere gladios furioſis. Propterea hoc indecorum eſt, & contra auctoritatem & honeſtatem Sanctorum, ut Epiſcopus faciat illos mendicare mortuos, & poſt mortem ea quærere, quæ in vita ſua tanquam ſtercora contempſere, ſicut patet per ſanctum, cujus corpus collocatum Pariſiis in argentea capſula, eam ſtatim rupit, ſimiliter & auream. Tandem in lignea requievit, ut ſic doceret mortuus, argentum contemnendum, quod ipſe contempſit vivus. Hoc etiam teſtatus eſt beatus Firminus Ambianenſis, quia cum quæſtores vellent ejus corpus à loco martyrii ad ſic mendicandum deferre, non potuit ab aliquibus à loco illo aſportari. Sic ergo patet, quòd reliquiæ ſanctæ non ſunt exponendæ ad mendicandum.

VI. De uſu Lucernarum.

Candela ardeat ibi. Primis Eccleſiæ ſeculis nondum illud in uſu „ fuiſſe probant teſtimonia Patrum. Tertullianus in Apologetico: Cur „ die læto non laureis poſtes obumbramus? nec lucernis diem infringimus? „ &c. Quis enim Philoſophum ſacrificare, aut lucernas meridie vanas „ proſtituere compellit? Et lib de idololatria. Accendunt igitur quotidie „ lucernas, quibus lux nulla eſt. Lactantius libr. VI. de vero cultu. Ac„ cendunt lumina velut in tenebris agenti &c. Vel ſi cœleſte lumen, quod „ dicimus ſolem, contemplari velint, jam ſentiant quod non indigeat lu„ cernis eorum Deus, qui ipſe in uſum hominis tam claram, tam candidam „ lucem dedit &c. Num igitur mentis ſuæ compos putandus eſt, qui aucto„ ri & datori luminis, candelarum ac cereorum lumen offert pro munere? „ Circa hoc tempus inter Tertullianum & Lactantium Patres Concilii Eli„ beritani cereorum per diem uſum, aut potius abuſum interdixerunt can. „ XXXIV. Cereos per diem placuit in cœmeterio non incendi &c. Et can. „ XXXVII. Prohibendum etiam ne lucernas hi publicè accendant &c. Poſtea „ tamen uſus cœpit eſſe, quem cùm acerrimè quaſi idololatriam damnaret „ Vigilantius, ſic refellitur ab Hieronymo, in epiſtola quam adverſus eum ſcri„ pſit: Cereos autem non clara luce accendimus, ſicut fruſtrà calumniaris; „ ſed ut noctis tenebras hoc ſolatio temperemus, & vigilemus ad lumen ne „ cæci tecum dormiamus in tenebris. Quòd ſi aliqui propter imperitiam „ & ſimplicitatem ſecularium hominum, vel certè religioſarum femina„ rum, de quibus verè poſſumus dicere: confiteor, zelum Dei habent, ſed „ non ſecundùm ſcientiam, hoc pro honore martyrum faciunt; quid inde „ perdis? cauſabantur quondam & Apoſtoli, quod periret unguentum, ſed

Qualis erat priſcis Eccleſiæ temporibus. Unde uſus per diem?

Domini voce correpti ſunt. Neque enim Chriſtus indigebat unguento, nec martyres lumine cereorum: & tamen illa mulier in honore Chriſti hoc fecit, devotioque mentis ejus recipitur. Et quicunque accendunt cereos, ſecundùm fidem ſuam habent mercedem, dicente Apoſtolo: unuſquiſque in ſuo ſenſu abundat. Idololatras appellas hujuſmodi homines? Non diffiteor, omnes nos qui in Chriſto credimus de idololatria veniſſe. Non enim naſcimur, ſed renaſcimur Chriſtiani. Et quia quondam colebamus idola, nunc Deum colere non debemus, ne ſimili eum videamur cum idolis honore venerari? Hoc fiebat idolis, & idcirco deteſtandum eſt: hoc fit martyribus, & idcirco recipiendum eſt.

Qui accendunt cereos, ſecundum fidem ſuam habent mercedem.

Nam & abſque martyrum reliquiis per totas Orientis Eccleſias, quando legendum eſt evangelium, accenduntur luminaria jam ſole rutilante: non utique ad fugandas tenebras, ſed ad ſignum lętitiæ demonſtrandum. Unde & virgines illæ evangelicæ ſemper habent accenſas lampades ſuas. Et ad Apoſtolos dicitur: ſint lumbi veſtri præcincti, & lucernæ ardentes in manibus veſtris. &c. Omnino notandum eſt quod Hieronymus dicit unumquęque ſecundum fidem ſuam habere mercedem, & in ſenſu ſuo abundare; id eſt, ut optimè exponit Auguſtinus in ep. cxx. c. xviii. unam in his ſaluberrimam regulam retinendam eſſe, ut quæ non ſunt contra fidem, neque contra bonos mores, & habent aliquid ad exhortationem vitæ melioris, ubicunque inſtitui videmus, vel inſtituta cognoſcimus, non ſolum non improbemus, ſed etiam laudando, & imitando ſectemur, ſi aliquorum infirmitas non ita impedit, ut ampliùs detrimentum ſit. Ita igitur ſentiendum eſt de lucernis quæ accenduntur ſole rutilante, non utique ad fugandas tenebras, ſed ad ſignum lætitiæ demonſtrandum. Verùm quibus potiſſimùm luminibus ſplendeſcere debeat Eccleſia, admodùm præclarè declarant S. Gregorius Nazianzenus & S. J. Chryſoſtomus, quorum prior ſic in oratione iv. adverſus Julianum. Nec viſibili lumine ſplendeſcant domus, nec tibicinum cantu, plauſibuſque perſonent: hoc enim more gentiles novæ lunæ feſtum celebrant. At nos ne committamus, ut ad hunc modum Deum honoremus, ac præſens tempus iis rebus quæ minime decent, extollamus: ſed animi puritate & mentis hilaritate, & lucernis totum Eccleſiæ corpus illuſtrantibus, hoc eſt, divinis contemplationibus & cogitationibus, quæ ſuper ſanctum candelabrum excitantur, atque univerſum terrarum orbem luce perfundunt. Vide Joan. Chryſoſtomum in homilia xx. ad populum Antiochenum.

Antiquus cereorum per diem uſus in Oriente. Quid ſignificat?

Quibus luminibus ſplédeſcere debet Eccleſia?

VII. De thure & incenſo.

Incenso aspergitur ecclesia. Judicandum de Thure & Incenſo perinde ac de Lucernis. Patres antiqui præſertim Latini, ritus quibus pagani utebantur in ſacrificiis, adeo refugiebant, ut quidam ab iis rebus abſtinuerint, quas poſterius bona Chriſtianorum intentio invexit. Tertullianus in apologetico cap. xxx. Qui ei offero opimam & majorem hoſtiam, quam ipſe mandavit, orationem de carne pudica, de anima innocenti, de ſpiritu ſancto profectam: non grana thuris unius aſſis: non Arabicæ arboris lacrymas. &c. Et cap. xli. Thura planè non emimus. Arnobius lib. vii.

Digitized by Google

adverſus Gentes. Sin autem temporibus priſcis, neque homines, neque dii hujus thuris expetivere materiam, comprobatur & hodie fruſtra illud in initerque præſtari; quod neque antiquitas neceſſarium credidit, & ſine ullis novitas rationibus appetivit &c. Honoramus, inquiet aliquis fortaſſe, his Deos &c. Et pietas! quantus iſte eſt honor, aut, qualis, qui ex ignis odore conficitur & reſina arboris comparatur. Nam ne fortè ignoretis quid, àut unde ſit thus iſtud: viſcum eſt corticibus profluens, &c. Antiquum tamen apud Græcos thuris incenſi uſum colligere licet ex canonibus vetuſtis ſub nomine Apoſtolorum. Hoc autem habet canon

Antiquior uſus apud Græcos, quàm apud Latinos.

» III. Ne liceat aliquid aliud ad altare offerre, quàm oleum ad luminare, & incenſum tempore ſanctæ oblationis. *καὶ θυμίαμα τῷ καιρῷ τῆς ἁγίας προσφορᾶς.* Et ſanè laudabilis uſus qui ſignificat orationem noſtram debere eſſe incenſum in conſpectu Dei. Quod Joannes Chryſoſtomus & alii Patres Græci ſæpius repetunt. Quamobrem ſi majora ſtudiorum lucra ſperanda ſint, quam calumniatorum detrimenta metuenda, ſine dubitatione faciendum eſt, ſicut loquitur S. Auguſtinus in epiſtola ad Januarium. Sed nimiam iſtiuſmodi rituum copiam paulò pòſt S. Auguſtinus vituperat

Nimia horum rituum copia vituperatur.

» cap. XIX. ejuſdem epiſtolæ, his verbis: Sed hoc nimis doleo, quia multa
» quæ in divinis libris ſaluberrimè præcepta ſunt, minùs curantur &c.
» Quamvis enim neque hoc inveniri poſſit, quomodò contra fidem ſint;
» ipſam tamen religionem, quam pauciſſimis & manifeſtiſſimis celebratio-
» num ſacramentis miſericordia Dei eſſe liberam voluit, ſervilibus oneri-
» bus premunt, ut tolerabilior ſit conditio Judæorum, qui etiamſi tempus
» libertatis non agnoverint, legalibus tamen ſarcinis, non humanis præ-
» ſumptionibus ſubjiciuntur. Vide quoque Epiſtolam Leonis I. ad univerſos Epiſcopos per Siciliam conſtitutos cap. II.

VIII. De Lectore.

Laicus non debet in ecclesiis lectionem recitare. Hunc ordinem jam ſuo tempore ſtabilitum eſſe apertè declarat antiquiſſimus apud Latinos Patres Tertullianus, qui contrarium uſum damnat in Eccleſia hæreticorum cap. XLI.
» Itaque alius hodie Epiſcopus, cras alius:
» hodie Diaconus, qui cras Lector? hodie Preſbyter qui cras laicus. Nam
» & laicis ſacerdotalia munera injungunt. Antiquior apud Græcos Juſtinus hunc quoque ordinem mihi videtur indicare in apologia prima juxta Euſebium, quæ proinde malè inſcribitur ut ſecunda in editis; cùm dicit:
» Deinde lectore quieſcente præſidens &c. & populus fauſtè acclamat &c.
» abſentibus autem per Diaconos mittitur &c. Sic videtur diſtinguere lectorem à præſidente, diaconis, & populo. Num verò eſſet aliquis diaconus qui lectoris munere fungeretur? hoc nollem penitus negare. Nam quum prius deſcribit ſynaxim, loquitur tantùm de Præſidente, Diaconis, & populo. Et S. Clemens Alexandrinus Eccleſiaſticam hierarchiam proponens libro VI. Stromatum meminit tantùm Epiſcoporum, Preſbyterorum, Diaconorum. Quicquid ſit: ſatis ſuperque conſtat, hunc Lectorem non fuiſſe laicum. Quod ſufficit ad probandum etiam laicos priſcis Eccleſiæ ſeculis in ſynaxi lectiones non recitaſſe.

N 2

Digitized by Google

Nec alleluia dicere. S. Auguſtinus in epiſtola ad Januarium. Variè, inquit, cantatur alibi, atque alibi. Hic Hymnus tanti æſtimabatur Romæ, ut quotannis ſemel caneretur: ſi credamus Sozomeno lib. vi. cap. xix. Præterea Romæ quotannis ſemel canitur alleluia, primo die paſchalis feſtivitatis: adeo ut, multi Romanorum hoc jurejurando uti ſoleant, ut hunc hymnum audire & canere ipſis contingat. Idem teſtatur Caſſiodorus in hiſtoria tripartita, qui vix poterat hunc morem ignorare. Attamen Hieronymus adverſus Vigilantium inter ipſius hallucinationes recenſet, quod putaret, numquam niſi in Paſcha Alleluia cantandum. Et in epitaphio Fabiolæ refert in illius exequiis Alleluia fuiſſe cantatum etiam Romæ. Quantum, inquit, haberet viventis Fabiolæ Roma miraculum, in mortua demonſtravit. Necdum ſpiritum exhalaverat, necdum debitam Chriſto reddiderat animam: etiam fama volans, tanti prænuncia luctus, totius urbis populum ad exequias congregabat. Sonabant Pſalmi, & aurata templorum roboans in ſublime quatiebat Alleluia. IX. De Alleluia.

Et quando quis consecrat aquam, primum orationem faciat. Abſque enim oratione juxta Tertullianum, viduæ ſunt aquæ, ſcilicet Spiritu ſancto qui invocatus ſuper aquas, eas cœleſti fonte maritat, ut ait S. Paulinus in epiſt. ad Severum xii. X. Aqua conſecrata.

Sanctus in hunc cœlo deſcendit Spiritus amnem,
Cœleſtique ſacras fonte maritat aquas.

CAPUT II.

De tribus gradibus Eccleſiæ principalibus.

Episcopo licet confirmare, &c. Similiter et Presbytero. Vide infrà caput iv. Pœnitent. de Baptiſmate & Confirmatione. I.

Si diaconus vel presbyter ipse calicem et oblationem manibus tenuerit. Quod idem præſtitiſſe, de ſeipſo teſtatur Theodoretus in hiſtoria religioſa cap. xx. Ego verò, inquit, libenter obtemperavi, & ſacra vaſa adferri juſſi (nec enim procul aberat locus) Diaconorumque manibus utens pro altari, myſticum & divinum ac ſalutare ſacrificium obtuli. II. Diaconorum manus altaria.

Episcopus non debet Abbatem cogere ad synodum ire. Niſi, ut addit, etiam aliqua rationabilis cauſa ſit. Quæ cauſa maximè rationabilis eſt, quum vocantur ab Epiſcopo, ex eo quod extra regulam fecerint. Conc. Aurelianenſe i. c. xix. Abbates pro humilitate religionis in Epiſcoporum poteſtate conſiſtant, & ſi quid extra fecerint, ab Epiſcopo corrigantur, qui ſemel in anno, in loco ubi Epiſcopus elegerit, acceptâ vocatione conveniant. Concil. Antiſiodorenſe ſub Pelagio ii. c. vii. Ut III. Quando Abbas cogi debet ad Synodum ire.

Digitized by Google

„ medio Maio omnes Preſbyteri ad Synodum veniant, & Calendis Novem-
„ bris omnes Abbates ad concilium conveniant.

IV. Rex Epiſcopus & Sacerdos. Quomodo? REX VERO, SI PLUS EST. Quia Rex à Deo conſtitutus eſt Epiſcopus rerum externarum: qualem ſe jure vocat Conſtantinus Imperator
„ alloquens Epiſcopos. Vos quidem, inquit, in iis quæ intra Eccleſiam
„ ſunt, Epiſcopi eſtis: Ego verò in iis quæ extra geruntur, Epiſcopus à Deo
„ ſum conſtitutus. Hæc apud Euſebium lib. IV. de vita Conſtantini cap.
„ XXIV. Leo I. in Epiſtola ad Theodoſium Auguſtum. Quantum præſidii
„ dominus Eccleſiæ ſuæ in fide veſtræ clementiæ prepararit, his etiam literis
„ quas ad me miſiſtis, oſtenditur, ut vobis non ſolum Regium, ſed etiam *Sa-*
„ *cerdotalem* animum ineſſe gaudeamus. Agapitus Epiſcopus Rhodi ad
„ Leonem Imperatorem: Omnes oramus innumeris vos conſervari tem-
„ poribus. *Verè namque ſacerdos & natura imperator exiſtis.* Unde Gre-
„ gorius II. non diffitetur omnes bonos Imperatores poſſe vocari Sacerdo-
„ tes. Sic enim reſpondet Leoni Iſauro Imperatori in Epiſtola II. quam ad
„ ipſum ſcribit. Scripſiſti: Imperator ſum, & Sacerdos. Enimvero qui
„ ante te fuerunt Imperatores hoc opere ac ſermone demonſtrarunt, qui
„ condiderunt, & curam geſſerunt Eccleſiarum unà cum Pontificibus cu-
„ piditate zeloque incenſi &c. Et infrà, Hi ſunt ſacerdotes & imperatores
„ qui id opere demonſtrarunt.

V. „ SI PRETIUM REDIMENDI NON HABET. Vide Conc. Aurelianenſe III.
„ c. XIII. Aurelianenſe IV. c. XXX. S. Gregor. libr. III. ep. IX.

VI. De auctoritate Epiſcopi ad votū ſolvendum. „ EPISCOPO LICET VOTUM SOLVERE. Nec hoc vituperandum eſſe
„ clarè oſtendit S. Ambroſius exemplis ſcripturarum auctoritate firmatis
„ lib. III. officiorum cap. XII. Denique in Iſaac habemus exemplum,
„ pro quo arietem Deus ſtatuit immolari ſibi. Non ſemper igitur promiſ-
„ ſa ſolvenda omnia ſunt. Denique ipſe Dominus frequenter ſuam mutat
„ ſententiam, ſicut Scriptura indicat. Quando Theodorus addit, ſi vult,
„ declarat quæ ſit auctoritas Epiſcopi, adeo ut, qui ſine illius conſenſu
„ vovet, quaſi ex alieno voveat, & quaſi alienum uſurpet. Nam ut ait S.
„ Cyprianus in epiſtola XXVII. Eccleſiæ ratio decurrit, ut Eccleſia ſuper
„ Epiſcopos conſtituatur, & omnis actus Eccleſiæ per eoſdem præpoſitos
„ gubernetur. Unde infrà Theodorus in cap. quæſtionum Conjug. Et ſi quis
„ in ſeculari habitu votum voverit ſine conſenſu Epiſcopi, ipſe Epiſcopus
„ habet poteſtatem mutare ſententiam, ſi vult. Illud idem docet magiſter
„ Robertus de Flameſbure in ſuo Pœnitentiali.

Selecta ex cap. IV. libri II. Pœnitentialis Ms. Magiſtri Roberti de Flamesbure, Canonici S. Victoris, & Pœnitentiarii.

ITem etſi de licentia uxoris intrans religionem Monachis & Sacerdote præſentibus, vir in manus ſe dedit Abbatis, ſed Epiſcopo ignorante; ſi mulier nec perpetuam vovit continentiam, nec cum viro religionem

intravit, poteſt eum revocare Epiſcopus, ut in decretali Propterea. in titulo de Converſione conjugatorum. Quod ſic intelligo: quòd Epiſcopus poteſt & debet virum ad mulieris petitionem revocare, ſi illa in ingreſſum viri proteſtata eſt, ſe nolle continere. Quod enim dicitur, quòd votum ſolemnizatur, quando aliquis ſe in manus dat Abbatis, de ſolutis intelligitur perſonis, non de ſubditis, ſive conjugatis: quia nec vir, nec mulier ſine Epiſcopi auctoritate religionem intrare poteſt. Unde iſte conjugatus qui ſine auctoritate Epiſcopi in manus ſe dedit Abbatis, nihil fecit.

VII. Non amplius licet diaconis miſſas facere.

Presbytero soli liceat missas facere. Diaconis igitur non licet. Concil. Arelatenſe I. c. XV. « De Diaconibus quos cognovimus multis locis offerre, placuit minime fieri debere. » Conc. Ancyranum c. II. « Diaconos ſimiliter qui ſacrificarunt, poſtea autem reluctati ſunt, alium quidem honorem habere, ipſos autem ab omni ſacerdotali miniſterio, & juxta codicem Eccleſiæ univerſæ, ab omni ſacro miniſterio ceſſare, & panem vel calicem offerendi, vel prædicandi. » His etenim aliquando commiſſa eſt dominici ſanguinis conſecratio, ut S. Ambroſius teſtatur de S. Laurentio Diacono lib. I. officiorum cap. XLI. « Experire certè, utrum idoneum miniſtrum elegeris, cui commiſiſti dominici ſanguinis conſecrationem. » Unde olim Diaconi Eccleſias quaſdam rexerunt. Conc. Eliberitan. can. LXXVII. « Si quis Diaconus regens plebem &c. » Gregorius Turonenſis de gloria Confeſſorum cap. XXX. « Poſt linginqua vero annorum curricula, Cautinus qui ipſius Arvernæ urbis Epiſcopus datus eſt, in diaconatu ſuo Eccleſiam vice illius rexit. »

VIII. De benedictione populi.

Et populum benedicere. Patres Concilii Regenſis Preſbyteris permittunt, ut privatim benedicant, non publicè in Eccleſia. c. V. « Et inter minutas has diſcuſſiones & indefinitas viſum eſt omni preſbytero per familias, per agros, per privatas domos, pro deſiderio fidelium, facultatem benedictionis aperire, quod nonnullas jam provincias habere ſuccurrit. » Nec privatim ergo, ut rectè animadvertit V. Cl. J. Simondus in ſuis ad hunc canonem Notis, ante hoc tempus Preſbyteri benedictionem dabant in his provinciis Galliæ. In Synodo Agathenſi publicam tantùm dare prohibentur, non privatam. c. XLIV. Benedictionem ſuper plebem in Eccleſia fundere Preſbytero penitus non licebit. Et nequidem Chorepiſcopis licet ex Caroli Magni capitulis Eccleſiaſticis tit IV. cap. II. Placuit, ſicut Leonis Papæ & omnium Epiſcoporum noſtrorum, atque reliquorum fidelium generali & ſynodali conſultu decrevimus, ut nullus Chorepiſcopus &c. « Benedictionem in publica miſſa populis tribuere præſumat. Quæ omnia ſummis Pontificibus, id eſt Cathedralibus Epiſcopis debentur, & non Chorepiſcopis vel Preſbyteris, quorum formam juxta ſanctorum Canonum decreta Chorepiſcopi gerunt: Si autem ii aliquid ex his agere tentaverint, irrita erunt quæ ab iis geruntur, & ipſi omni Eccleſiaſtico honore funditus priventur. » In Oriente verò utramque preſbyteris conceſſam eſſe, elicitur ex verbis S. Baſilii ad Amphilochium c. XXVII. «

Digitized by Google

» de preſbytero nefariis nuptiis per ignorantiam implicito. Nec publicè, » inquit, nec privatim benedicat. Idem ex homilia XXXIV. J. Chryſoſt. in cap. Math. IX. Quod aperte declarat atque confirmat infrà Theodorus in fine cap. Pœnitent. III.

IX. Cur Clerici non coguntur decimas dare?

Presbyter decimas dare non cogitur. Indignum eſt enim, inquit Gregorius, ut à Clericis exigantur, qui propter eum, cujus ſunt decimæ, pauperes efficiuntur. V. Append. Conc. Lateran. III. cap. X. Quare infrà dicitur cap. XIII. decimas non eſt legitimum dare, niſi pauperibus, » & peregrinis. V. librum Joannis Launoii doctoris celeberrimi, de defini- » tione bonorum Eccleſiæ, in quo innumeris Patrum teſtimoniis probat bona Eccleſiæ eſſe bona pauperum. Quibus adjungam ſententiam Magiſtri Roberti de Chorçon in ſua Summa, ubi quæſt. XIII. de decimis cap III. hanc tractat quæſtionem, utrum clerici tenentur decimas ſolvere.

Selecta ex Summa Ms. Magiſtri Roberti de Chorçon quæſt. XIII. de decimis cap. III.

Dicimus, quod ſecus eſt de Laïco, qui habet proprium, & ſecus eſt de Clerico, qui non eſt poſſeſſor eorum, quæ habet, ſed tantùm diſpenſator juxta Apoſtolum, qui ait: *diſpenſatio nobis credita eſt.* Et juxta Hieronymum, qui ait XVI. quæſt. I. cap. ultimo: Quicquid habent Clerici, pauperum eſt, & ideo domus eorum debent eſſe communes. Unde Clericus poteſt recipere de bonis Eccleſiaſticis, ut diſpenſator & ſervus, quæ ſufficiunt ei & arctè familiæ, & honeſtè ad eſculentum, & poculentum, & indumentum. *Et his*, ut dicit Apoſtolus, *contenti ſimus*, & totum reſiduum de jure diſtricto pauperum eſt. Unde Clerici loco decimarum, quas dant Laici, reſiduum à ſufficientibus ſibi & ſuæ familiæ in pias curas pauperum, & Eccleſiæ tenentur impartiri: Quia, ſi ultra neceſſaria retinent, teſte Hieronymo, raptores ſunt. Unde ait, Aliena rapere convincitur, quiſquis ultra neceſſaria retinere conatur. Et dicit Gregorius: Cùm pauperibus bona tribuimus, non noſtra illis damus, ſed ſua ipſis reddimus. Unde non dicitur miſericordia tantùm, quoniam bona pauperibus diſtribuimus, ſed juſtitia. Unde in Pſalmo: *diſperſit, dedit pauperibus, juſtitia ejus &c.* Quia de jure diſtricto tenemur nos Clerici dare pauperibus omnia ea quæ ſuperſunt nobis, nobis & arctè familiæ neceſſariis » ſumptis. Unde in Evangelio: quod ſupereſt, date eleemoſynam, & Ec- » ce omnia munda ſunt vobis. Et idem dicitur XVI. quæſt. I. cap.

X. Utrum Presbytero aut aliis, liceat Epiſcopi peccatum prodere.

Presbytero non licet peccatum Episcopi prodere, quia super eum est. Eodem modo judicabat Abundius Epiſcopus in Concilio Ro- » mano ſub Sixto III. Reſpondit & dixit: Non licet quemquam accuſa- » re Pontificem ſuum, quoniam judex non judicabitur. Niſi tamen à recta » fide exorbitaverit. Sicut ad univerſale Concilium Epheſinum ſcribit Cha- » riſius Presbyter, œconomus Philadelphiæ, his verbis: Oratio quidem eſt » omnium qui bene ſapiunt, honorem ſemper & decentem reverentiam ſpi-

Digitized by Google

ritualibus maximè patribus & doctoribus exhibere. Si verò alicubi contigerit, eos qui docere debent talia ſubjectos, de fide inſonare, quæ omnium aures & corda lædunt; neceſſarium eſt ordinem commutari, & eos qui malè docere conantur, à minoribus redargui. Quod in Synodo Romana V. Symmachus à multis anteceſſoribus ſuis decretum atque firmatum dicit. Non ergo neceſſe eſt ſuper his nova cudere, ſed vetera reconciliare, atque firmare. Eſt enim à multis anteceſſoribus noſtris ſynodaliter decretum atque firmatum, ut oves quæ paſtori ſuo commiſſæ fuerint, eum nec reprehendere, niſi à recta fide exorbitaverit, præſumant. Licet quoque pro ſua injuſtitia, ſicut ſynodus proſequitur his verbis: Nec ullatenus pro quacumque re alia, niſi pro ſua injuſtitia, accuſare audeant. &c. Patres Concilii Epaonenſis ampliorem etiam laicis concedunt poteſtatem can. XXIV. Laicis contra cujuſlibet gradus Clericum, ſi quid criminale parant objicere; dummodo vera ſuggerant, proponendi permittimus poteſtatem. Verùm quantum delicta Epiſcoporum tegi debeant, ſapientiſſimè docet Conſtantinus Imperator, cujus verba Theodoretus refert lib. I. hiſt. Eccleſ. cap X.

SACRIFICIUM NON EST ACCIPIENDUM DE MANU SACERDOTIS. Qui ſcilicet oblationes vel lectiones ſecundùm ritum implere non poteſt. Concil. Romanum ſub Hilaro Papa celebratum can. III. Inſcii quoque literarum &c. Ad ſacros ordines aſpirare non audeant. Quiſquis talium conſecrator exstiterit, factum ſuum diſſolvet. Conc. Aurelian. II. can. XVI. Presbyter vel diaconus ſine literis, vel ſi baptizandi ordinem neſciat, nullatenus ordinetur. Vide Reginonem lib. de Eccleſ. diſciplinis inquiſit. XXXXIII. Et Notas Stephani Baluzii viri eruditiſſimi, qui de eadem re citat Carolum Calvum in epiſtola ad Nicolaum Papam, Concilium Valentinum, & Hincmarum in cap. XXXVI. poſterioris operis adverſus Gotheſcalcum. XI. De Sacerdote illiterato.

SACERDOTIS QUI LECTIONES. In quibuſdam Eccleſiis ſacerdotes S. Scripturas legebant. De quo Sozomenus lib. VII. Eccleſ. hiſtor. cap. XIX. refert variam diſciplinam, nempe apud Alexandrinos ſolum Archidiaconum ſacrum codicem legere: alibi verò Diaconos: in multis autem Eccleſiis ſolos dumtaxat Presbyteros: alicubi in præcipuis feſtivitatibus Epiſcopos legere, ut Conſtantinopoli primo die Paſchatis Evangelium præcipuè legebant. De Presbyteris poſteà dicitur: Presbyter ſi reſponſoria cantat in Miſſa vel quæcunque, cappam ſuam non tollat, ſed Evangelium legens ſuper humeros ponat. XII. De lectione S. Scripturarum.

CAPPAM SUAM. Clericos uti cappa diverſa à ceteris monachorum & aliorum declarat conventus Aquiſgranenſis cap XII. LXI. Concil. Vaurenſe can. XLVI. in quo prohibetur, ne cappæ Eccleſiæ per Laicos in feſtis confraternitatum deferantur. Tempore Theodori, & longè priùs peculiares erant Clericorum veſtes in pleriſque Eccleſiis, ſicut probant teſtimonia Gregorii Turonenſis lib. V. hiſt. cap. XIV. Conc. III. Carthaginenſ. can. XLI. aut potius LX. juxta ordinem codicis antiquorum Eccleſiæ ſtatu- XIII. De clericorum veſtibus. Antiquus in Eccleſia uſus peculiaris.

torum. Hieronym. in commentarii lib. XIII. in Ezechiel. cap. XLIV. & Conc. Laodic. can. XXII. Sed ante hoc tempus id nullibi apparere indicat Henricus Valeſius vir doctiſſimus in ſuis notis ad cap. XIX. lib. VI. hiſtor. Eccleſ. Euſebii: Apparet, inquit, nullum etiamtum peculiarem fuiſſe veſtitum Clericorum. Quandoquidem Heraclas Alexandrinæ Eccleſiæ presbyter, & qui poſtea ejuſdem loci epiſcopus fuit, ſemper retinuit. S. Clemens Alexandrinus commendat veſtes candidas, ſed quibus, utpote ſimplicibus, omnes Chriſtianos; & ut ipſe ait lib. II. pædag. cap. X. eos quidem, qui ſunt candidi, & non intus adulterini, candidis & minimè curioſis ac operoſis veſtibus uti convenientiſſimum eſt. Hegeſippus loquitur de linea veſte Jacobi apud Euſebium lib. II. cap. XXIII. Polycrates de Joannis Lamina apud Euſebium lib. V. hiſt. cap. XXIII. Idem refert S. Epiphanius de Jacobo hæreſ. XXVIII. & hær. LXXVIII. At quibus ornamentis peculiaribus non ſolùm à laicis, ſed à ceteris omnibus Eccleſiæ ſacerdotibus diſtinguebantur. Unde forſan his motus rerum Eccleſiaſticorum peritiſſimus Joannes Beleth iſta dicit in cap. de ſacrificio Miſſæ. Et nota quod ab Apoſtolis & ab Apoſtolicis viris in primitiva Eccleſia ſacrificium fiebat in vaſis ligneis, & veſtibus communibus. Tunc enim lignei calices, & aurei ſacerdotes. Olim fuerunt qui quendam peculiarem veſtium ſacerdotaliũ uſum velut antiquiſſimum ex ipſiſmet verbis Evangelii vellent comprobare, quos egregiè refellit Cæleſtinus Papa in epiſt. ad Epiſcopos provinciæ Viennenſis & Narbonenſis. cap. 1. Dicimus enim, inquit, quoſdam Domini ſacerdotes ſuperſtitioſo potius cultui inſervire, quàm mentis vel fidei puritati. Sed non mirum, ſi contra Eccleſiaſticum morem faciunt, qui in Eccleſia non creverunt, ſed alio venientes itinere, ſecum hæc in Eccleſiam, quæ in alia converſatione habuerant, intulerunt. Amicti Pallio, & lumbos præcincti, credunt ſe ſcripturæ non per Spiritum, ſed per literam completuros. Nam ſi ad hoc iſta præcepta ſunt, ut taliter ſervarentur; cur non fiunt pariter quæ ſequuntur, ut lucernæ ardentes in manibus unà cum baculo teneantur? Habent ſuum iſta myſterium, & intelligentibus ita clara ſunt, ut ea magis quâ decet ſignificatione ſerventur: nam in lumborum præcinctione caſtitas, in baculo regimen paſtorale, in lucernis ardentibus boni fulgor operis, de quo dicitur: opera veſtra luceant, indicantur. Habeant tamen iſtum forſitan cultum, morem potius quàm rationem ſequentes, qui in remotioribus habitant locis, & procul à ceteris degunt. Unde hic habitus in Eccleſiis Gallicanis, ut tot annorum, tantorumque Pontificum, in alterum habitum conſuetudo vertatur? Diſcernendi à plebe vel ceteris ſumus doctrinâ, non veſte; converſatione, non habitu; mentis puritate, non cultu. Nam ſi ſtudere incipiamus novitati, traditum nobis à Patribus ordinem calcabimus, ut locum ſupervacuis ſuperſtitionibus faciamus. Rudes ergo fidelium mentes ad talia non debemus inducere. Docendi enim potius ſunt, quàm illudendi. Nec imponendum eſt eorum oculis, ſed mentibus infundenda præcepta ſunt. En quomodo Clerici præſertim diſcernendi ſunt à plebe. Et illud eſt quod Apo-

Quomodo intelligenda verba ſcripturæ de veſtibus.

Clerici diſcernendi à plebe doctrinâ, non veſte.

ſtolum præcepiſſe ait S. Baſilius in libro regularum fuſiùs diſputatarum Reſp. ad interrogat. xx i. Et infrà: Hic canon perpetuo tenore ſervetur. Vide Gregorium Nazianzenum in oratione xix. Iſidorum Peluſiotam lib. i. ep. xlv. librum ſacramentorum S. Gregorii in oratione de conſecratione Epiſcopi. Fortunatum lib. ii. epigram. x. de S. Germano Pariſiorum Epiſcopo.

Ille tamen ſenſim incedit, velut alter Aaron,
Non de veſte nitens, ſed pietate placens.
Non lapides, coccus, clarum aurum, purpura, byſſus
Exornant humeros, ſed micat alma fides.

Quare auctor vitæ S. Fulgentii hæc de ipſo teſtatur: In qua tunica dormiebat, in ipſa ſacrificabat: & tempore ſacrificii, mutanda eſſe corda potius, quàm veſtimenta dicebat.

XIV. De baptiſmo ab impiis collato.

Iterum baptizentur illi, quos baptizavit Preſbiter fornicans, ſi poſtquam compertum fuerit crimen, baptizaverit. Mirum quòd quid tale legatur poſt quæſtionem à Patribus adverſus Donatiſtas tantoperè diſcuſſam. Antea quidam patres liberius loquebantur, S. Clemens Alexandrinus lib. vii. Stromatum ἱματισμοῖς πιστεύων τῆς χάριτος &c. ἐν οἰκείῳ καὶ γνήσιον ὕδωρ λογιζόμενον. Tertullianus lib. de pudicitia cap. xxi. Origenes in commentariis in Mathæum, εἰ δὲ σειραῖς τῶν ἁμαρτημάτων αὐτὸς ἔσφιγκται, μάτην καὶ δεσμεῖ καὶ λύει, de quo v. cl. Petrus Daniel Huëtius hæc animadvertit in lib. ii. Origenianorum p. 176. In hunc locum, inquit, annotat Sixtus Senenſis alludere Origenem ad errorem ab Huſſitis poſtmodum propugnatum, qui Papæ & Epiſcoporum poteſtatem ex morum ſanctitate pendere volebant &c. Et paulò pòſt: Aſſentior Sixto, & peccare aio Origenem, atque hanc videri amplecti hæreſim, in qua deinde verſati ſunt Donatiſtæ, cùm à Sacerdotum ſanctitate Eccleſiæ poteſtatem ſuſpenderunt. Tertulliani ac Origenis eamdem ſententiam amplexi ſunt ii de quibus teſtatur Dionyſius Alexandrinus in Epiſtola ad Philemonem Eccleſiæ Romanæ ſcripta, cujus fragmenta præclariſſima Euſebius refert lib. vii. Eccleſ. hiſtoriæ cap. vii. ſed præcipui extiterunt inter alios defenſores S. Cyprianus in epiſt. ad Magnum de baptizandis Novatianis, in epiſt. lxxiv. lxxvi. lxxviii. & S. Firmilianus in epiſt. ad Sanctum Cyprianum: de quibus ſic loquitur S. Baſilius in epiſt. canonica ad Amphilochium can. i. Verumenimvero antiquis viſum eſt, Cypriano dico, & noſtro Firmiliano, eos omnes uni calculo ſubjicere, &c. ut qui non poſſint amplius Spiritus ſancti gratiam aliis quoque præbere, à qua ipſi exciderunt. Atque horumce dogmatum rationem explicat doctiſſimus Rigaltius in ſuis notis ad Cypriani epiſtolam lxiv. his verbis: Sententiæ Cypriani Pamelius opponit ſententiam Auguſtini ſtatuentis, Sacramenta ab impiis & ſceleratis Epiſcopis ſive Presbyteris miniſtrata valere. Quæ res indiget diſtinctione facti in controverſiam deducti. Et paulò pòſt: Talia dogmata, ævo poteſtatem ſecularium vexationibus & miniſtrorum Eccle-

» ſiæ factionibus afflictiſſimo, ſtabilire ac ſancire viſum Cypriano, cete-
» riſque per Africam, Numidiam, ac Mauritaniam, quo ſibi populum face-
» rent fidei Chriſtianæ tenacem, miniſtroſque haberent pacis & unitatis Ec-
» cleſiaſticæ magis amantes. Sic doctiſſimi viri ſentiunt de hac opinione
quorumdam patrum, quam Theodorus ſecutus eſt cum auctore lib. de iis
» qui myſteriis initiantur apud S. Ambroſium cap. IV. Non ſanat, inquit,
» baptiſmus perfidorum, non mundat, ſed polluit. Notandum quod dicitur,
poſtquam compertum fuerit crimen, longo poſt tempore pariter diſtinxit
Magiſter Robertus de Chorçon in ſua Summa, quoad poteſtatem ſolvendi
peccata.

Selecta ex Summa Ms. Roberti de Chorçon.
quæſt. III. Cap. V.

QUæritur utrum ſacerdos qui eſt in mortali peccato habeat prædictas claves, quibus aut liget, aut ſolvat. Videtur quod non, &c. Gregorius dicit: Qui ſuis premitur aliena non diluit. Ergo immundus aliena non diluit. Item Gregorius alibi dicit, Illi ſoli in hac carne poſiti poteſtatem habent ligandi & ſolvendi, qui doctrinam Apoſtolorum tenent & vitam. Ergo cùm immundus ſacerdos hæc non habeat, neque ligat, neque ſolvit, &c. Quid ergo ſuper his dicendum? Nobis videtur in his eſſe diſtinguendum; Aut enim notorius eſt ſacerdos, aut occultus. Si notorius eſt, neque de vitæ merito, neque de officio ligare debet vel ſolvere, immò arceri debet omnino ab executione clavium. Similiter dicimus, quòd talis arcendus eſt ab officio publicæ ligationis, & prædicationis, & celebrationis Miſſarum. Et in tali caſu loquuntur prædictæ auctoritates. Si verò occultus eſt, tolerari poteſt, & ſi ligat vel ſolvit, tenet ejus ligatio vel abſolutio. Sicut ſi malus conficit, confectum eſt. Si baptizat, baptizatum eſt. Sed abſolutio & ligatio talis fit in ejus perniciem, qui ligat vel ſolvit. Non enim ligat de vitæ merito, ſed de officio tamen ſibi commiſſo.

Utrum baptizari debeat fidelis, qui deprehendit ſe non eſſe baptizatum.

DEPREHENDIT SE NON ESSE BAPTIZATUM. De eadem ferè quæſtione
» interrogatus Dionyſius Alexandrinus ſic reſpondit in ep. ad Xiſtum Roma-
» næ urbis Epiſcopum, quam Euſebius refert lib. VII. hiſt. cap. IX. Nam qui
» gratiarum actionem frequenter audierit, & qui ceteris reſponderit Amen;
» Qui ad ſacram menſam aſtiterit, & manus ad ſuſcipiendum ſacrum cibum
» porrexerit, qui illum exceperit, & corporis ac ſanguinis Domini noſtri
» Jeſu Chriſti particeps fuerit diutiſſimè, cum ego de integro renovare non
» auſim. Porro ut bono animo eſſet, & cum firma fide bonæ ſpei plenus ad
» Dominici corporis participationem accederet, juſſi: ſed poſtea aliter definitum eſt à patribus concilii Carthaginenſ. V. nempe ſine ulla cunctatione debere baptizari. Vide can. VI. qui refertur in integro codice canonum Eccleſiæ Africanæ c. LXXII. Statuta concil. Hipponenſis breviata c. XL. Non aliter Sanctus Leo in epiſt. ad Leonem Ravennatem epiſcopum, & in ſuis reſponſionibus ad inquiſitiones Ruſtici Narbonenſis Reſp. XVI. Si nulla, inquit,

Digitized by Google

quit, extant indicia inter propinquos, aut familiares, nulla inter clericos, aut vicinos; quibus hi, de quibus quæritur, baptizati fuiſſe doceantur, agendum eſt, ut renaſcantur: ne manifeſtè pereant, in quibus quod non oſtenditur geſtum, ſicut ratio non ſinit ut videatur iteratum. Eadem reſpondens Trojanus Epiſcopus ad Eumerium Epiſcopum profitetur ſe quod à majoribus ſtatutum eſt, indubitanter judicare. Quare ita concludit: Statutum noveris, ut quicumque ſe baptizatum fuiſſe non recolit, nec ab alia perſona id factum fuiſſe probatur: Baptiſmum abſque ulla dilatione percipiat, ne à nobis illius anima ſi à baptizatis ſeparata fuerit, requiratur. V. Gregorium II. epiſt. xiii. c. ix. excerptiones Egberti Eboracenſis c. xli. Gregorium III. epiſt. i. c. v. Tunc igitur temporis nulla interponebatur conditio. Actus enim legitimi, ut loquuntur juriſperiti, non recipiunt conditionem. Si tamen nonnumquam tacitè recipiant: quæ apertè comprehenſa vitium adfert. Attamen ſtatuta Sancti Bonifacii Moguntini ſub conditione baptizandum ſanciunt cap. xxviii. His tamen verbis præmiſſis: Non te rebaptizo, ſed ſi nondum es baptizatus, baptizo te in nomine Patris, & Filii, & Spiritus ſancti. Ex ſpicilegio R. Domni Lucæ Acherii tom. ix. Magiſter Robertus de Flamesbure in ſuo pœnitentiali putat Dionyſii Alexandrini ſententiam non eſſe damnandam, et ſi communius aliorum judicium tutius exiſtimet.

Selecta ex Pœnitentiali Ms. Roberti Flameſbure. lib. III.

BAptiſmus eſt etiam de ſubſtantia Ordinis: quia baptiſmus eſt janua, & fundamentum non ſolùm ordinum, ſed etiam omnium ſacramentorum. Unde baptiſmo non habito, nullus ordo, nullum ſacramentum ſuſcipitur. Dicit tamen domnus Innocentius: quod ſi quis habet fidem, licet nec aqua baptizatus fuerit, nec ſanguine proprio, ut fit in martyrio, ordinem ſuſcipit. Baptizatur enim quis in Spiritu: & ex quo habet fidem, habet & Chriſtum: & ita in Chriſto baptizatus eſt, qui eſt fundamentum omnium bonorum. Sacerdotem tamen non baptizatum fecit baptizari, & reordinari, quia ſic ſenſerunt prædeceſſores ejus: & hoc tutius eſt.

Et omnes quos prius baptizavit. Presbyter qui deprehendit ſe non eſſe baptizatum. Et quidem fuerunt, qui rebantur eos qui laici effecti ſunt, nec baptizandi habere poteſtatem, ut S. Baſilius teſtatur in epiſt. canonica ad Amphilochium c. i. Qui autem abrupti ſunt, laici effecti nec baptizandi nec ordinandi habent poteſtatem, &c. Quare eos qui ab ipſis baptizati erant, tanquam à laicis baptizatos, juſſerunt ad eccleſiam venientes vero Eccleſiæ baptiſmo expurgari. Porro quæſtio tanta eſt, utrum & ab iis qui nunquam fuerunt Chriſtiani, poſſit baptiſmus dari, ut S. Auguſtinus de ea nihil audeat affirmare libro II. contra epiſtolam Parmeniani cap. xii. & hæc quidem, inquit, alia quæſtio eſt, utrum & ab iis qui nunquam fuerunt Chriſtiani, poſſit baptiſmus dari: nec aliquid temerè

XVI. De baptizatis ab iis qui nondum baptizati ſunt.

» inde affirmandum eſt ſine auctoritate tanti Concilii, quantùm tantæ rei ſufficit: Non multò poſt patres Concilii Compendienſis quæſtionem defi-
» nierunt can. IX. Si quis baptizatus eſt a Presbytero non baptizato, & ſancta
» Trinitas in ipſo baptiſmo invocata fuerit, baptizatus eſt, ſicut Sergius papa dixit. Unde Magiſter Robertus de Chorçon non dubitat aſſerere baptiſmum ab infideli verè datum eſſe: ſi intendat immergere, eo modo, quo docet Eccleſia, quamvis non ferat animum ad fructum baptiſmi, & illum pro ridiculo habeat.

Selecta ex Summa Ms. Roberti Magiſtri de Chorçon in quæſt XXXVIII. Cap. X.

Ille qui immergit, ſi intendit, id quod facit Eccleſia facere, & eo fine quo facit Eccleſia: non eſt dubium quin baptizet. Sed qui intendit immergere, eo modo quo Eccleſia docet, ſed tamen non intendit conferre fructum baptiſmi, alicui poteſt eſſe dubium, quin baptizet: putà aliquis fidelis commiſit parvulum ſuum infideli cùm peregrè profectus eſt, tali adjecta conditione, quòd ſi viderit parvulum in extremis laborantem, eum trina baptizet immerſione ſub prædicta forma verborum, quam ille adjecit. In tali caſu dicimus quòd ille, ex quo ſeriò intendit baptizare, eo modo quo baptizat Eccleſia, ipſe ſinedubiò baptizat: quamvis non ferat animum ad fructum baptiſmi, immò pro ridiculo habeat omnem fructum.

XVII. Utrum liceat Diacono. pœnitétiam dare laico.

NON LICET DIACONO LAICO POENITENTIAM DARE. Non niſi cogente neceſſitate licere dicit concilium Eliberitanum can. XXXII. Apud Preſbyterum ſi quis gravi lapſu in ruinam mortis inciderit, placuit agere pœ-
» nitentiam non debere, ſed potius apud Epiſcopum: cogente tamen infir-
» mitate, neceſſe eſt Presbyterum communionem præſtare debere, & diaco-
» num, ſi ei juſſerit ſacerdos. S. Cyprianus in ep. XII. Si incommodo aliquo
» & infirmitatis periculo occupati fuerint, non expectata præſentia noſtra
» apud Presbyterum quemque præſentem, vel ſi Presbyter repertus non
» fuerit, & urgere exitus cœperit, apud Diaconum quoque exomologeſim
» facere delicti ſui poſſint, ut manu eis in pœnitentia impoſita veniant ad Dominum cum pace. Et quidem ſecundum Optatum & Hieronymum Diaconi ſunt in tertio gradu ſacerdotii. Vide Halitgarium in præfatione pœnitentialis Romani, Reginonem lib. I. de Eccleſiaſticis diſciplinis CCXCV. ex pœnitentiali Romano. Sicut enim ſacrificium offerre non debent, niſi Epiſcopi & Presbyteri, quibus claves regni cœleſtis traditæ ſunt, ſic nec pœni-
» tentium judicia alii uſurpare debent. CCXCVI. Si autem neceſſitas evenerit, &
» Presbyter non fuerit præſens, Diaconus ſuſcipiat pœnitentem ad ſanctam
» communionem. Theodorus ſubjungit: ſed Epiſcopi aut Presbyteri dare debent; ſi Presbyteri habeant poteſtatem, non tamen ſine juſſu Epiſcopi, ſicut declarant prædictæ patrum auctoritates. Quod confirmat Magiſter Robertus de Chorçon in ſua Summa.

Digitized by Google

Selecta ex Summa Ms. Magiſtri Roberti de Chorçon in quæſt. de Pœnitentia cap. XLVI.

Dicimus quòd duo præmiſſa, ſcilicet dare conſilium, & pœnitentiam indicere, conveniunt cuilibet alieno ſacerdoti: Si tamen habeat illud per ſpeciale mandatum ſuperioris, ut Epiſcopi loci vel legati Domini Papæ. Unde clauſtrales S. Victoris non haberent hoc niſi de mandato Epiſcopi Pariſienſis. Unde nec ipſi nec aliqui alii ſine mandato Domini Epiſcopi poſſunt ſe ad hoc intrudere.

DIACONI POSSUNT BAPTIZARE. Jus datur, quod non habet niſi Epiſcopi auctoritate propter Eccleſiæ honorem. Tertull. de baptiſmo cap. XVII. Dandi quidem habet jus ſummus ſacerdos, qui eſt Epiſcopus. Dehinc Presbyteri, & Diaconi; non tamen ſine Epiſcopi auctoritate propter Eccleſiæ honorem: quo ſalvo ſalva pax eſt. S. Hieronymus adverſus Luciferianos. Eccleſiæ ſalus in ſummi ſacerdotis dignitate pendet: Cui ſi non exors quædam, & ab omnibus eminens detur poteſtas, tot in Eccleſiis efficientur ſchiſmata, quot ſacerdotes. Inde venit, ut ſine chriſmate, & Epiſcopi juſſione, neque Presbyter, neque Diaconus jus habeant baptizandi. Gelaſius I. ad Epiſcopos Lucaniæ ep. IX. cap. VII. Diaconos quoque propriam conſtituimus ſervare menſuram, nec ultra tenorem paternis canonibus deputatum quippiam tentare permittimus: Nihil eorum penitus ſuo miniſterio applicare, quæ primis ordinibus propriè decrevit antiquitas. Abſque Epiſcopo vel Presbytero baptiſare non audeant, niſi, prædictis fortaſſe officiis longiùs conſtitutis, neceſſitas extrema cogit quod & laïcis Chriſtianis facere plerumque conceditur. XVIII

NON PANEM DARE. Conc. Laodic. can. XXV. Quod non oporteat miniſtros panem dare, vel calicem benedicere. Diaconos priſcis Eccleſiæ ſeculis dediſſe panem in quo gratiarum actiones ſunt actæ, & calicem propinaſſe, ſatis ſuperque demonſtrant horum temporum Patres. S. Juſtinus in apologia juxta Euſebium prima. Diaconi diſtribuunt unicuique præſentium, eum, in quo gratiæ actæ ſunt, panem &c. Porro alimentum hoc apud nos appellatur Euchariſtia. S. Cyprianus de lapſis: Ubi verò ſolemnibus adimpletis calicem Diaconus offerre præſentibus cœpit &c. Tamen Tertullianus Cypriani magiſter Euchariſtiæ ſacramentum nec de aliorum manu quàm præſidentium ſumi teſtatur lib. de Corona cap. I I. Poſtea S. Athanaſius de propinando ſanguine Chriſti affirmat nemini hoc licere, niſi ſacerdotibus: Veſtrum, inquit in apologia ſecunda, ſolummodo eſt propinare populo ſanguinem Chriſti, & præterea nullius. Cum Athanaſio Joannes Chryſoſtomus ſic loquitur in homilia XLVI. in caput Matth. XIII. Nonne vides, quia ſoli ſacerdoti fas eſt ſanguinis calicem tibi tradere? Porro de iſtiuſmodi ritibus oportet ſemper attendere non ſolum tempora, ſed & loca. Nam circa tempora Joannis Chryſoſtomi, in cujus Eccleſia ſoli ſacerdotes calicem propinabant, in Eccleſia Mediolanenſi teſtatur S.

Utrum liceat Diaconis panem dare.

„ Ambroſius etiam viduas corpus & ſanguinem Chriſti miniſtraſſe libr. de
„ viduis. Simul qualis eſſe debeat quæ Chriſto miniſtrat, oſtenditur. O-
„ portet eam primò carere variarum illecebris voluptatum, vitare internum
„ corporis animique languorem, ut corpus & ſanguinem Chriſti miniſtret,
„ &c. Dionyſius Alexandrinus in epiſtola ad Fabium apud Euſebium libr.
„ VI. hiſt. cap. XLIV. ſcribit puero Euchariſtiam datam eſſe à ſacerdote, ut
„ miniſtraret Serapioni. Sed quoniam, inquit, in mandatis dederam ut
„ morituris, ſi peterent, & maximè ſi antea ſuppliciter poſtulaſſent, venia
„ indulgeretur, quo bonæ ſpei pleni ex hac vita migrarent; exiguam Eucha-
„ riſtiæ partem puero tradidit, jubens ut in aqua intinctam ſeni in os inſtil-
„ laret. Quæ omnia poſtea omnino interdixit Synodus Remenſis can. II.
„ Pervenit ad notitiam noſtram, quod quidam Presbyteri intantùm parvi-
„ pendant divina myſteria, ut laico vel fœminæ ſacrum corpus Domini tra-
„ dant ad deferendum infirmis: & quibus prohibetur, ne ſacrarium ingre-
„ diantur, ne ad altare appropinquent, illis ſancta ſanctorum committantur.
„ Quod quàm ſit horribile omnium religioſorum animadvertit prudentia.
„ Igitur interdicit per omnia ſynodus, ne talis temeraria præſumptio ulte-
„ rius fiat: ſed in omnimodis Presbyter per ſemetipſum infirmum com-
„ municet. Quod ſi aliter fecerit, gradus ſui periculo ſubjacebit.

XX. De benedictione cibi & potus.

„ MONACHI ET CLERICI POSSUNT BENEDICERE CIBUM. Etiam virgi-
„ nes benedicebant teſte auctore libri de Virginitate, qui legitur inter opera
„ S. Athanaſii. Quod ſi, inquit, affuerint tibi tres virgines, dicant bene-
„ dictionem ſuper panem, unà tecum orent &c. Tu enim ſancta es Domi-
„ no, & cibus tuus & potus tuus ſanctificatus eſt. Per preces enim & ſacra-
„ tiora verba ſanctificatur. S. Joannes Chryſ. in homilia XXXII. in cap.
„ Matth. XIX. oſtendit à nullo Chriſtiano eſcas ſumi debere, niſi benedi-
„ ctas & ſanctificatas oratione ac gratiarum actionibus. Si enim, ait,
„ qui eſcas ſuas per orationem non offert Deo, coinquinatus eas manducat;
„ ſecundùm quod de illis ait Apoſtolus: quoniam omnis creatura Dei bona,
„ & nihil rejiciendum, quod cum gratiarum actione percipitur: ſanctifica-
„ tur enim per verbum Dei & orationem. Dicens, ſanctificatur per verbum
„ Dei & orationem, oſtendit quia maculata eſt, niſi per orationem fuerit
„ omnis eſca mundata & ſanctificata. Ad benedicendum panem à Chriſtianis
„ conſignari indicat incertus auctor commentarii in Evangelium Matthæi
„ inter opera Joannis Chryſoſtomi homil. XVIII. Utputa ſignas panem tuum,
„ quem manducas, ſicut ait Paulus: ſanctificatur enim per verbum Dei &
„ orationem. Vide Gregorium Nazianzenum in oratione XIX. qui ibi refert
„ panibus benedictis, atque cruce conſignatis ſuam matrem ægrotam aluiſſe,
„ ſicque convaluiſſe ac vires collegiſſe.

Digitized by Google

CAPUT III.

De Ordinatione diverſorum.

SEEPTEM DIES VELET CAPUT SVVM CVCVLLA SVA. Conventus Aquiſ- I.
granenſis cap. xxxv. ut Monachus profeſſione factâ tribus diebus cu-
culla coopertum habeat caput.

SECUNDUM BAPTISMA ET IUXTA IUDICIUM PATRUM, Nimirum pro- II. Virtus baptiſmi pœnitentiæ.
pter pœnitentiam, quam ſæpiſſime patres vocant baptiſmum aſperiorem
& laborioſiorem. S. Gregorius Nazianz. in oratione XXXIX. Quintum lo-
cum, lacrymarum baptiſmus tenet. Verùm aſperior & laborioſior; quo
quidem ille tingitur, ut qui per ſingulas noctes lectum ſuum ac ſtratum
lacrymis lavat, cui ipſæ quoque vitii cicatrices fœtent, qui lugens & con-
triſtatus ingreditur, qui Manaſſis reſipiſcentiam, ac Ninivitarum humili-
tatem cui miſericordia impertita eſt, imitatur, &c. Et Joannes Clima-
cus hunc baptiſmum tanti facit, ut eum quidem videatur præferre baptiſ-
mo aquæ. Poſt baptiſma, inquit in gradu VIII. Potentior baptiſmate,
ſi ita fas loqui, fons eſt lacrymarum. Baptiſma quippe tantum præteritas
peccatorum ſordes repurgat, luctus autem noxas poſt baptiſmum contra-
ctas diluit. Baptiſma quo infantes tincti ſumus, omnes poſteà inquinavi-
mus; per fontem autem lacrymarum etiam baptiſmum ſuo nitori reſtitui-
mus, quem ſi benigniſſimus Deus homini largitus non eſſet, rari admo-
dum aut perpauci ſalutem conſequerentur.

PRESBYTER POTEST ABBATISSAM CONSECRARE, Sed non inconſulto III.
Epiſcopo præſcribunt patres Concilii Carthaginenſis III. c. XXXVI. Ut
prebyter inconſulto Epiſcopo virgines non conſecret, chriſma verò nun-
quam conficiat.

SANCTÆMONIALES VERO BASILICAS SEMPER DEBENT CONSECRARE IV.
Continuis precum, & gratiarum actionum ſacrificiis. Unde ſæpius a
patribus vocantur aræ Dei mundæ, & altaria. Tertull. libr. I. ad uxorem
cap. VII. Aram enim Dei mundam proponi oportet; tota illa Eccleſiæ can-
dida de ſanctitate conſcribitur ſacerdotium viduitatis, & cœlibatuum.
Concil. IV. Carthagin. c. CIII. vetus auctor conſtitutionum Apoſtolica-
rum libr. II. cap. XXVI. Habete etiam honorem virginibus, ut thuribu-
lum, & thymiama repræſentantibus. v. libr. III. cap. VI. libr. IV. cap. II.

GRÆCI SIMUL BENEDICUNT VIDUAM ET VIRGINEM. Vide Concil. V.
IV. Carthag. c. XII. & XIII. aut potius ſtatuta Eccleſiæ antiqua c. XCIX.
Sanctimonialis virgo cùm ad conſecrationem &c. Et can. C. viduæ vel ſan-
ctimoniales quæ ad miniſterium &c.

ROMANI NON VELANT VIDUAM. Quod idem confirmant Patres VI.
Concil. Turonenſis can. XX. his verbis. Illud verò quod aliqui dicunt,
Vidua quæ benedicta non fuit, quare non debet maritum accipere? cùm
omnes ſciant quod nunquam in canonicis libris legitur benedictio vidua-

„ lis: quia ſolum propoſitum illi ſufficere debet, ſicut in Epaonenſibus ca-
„ nonibus à Papa Avito, vel omnibus epiſcopis conſcriptum eſt: Viduarum
„ conſecrationem, quas Diaconas vocant, ab omni regione noſtra penitus
„ abrogamus &c. Et Conc. Triburienſ. c. XXII. Viduas autem velare Ponti-
„ ficum nullus attentet, prout conſtitutum eſt in decretis Papæ Gelaſii cap.
„ XIII. quod nec auctoritas divina, nec canonum forma præſtituit. v. in-
„ frà cap. VII.

VII. Secundum Græcos presbytero licet Virginem ſacro velamine conſecrare, reconciliare pœnitentem in publica Miſſa, facere oleum exorcizatum, denique facere abſente Epiſcopo quicquid præſens feciſſet. Qui mos multum ſervabatur in Alexandria & per totam Ægyptum, ſicut plures affirmant: Auctor commentarii in Epiſtolam Pauli ad Epheſios cap. III. apud Ambroſium. „ Denique apud Ægyptum presbyteri conſignant, ſi „ præſens non ſit Epiſcopus. Auctor quæſtionum veteris & novi teſtamen- „ ti apud S. Auguſtinum. Nam in Alexandria, & per totam Ægyptum, ſi „ deſit epiſcopus conſecrat presbyter. Vide Hieronymum in epiſt. ad Evagrium, Rabanum in epiſt. ad Regimbaldum. Hujuſce rei ratio quam iidem proponunt, ea eſt, quam paucis refert Hilarius Diaconus apud Ambroſium in I. ep. ad Timotheum. „ Quia, inquit, Epiſcopi & Preſbyteri una „ ordinatio eſt. Uterque enim ſacerdos eſt, ſed Epiſcopus primus eſt. V. eumdem in quæſtionibus veteris & novi teſtamenti apud Aug. quæſt. CI. Hieronymum in Epiſtola ad Oceanum, in epiſt. ad Evagrium, commentar. in cap. I. epiſt. ad Titum, ubi loquitur ſicut Tertullianus de exhortatione caſtitatis cap. VII. S. Auguſtinum in epiſtola ad Hieronymum. Sed ne omittam Græcos patres, conſule Joannem Chryſoſt. in cap. I. epiſt. Pauli ad Philippenſes. Theodoretum in cap. III. epiſt. I. Pauli ad Timotheum, & in cap. I. ep. ad Titum.

VIII. Infirmis chrisma si necesse est. Secundum Græcos, & Patres „ Concilii Toletani can. XX. & Conc. Arauſicani can. I. Hæreticos in mortis „ diſcrimine poſitos, ſi catholici eſſe deſiderant, ſi deſit Epiſcopus, à Preſ- „ byteris cum chriſmate & benedictione conſignari placuit. Eadem reperies in conc. Arelatenſi II. c. XXVI. conc. Epaonenſ. c. XVI.

IX. *Cur plura ad jus ſolius Epiſcopi pertineant.* Secundum Romanos autem non licet, nisi Episcopo soli Scilicet virginem ſacro velamine conſecrare, reconciliare pœnitentem in publica Miſſa, facere oleum exorcizatum. Sic ſtatuunt Patres Concilii Carthaginenſis II. can. III. qui refertur in integro codice canonum Eccleſiæ Africanæ c. XXXVI. Gelaſius Papa in epiſt. ad Epiſcopos Lucaniæ cap. VI. Patres Concilii Agathenſis can. XLIV. Patres Concilii Hiſpalenſis II. can. VII. his verbis, „ Nam quamvis cum Epiſcopis plurima illis myſte- „ riorũ communis ſit diſpenſatio, quædam novellis & Eccleſiaſticis regulis ſi- „ bi prohibita noverint. Sicut Preſbyterorum, & Diaconorum ac virgi- „ num conſecratio; ſicut conſtitutio altaris, benedictio, vel unctio: ſiqui- „ dem nec licere eis Eccleſiam, vel altaria conſecrare, nec per impoſitionem „ manus fidelibus baptizatis, vel converſis ex hæreſi Paracletum Spiritum

Digitized by Google

tradere, nec chriſma conficere, nec chriſmate baptizatorum frontem ſignare, ſed nec publicè quidem in Miſſa quemquam pœnitentium reconciliare, nec formatas cuilibet epiſtolas mittere. Iſta praxis Romanorum diverſa a Græcorum ritibus ſuas quoque habet rationes, quas Varias patres ita exponunt. Alii exiſtimant illud fieri, quia in Epiſcopo omnes ordines ſunt, & ne vulgaris & viliſſima res videretur ſi omnes eadem poſſent. Hilarius Diaconus in comment. in epiſt ad Epheſios cap. IV. Nam in Epiſcopo omnes ordines ſunt, quia primus ſacerdos eſt, hoc eſt, princeps eſt Sacerdotum, & Propheta, & Evangeliſta, & cetera adimplenda officia Eccleſiæ in miniſterio fidelium &c. Et infrà: ut creſceret plebs, & multiplicaretur, omnibus inter initia conceſſum eſt &c. At ubi autem omnia loca circumplexa eſt Eccleſia, conventicula conſtituta ſunt, & rectores, & cetera officia in Eccleſiis ſunt ordinata &c. Cœpit alio ordine, & providentia gubernari Eccleſiæ: quia ſi omnes eadem poſſent, irrationabile eſſet, & vulgaris res & viliſſima videretur. Hinc ergo eſt unde nunc neque &c. Alii hoc decretum eſſe dicunt, ut ſchiſmata tollerentur. S. Hieronymus in commentar. in epiſt. ad Titum cap. I. Idem eſt ergo Preſbyter, quod Epiſcopus: & antequam diaboli inſtinctu, ſtudia in religione fierent, & dicerent in populis: Ego ſum Pauli, Ego Apollo, Ego autem Cephæ, communi Preſbyterorum conſilio Eccleſiæ gubernabantur. Poſtquam verò unuſquiſque eos, quos baptizaverat, ſuos putabat eſſe, non Chriſti: in toto orbe decretum eſt, ut unus de preſbyteris electus ſuperponeretur: ad quem omnis Eccleſiæ cura pertineret, & ſchiſmatum ſemina tollerentur &c. hæc propterea, ut oſtenderemus apud veteres eoſdem fuiſſe preſbyteros quos & Epiſcopos: paulatim verò ut diſſenſionum plantaria evellerentur, ad unum omnem ſollicitudinem eſſe delatam. Denique propter Eccleſiæ honorem, quo ſalvo ſalva pax eſt, inquit Tertullianus libr. de baptiſmo cap. XVII. & quem S. Cyprianus ſæpius commendat in ſuis epiſtolis, conſtituerunt, illa omnia prædicta ad jus ſolius Epiſcopi pertinere, atque hæc omnia illicita eſſe preſbyteris, quia ut aiunt Patres Concilii Hiſpalenſis II. can. VII. Pontificatus apicem non habent, quem ſolis debere Epiſcopis auctoritate canonum præcipitur: ut per hoc & diſcretio graduum, & dignitatis faſtigium ſummi Pontificis demonſtretur.

Variæ rationes. I. II. III.

CAPUT IV.

De Baptiſmatis Confirmatione.

IN BAPTISMATE DIMITTUNTUR NON CONIUNCTIONES. Quia, ut ſubjicit, baptiſma non bonum, ſed malum diluit. S. Gregorius Nazianzenus in oratione LXXX. Non enim, quemadmodum lavacrum hanc vim habet, ut peccata deleat, ita etiam rectè facta extinguit. I.

* HOC INNOCENTIUS PAPA. Hoc argumento Innocentius uſus eſt in II. Unum

Bigami, qui alteram poſt lavacrum priore mortua duxeriſſe uxorem: & quomodo intelligendum: *Unius uxoris viri*

ſuis epiſtolis, nimirum in epiſtola ad Victricium Epiſcopum Rotomagenſem cap. VI. ep. ad Epiſcopos Macedoniæ cap. II. ep. ad Synodum in Toletana civitate conſtitutam c. VI. ep. XXIII. ad Epiſcopos Synodi Toletanæ. Argumentum, quod Innocentius toties repetit, quo probet bigamos eſſe etiam eos, qui alteram poſt lavacrum priore mortuâ duxerunt uxorem, ita Hieronymo objectum eſt à viro eloquentiſſimo, ſicut ipſemet teſtatur in epiſt. ad Oceanum, ut inter alia dicat unius uxoris eſſe virum, qui ſingulas uno tempore habuerit uxores. Hoc quod dicit unius uxoris virum, poteſt & aliter diſſeri. Ex Judæis erat Apoſtolus, Prima Chriſti Eccleſia, de Iſraël reliquiis congregabatur. Sciebat lege conceſſum, & exemplo Patriarcharum ac Moyſi familiari populo noverat in multis uxoribus liberos ſpargere: ipſis quoque ſacerdotibus hujus licentiæ patebat arbitrium. Præcepit ergo, ne eandem licentiam Eccleſiæ ſibi vendicent ſacerdotes: ne bina pariter & trina conjugia ſortiantur, ſed ut ſingulas uno tempore uxores habeant. Ab illa interpretatione proculdubio non abhorrebant Epiſcopi, quos aſperius vituperat Tertullianus libro de Monogamia cap. XII. his verbis: Proſpiciebat ſpiritus ſanctus dicturos quoſdam, Omnia licent Epiſcopis; ſicut ille veſter Uthinenſis nec ſcantiniam timuit. Quod enim & digami præſident apud vos, inſultantes utique Apoſtolo, certò non erubeſcentes, cùm hæc ſub illis leguntur. Nihilominus ſuprà dixerat libro I. ad uxorem cap. VII. Quantum obſtrepant ſanctitati nuptiæ ſecundæ, diſciplina Eccleſiæ & præſcriptio Apoſtoli declarat, cum digamos non ſinit præſidere & in libro de exhortatione caſtitatis, in quo dehortatur à ſecundis nuptiis, meminit quoſdam digamos à loco dejectos. Sed illud refert ut quid omnino inſolitum: Utque adeo, inquit cap. VII. quoſdam memini digamos loco dejectos. Et veriſimile eſt plures in Eccleſia præſediſſe; cum S. Hieronymus aſſeveret totum mundum plenum eſſe his ordinationibus, atque ut ait in ep. ad Oceanum, non dico de Presbyteris: non de inferiori gradu: ad Epiſcopos venio, quos ſi ſigillatim voluero nominare: tantus numerus congregabitur, ut Ariminenſis ſynodi multitudo ſuperetur. Sed indecens eſt, ſic unum tueri, ut plures accuſare videaris; & quem ratione non poſſis, ſocietate peccantium defendas. Quis credat Hieronymo, ſi legatur quod S. Epiphanius poſt Origenem dicit hæreſ. LIX. non ſuſcipere ſanctam Dei prædicationem poſt Chriſti adventum eos qui, mortua ipſorum uxore, ſecundis nuptiis conjuncti ſunt, propter excellentem ſacerdotii honorem ac dignitatem: niſi obſervet Hieronymi ſententiæ favere teſtimonia aliorum Patrum Græcorum, S. J. Chryſoſt. homil. X. in epiſt. Pauli ad Timoth. I. cap. III. & Theodoreti. Hic enim refert in cap. III. epiſt. I. ad Timotheum ſententiam eorum, qui ſentirent eum, qui cum unâ ſolâ uxore pudicè cohabitat, dignum eſſe, qui ordinetur Epiſcopus: nec ſecundas Apoſtolum rejeciſſe nuptias. Deinde eam auctoritate Divi Pauli confirmare contendit, ac denique illam ceteris anteponere ſe profitetur his verbis: ταῦτα καὶ τὰ τοιαῦτα σκοπούμενος,

ἀπο-

ἀποδέχεσθαι τῶν οὕτω γεγενηκότων τὴν ἱερωσύνην. Quod verò Patres Latinos, qui Hieronymum præceſſerunt, ipſi teſtantur multos hujuſmodi digamos fuiſſe ordinatos, quapropter Patribus Concilii Valentini placuit can. 1. de eorum ſtatu, qui priùs ordinati fuerant nihil revolvi. Et Sanctus Ambroſius dicit libro 1. officiorum cap. 1. Pleriſque mirum videri, cur ante baptiſmum iterato conjugio, ad electionem muneris & ordinationis prærogativam impedimenta generentur, cùm etiam delicta obeſſe non ſoleant, ſi lavacri remiſſa fuerint Sacramento. Sed tamen contrariam amplectitur ſententiam: Intelligere, inquit, debemus, quia in baptiſmo culpa dimitti poteſt, lex aboleri non poteſt. In conjugio non culpa, ſed lex eſt; quod culpæ eſt igitur, in baptiſmate relaxatur: quod legis eſt, in conjugio non ſolvitur. Poſtea omnes ferè alii eodem modo locuti ſunt. Siricius Papa in epiſt. ad Himerium Terraconenſem. cap. IX. X. Innocentius I. in omnibus locis ſuprà citatis. Concilium Carthaginen. nomine IV. c. LXIX. S. Auguſtinus de bono conjugali cap. XVIII. cujus verba notanda ſunt. Propterea Sacramentum Nuptiarum temporis noſtri ſic ad unum maritum & unam uxorem redactum eſt, ut diſpenſatorem Eccleſiæ non liceat ordinare, niſi unius uxoris virum. Quod acutius intellexerunt, qui nec eum qui cathecumenus, vel paganus habuerit alteram, ordinandum eſſe cenſuerunt. De Sacramento enim agitur, non de peccato. Nam in baptiſmo peccata omnia dimittuntur. Vide Leonem Papam I. in ep. ad Anaſtaſium Epiſcopum Theſſalonicenſem cap. III. in ep. ad Epiſcopos Provinciæ Viennenſis cap. I. Conc. Arauſican. c. XXV. Concil. Andegavenſe can. XI. Concilium Romanum ſub Hilaro Papa can. II. Concilium Agathenſe can. I. & Concilium Arelatenſe IV. can. III.

III. De baptiſmo quomodo intelligẽdum nullum perfectum in baptiſmo eſſe.

NULLUM PERFECTUM CREDIMUS IN BAPTISMO, Nempe qui non completur ceteris ſacramentis. Hîc præſertim cum patribus Latinis Theodorus loquitur. Tertullianus libro de baptiſmo cap. VI. non quòd in aquis ſpiritum ſanctum conſequamur, ſed in aqua mundati, ſub Angelo Spiritui ſancto præparamur. Cornelius in ep. ad Fabium de Novato apud Euſebium lib. VI. cap. LXIII. In ipſo in quo jacebat lectulo perfuſus, baptiſmum ſuſcepit; ſi tamen hujuſcemodi baptiſmum ſuſcepiſſe dicendus eſt. Sed neque poſtquam liberatus eſt morbo, reliqua percepit, quæ juxta Eccleſiaſticam regulam percipi debent: neque ab Epiſcopo conſignatus eſt. Hoc autem ſignaculo minimè percepto, quo tandem modo Spiritum ſanctum potuit accipere, S. Cyprianus in ep. LXXIV. ad Pompeium. Vetus auctor quem unà cum Cypriano edidit V. Cl. N. Rigaltius poſt epiſtolam citatam. Non negant tamen Cyprianus & Hieronymus cogente neceſſitate totum conferre divina compendia. Hoc dicit S. Cyprianus etiam de Clinicis in epiſt. ad Magnum de baptizandis Novatianis; & de iis qui in lecto gratiam conſequuntur. In ſacramentis, inquit, ſalutaribus neceſſitate cogente, & Deo indulgentiam ſuam largiente totum credentibus conferunt divina compendia. Quod Cyprianus dicit de Clinicis, id affirmat Hieronymus de iis qui ob remotiora loca à Presbyteris vel Diaconis bapti-

zati mortui erant, priuſquam ab Epiſcopo confirmarentur. Sic egregiè S.
» Hieronymus adverſus Luciferianos. Quod ſi hoc loco quæris: quare in
» Eccleſia baptizatus, niſi per manus Epiſcopi, non accipiat Spiritum ſan-
» ctum, quem nos aſſerimus in vero baptiſmate tribui: diſce hanc obſer-
» vationem ex ea auctoritate deſcendere, quòd poſt aſcenſum Domini Spiri-
» tus ſanctus ad Apoſtolos deſcendit: & multis in locis idem factitatum re-
» perimus ad honorem potiùs ſacerdotii, quàm ad legis neceſſitatem. Alio-
» qui ſi ad Epiſcopi tantùm imprecationem Spiritus ſanctus defluit, lugen-
» di ſunt qui in viculis, aut in caſtellis, aut in remotioribus locis per preſby-
» teros & diaconos baptizati antè dormierunt, quàm ab Epiſcopis inviſeren-
» tur. Quare Theodorus dicit capitul. IV nullum perfectum credimus ſine
» confirmatione Epiſcopi: tamen non deſperamus.

IV. Quomodo baptiſmus vocatu perfectum? CONFIRMATIONEM EPISCOPI NON DISPUTAMUS. Nunc Theodorus natione Græcus videtur indicare patrum Græcorum ſententiam, qui dicunt baptiſmum tria ſignificare, tinctionem, hominem fide imbutum: merſionem, ablutum ſordibus, & maculis: emerſionem, reſurgentem; ac proinde ab illis vocari illuminationem, lavacrum, perfectum & perfectum cui nihil deeſt. Poſt S. Juſtinum in fine apologiæ II. in editis, ſed quæ prima eſt juxta Euſebium, S. Theophilum Antiochenum ad Autolicum lib. II. contra Chriſtianæ Religionis calumniatores. S. Irenæum libr. II. adverſus hæreſes cap. XIX. iſta manifeſtiſſimè declarat S. Clemens Alexandrinus libr. I. pædag. cap. VI. his verbis: Hoc ipſum nobis quoque eve-
» nit, quorum exemplar fuit Dominus. Tincti illuminamur, illuminati in
» filios adoptamur: adoptati perficimur: perfecti, immortales reddimur.
» Multis autem modis vocatur hoc opus, gratia, illuminatio, perfectum,
» & lavacrum. Lavacrum quidem, per quod peccata abſtergimus: gratia
» autem, qua remittuntur pœnæ quæ peccatis debentur: Illuminatio autem,
» per quam ſanctam illam & ſalutarem lucem intuemur, hoc eſt, per quam id
» quod eſt divinum perſpicimus. Perfectum autem dicimus, cui nihil deeſt.
» Quibus plures alii patres Græci aſſentiuntur. Origenes commentar. in Joannem tom. 2. edit. Huet. pag. 124. S. Athanaſius in oratione contra Arianos in hæc verba *Deus eſt Verbum*. S. Baſilius in homilia de baptiſmate: & ſermone II. cap. I. S. Gregorius Nazianzenus in orat. in ſanctum baptiſma &c. fatendum tamen eſt patres Concilii Laodiceni videri aliter loqui can. XLVIII.

V. Locus difficilis. TAMEN IN NICOENA SYNODO FUIT CHRISMA CONSTITUTUM. Iſtud non reperitur inter decreta Nicœnæ Synodi. Porro quædam ſunt quæ inter XX. canones non leguntur, ut decretum de feſto Paſchæ apud Euſebium, & Athanaſium &c. decretum de actis prioris Synodi in altera ſynodo examinandis: cujus meminit Julius Papa in epiſtola, quam S. Athanaſius retulit in apologia II. Hæc decreta quæ à patribus commendantur, qui ſynodo interfuerunt, aut qui ferè ejuſdem temporis, maximæ ſunt auctoritatis: minoris verò, aut propè nullius, quæ poſteriorum teſtimonio fulciuntur; qualia ſint decreta, quæ leguntur apud Gregorium Turonen-

Digitized by Google

ſem, & alia v. g. de notis litterarum formatarum à recentioribus relata. A quibus enim illa acceperint, valde incertum eſt. Sed ad cujuſnam generis decreta referendum ſit hoc conſtitutum, difficile eſt affirmare. Quomodo enim in Nicœna ſynodo chriſma conſtitutum, de quo locutus eſt Tertullianus antiquiſſimus in libro de Baptiſmo cap. VII. & aliis locis. Non video igitur quid hoc loco ſentiat Theodorus, niſi forſan intelligat id, quod à Silveſtro Papa circa tempora Nicœnæ ſynodi ſtatutum ſic dicitur in geſtis Pontificum: Hic & hoc conſtituit, ut baptizatum liniat preſbyter Chriſmate levatum de aqua propter periculum mortis. Quare ille foret ſenſus: confirmationem Epiſcopi non diſputamus, tamen à Silveſtro Papa conſtitutum eſt, nec à Nicœna ſynodo reprobatum, ut Preſbyteri baptizatos linirent chriſmatis unctione, quam placuit patribus Concilii Arauſicani non repeti. Unde fortaſſe quidam & auctoritate S. Gregorii impulſi dixerunt in caſu neceſſitatis, & in quibuſdam locis Preſbyteris conceſſam fuiſſe confirmandi poteſtatem.

Selecta ex libro Ms. de Sacramentis Magiſtri Petri Cantoris Pariſienſis de Confirmatione cap. XXX.

POſt baptiſmum, qui porta eſt ſacramentorum, ſequitur confirmatio. De hac quæritur primò, cum ad diſcipulos & ſolos pertinuerit, & poſt ad eorum ſucceſſores ſpecialiter; unde & inter ſacramenta dignitatis numeratur; quomodò Gregorius * illud celebrare permiſit ſimplicibus ſacerdotibus propter neceſſitatem urgentem ex penuria Epiſcoporum. Neque enim in aliis ſacramentis audivimus aut credimus, quòd poteſtas ea celebrandi ſecundum ſtatum & conditionem perſonarum conferentium poſſit dilatari vel coërceri. Quomodò ergo in hoc ſacramento ſingulariter potuit extra prædictos limites poſitos fieri dilatatio, & poſteà in primum ſtatum revocatio? Rurſum hoc attendendum, quòd cùm una mutatio facta eſt, ex cauſa evidenti & certa facta eſt. Sed poſito quòd hodie Preſbyteri alicujus regionis vel provinciæ non habentes copiam Epiſcopi, tale quid exigant à ſummo Pontifice & obtineant: alii parem neceſſitatem, & paulò majorem allegent, & non obtineant. Quæro ergo an prævalere debeat vel attendi in hoc diſpenſantis auctoritas, an cauſa diſpenſationis, an illa duo pariter.

* Gregorius I. lib. III. epiſt. XXVI. ad Iannuarium Epiſcopum Caralitanum: Sed ſi omnino hac de re aliqui contriſtantur, ubi Epiſcopi deſunt, ut Presbyteri etiã in frontibus baptizaos chriſmate tangere debeant, concedimus.

Selecta ex pœnitentiali Ms. Magiſtri Roberti de Flamesbure lib. III. cap. I.

INſtituuntur autem miniſtri Eccleſiæ non à quolibet, ſed ab Epiſcopo ſuo, vel ſacerdote; ut ordo Pſalmiſtæ, ſive ille qui dicitur Corona apud nos, à Lombardis Clerico. Olim à ſimplici conferebatur ſacerdote, & adhuc hodie in Alemannia confertur. Confirmabant etiam olim ſimplices ſacerdotes.

Digitized by Google

VI. De ſponſoribus in baptiſmo.

Singuli ſuſcipiunt. Qui ſuſcipiunt in baptiſmo ſponſores vocat
» Tertullianus libr. de baptiſmo cap. xvii. Quid enim neceſſe eſt ſponſo-
» res etiam periculo ingeri? Qua auctoritate demonſtratur in baptiſmo ſponſores adhibere, hoc eſſe in Eccleſia antiquiſſimum. Quodnam verò ſponſorum ſit officium, docetur à patribus Concilii Calchutenſis can. ii.
» & Concilii Pariſienſis vi. can. vii. Qualiter autem hi qui de ſacro fon-
» te alios ſuſcipiunt inſtruere debeant, beatus Auguſtinus in ſermone habito
» ad populum demonſtrat, dicens: Quicumque igitur viri, quæcumque mu-
» lieres de ſacro fonte filios ſpiritualiter ſuſceperunt, cognoſcant ſe pro eis
» fidejuſſores extitiſſe apud Deum. Et in eo neceſſe eſt, ut ſemper illis ſol-
» licitudinem veræ charitatis impendant, admoneant, & caſtigent, atque
» corripiant; ut caſtitatem cuſtodiant, virginitatem uſque ad nuptias ſer-
» vent, & ceteris bonis operibus dediti ſint. In hoc quippe facto, de quo
» agitur, quantùm à Religione Chriſtiana diſceſſum ſit, ignorari fas
» non eſt.

CAPUT V.

De Miſſa Defunctorum.

I. Ritus Eccleſiæ Romanæ circa ſepulturas.

Secundum Romanam Ecclesiam. Ne ſim prolixior in recenſendis ritibus Eccleſiæ Romanæ circa ſepulturas, & Africanæ, quæ Eccleſiam Romanam in pleriſque ſecuta eſt; Vide Tertullianum in Apologet. cap. xi. libr. de idololatria c. xi. epiſtolam Cleri Romani ad Clerum Carthaginenſem de ſeceſſu S. Cypriani, quæ eſt inter ipſius epiſtolas ii. epiſtolam Cypriani xxxvii. edit Rigalt. actus paſſionis Cypriani, cujus Pontius meminit. S. Ambroſium in fine libr. de viduis, epiſtolam lxxxv. ad ſororem ſuam, & lib. de Thobia cap. i. S. Hieronymum in fine epitaphii Paulæ matris ad Euſtochium virginem, in fine epitaph. Fabiolæ ad Oceanum, & in fine vitæ Pauli Eremitæ. Concilium Valentinum c. iv. & Concilium Aurelianenſe II. c. vi.

II. De lib. Dionyſii Areopagit.

Licet Dionysius Areopagita dicat. Senſus verborum colligitur ex cap. vii. Eccleſ. Hierarchiæ. Quod licet Theodorus citet ſub nomine Dionyſii Areopagitæ, utrum ipſius eſſe cenſuerit, meritò quis dubitaret; quippe cùm iſtius auctoris opinioni præferat ſententiam S. Auguſtini. Quicquid ſit, hi libri ſtatim atque prodierunt, Catholicis à Severianis objecti ſunt, & à Catholicis ut toti antiquitati prorſus ignoti pariter ſunt rejecti: ſicut patet ex collatione Catholicorum cum Severianis
» habita Conſtantinopoli tempore Juſtiniani Imperatoris. Illa teſtimonia,
» inquiunt, quæ vos Dionyſii Areopagitæ dicitis, unde poteſtis oſtendere
» vera eſſe, ſicut ſuſpicamini: Si enim ejus erant, non potuiſſent latere bea-
» tum Cyrillum. Quid autem de beato Cyrillo dico? quando & beatus
» Athanaſius ſi pro certo ſciſſet ejus fuiſſe, ante omnia in Niceno Concilio
» de conſubſtantiali Trinitate eadem teſtimonia protuliſſet adverſus Arii di-

Digitized by Google

verſæ ſubſtantiæ blaſphemias. Si autem nullus ex antiquis recordatus eſt « ea, unde nunc poteſtis oſtendere, quia illius ſint, neſcio. V. librum « Joannis Launoii Doctoris Pariſienſis doctiſſimi de duobus Dionyſiis.

III. AVGVSTINVS TAMEN DICIT PRO OMNIBVS CHRISTIANIS Libro de cura pro mortuis gerenda cap. IV. Verum etſi aliqua neceſſitas vel humari « corpora, vel in talibus locis humari nulla data facultate permittat, non « ſunt prætermittendæ ſupplicationes pro ſpiritibus mortuorum: quas « faciendas pro omnibus in Chriſtiana & Catholica ſocietate defunctis, « etiam tacitis nominibus, quorumcumque ſub generali commemoratione « ſuſcepit Eccleſia. Cujus rei ratio erui poteſt ex eo quod alibi dicit S. Au- « guſtinus in libro de civitate Dei ad Marcellinum XXI. cap. XXVII. Quis, « inquit, iſte ſit modus, & quæ ſint ipſa peccata, quæ ita impediunt per- « ventionem ad regnum Dei, ut tamen ſanctorum amicorum meritis impe- « trent indulgentiam, difficillimum eſt invenire, periculoſiſſimum definire. « Ego certe uſque ad hoc tempus cùm inde ſatagerem, ad eorum indagi- « nem pervenire non potui. «

IV. *Qui communionem non accipiebat, erant in pœnitentia.*

ET NON EST LICITVM MISSAS CELEBRARE PRESBYTERO, VEL DIACONO, CVI NON LICET, VEL QVI NON VVLT COMMVNIONEM ACCIPERE. Can. VIII. canonum ſub nomine Apoſtolorum. Si quis Epiſco- « pus, Presbyter, vel Diaconus, vel ex ſacerdotali catalogo, facta obla- « tione non communicaverit, cauſam dicat &c. Tunc temporis non ſolùm « Presbytero non licebat Miſſas celebrare, ſed nec etiam ceteris fidelibus, adeſſe divinis myſteriis, niſi vellent communionem accipere. V. S. Cyprianum de oratione dominica; can. IX. canonum ſub nomine Apoſtolorum. Concil. Antiochenum can. II. Concil. Toletan. can. XIII. De his « qui intrant in Eccleſiam & deprehenduntur nunquam communicare, ad- « moneatur, ut ſi non communicant, ad pœnitentiam accedant; ſi commu- « nicant, non ſuperabſtineantur; ſi non fecerint, abſtineantur. Quidam « hos canones interpretantur de iis qui certa de cauſa, nimirum ob aliquam ſuperſtitionem, aut pravam opinionem ſacramentorum communionem averſabantur. Sed omnis etquidem diſtinctionis umbra diſpellitur à Joanne Chryſoſtomo, qui ita loquitur in homilia III. epiſtolæ Pauli ad Epheſios cap. II. Non es dignus ſacrificio, neque participatione? Ergo nec « prece. Audis præconem ſtantem & dicentem: Quicunque eſtis in « pœnitentia, abite. Omnes qui non participant, ſunt in pœnitentia. Nam « qui non participat, eſt in pœnitentia. «

Digitized by Google

CAPUT VI.

De Abbatibus, Monachis, vel Monaſteriis.

I. De electione Abbatis.

CONGREGATIO DEBET SIBI ELIGERE ABBATEM. Gregorius I.
» libr. iv. epiſt. xliii. Abbatem verò eidem monaſterio, non alium,
» ſed quem dignum moribus atque actibus monaſticæ diſciplinæ communi
» conſenſu Congregatio tota popoſcerit, te volumus ordinare. Et lib. vii.
» epiſt. xviii. Defuncto verò Abbate cujuſcumque Congregationis non ex-
» traneus, niſi de eadem converſatione, quem ſibi propriâ voluntate con-
» cors fratrum ſocietas elegerit, & qui electus fuerit, ſine dolo vel vena-
» litate aliqua ordinetur; quod ſi aptam inter ſe perſonam invenire nequi-
» verint, ſolerter de aliis Monaſteriis ſibi ſimiliter eligant ordinandum.
V. Convent. Aquiſgran. c. xxxii. Quod idem præcepiſſe Ludovicum
Pium referunt Chartulæ Monaſterii Piſcarienſis, ſive Abbatiæ ſancti Cle-
» mentis, quæ nunc ſervantur in Bibliotheca Regia. Imperator fecit præ-
» ceptum ſuper Abbatis electione, ut non eligatur de extranea congrega-
» tione: ſed quotieſcumque qui præeſt Abbas obierit, habeant fratres
» licentiam ex ſua propria congregatione eligendi Abbatem. Quod qui
» tranſgreſſus fuerit, ſciat ſe non paſtorem ſed lupum ponere, & in ex-
» tremo judicio pœnam præparatam habere.

II. De commutatione bonorum Eccleſiæ.

NON LICET ABBATI NEQUE EPISCOPO TERRAM ECCLESIÆ CONVERTERE, Niſi cum conſilio fratrum, ut infrà addit. Quod idem de bonis Eccleſiæ præſcribitur in Concilio Carthaginenſi IV. aut potius ſtatutis Eccleſiæ antiquis. Hic enim eſt titulus quem præ ſe ferunt codices Gemblacenſis cœnobii, S. Bavonis in Gandavo, & plura manuſcripta optimæ
» notæ. Sic autem habet can. XXXII. Irrita donatio Epiſcoporum, vel
» venditio, vel commutatio rei Eccleſiaſticæ abſque conniventia & ſub-
» ſcriptione Clericorum. v. Epiſtolam VIII. Hilari Papæ ad Epiſcopos diverſarum provinciarum Galliæ cap. v. Conc. Agathenſe can. XLV. & Concil. Herutfordienſe in quo præſidebat Theodorus can. III. apud Bedam lib. IV. cap. III. Quæ definiunt ſtatuta Eccleſiæ antiqua de bonis Eccleſiæ, eadem de ceteris. Nam ſicut clerus nihil quicquam debet agere ſine Epiſcopo, ita Epiſcopus nihil agebat ſine Clero, adeo ut irrita eſſet ſententia Epiſcopi, niſi Clericorum præſentia confirmaretur juxta eadem ſtatuta Eccleſiæ antiqua can. XIV.

III. Nulla familiaritas viris cum feminis Monachis.

NON LICET VIRIS FEMINAS HABERE MONACHAS; Quod frequentiſſimè prohibuerunt Patres ſive in ſuis ſcriptis, ſive in decretis Concil-
» liorum. Quare dicunt Patres Concilii Hiſpalenſis II. can. XI. Abſit
» ut Monachos, quod etiam dictu nefas eſt, Chriſti virginibus familiares
» eſſe velimus: ſed juxta quòd juſſa regularum vel canonum admonent,
» longe diſcretos atque ſejunctos, eorum tantùm eaſdem gubernaculis de-
» putamus; conſtituentes, ut unus Monachorum probatiſſimus eligatur,

Digitized by Google

cujus curæ ſit &c. Et Egbertus Eboracenſis Archiepiſcopus. Hoc, inquit, ſancti Patres Auguſtinus, Hieronymus, Baſilius, Gregorius, & ceteri quàm multi edictis ſuis prohibuerunt.

IV. TAMEN NON DESTRVAMVS ILLVD QVOD CONSVETVDO EST IN HAC TERRA. Quomodo ea tractanda ſunt quæ nec recipi poſſunt ob Eccleſiæ ſanctitatem; nec tamen uſurpatæ conſuetudinis causâ damnari, pluribus exemplis declarat Concilium Valentinum. Quocirca, ut aiunt Patres in epiſtola ſynodica ad univerſos Epiſcopos Galliarum, librato diu moderatoque conſilio, ea cautelæ ratio ſervata eſt, quæ & ſcandala ſubmoveret, & ſanctitatem Eccleſiæ cuſtodiret.

V. *De voto Monachi ſine conſenſu Abbatis facto.*

MONACHO NON LICET VOTVM VOVERE SINE CONSENSV ABBATIS; SIN MINVS FRANGENDVM EST. S. Baſilius rationem profert in conſtitutionibus monaſticis cap. XXVII. his verbis: Poteſtatem verò ſuiipſius ne ad punctum quidem temporis habere Monachus debet, per quam in privatis ipſe negotiis ſuis verſetur. Quemadmodum enim abſente artifice inſtrumentum ſua ſponte ipſum non moveretur, neque membrum vel ad breviſſimum ab aliquo corpore ſeparari, moverive poſſet ſine ejus qui intus eſt opificis, ac totius corporis moderatoris voluntate: ſimiliter quoque neque religionis obſervanti aliquid agere, exequive ſine antiſtitis ſui ſententia licet. Nulla ſunt igitur iſta vota Monachi, quæ non ſunt ipſius juris, & ex poteſtate Abbatis pendent. Eodem modo judicabat Magiſter Robertus de Flameſbure in ſuo pœnitentiali.

Selecta ex Pœnitentiali Ms. Magiſtri Roberti de Flamesbure libr. II. cap. IV.

VOvere poteſt quælibet perſona, quæ ſui juris eſt: & ſtatim, ut puto, quando doli capax eſt. Perſona quæ alii ſubjecta eſt, ſine ejus conſenſu non poteſt vovere, ut Monachus vovere non poteſt ſine conſenſu ſui Abbatis, nec mulier ſine conſenſu ſui viri, nec filia quamdiu eſt in poteſtate ſui patris ſine ejus conſenſu; & fortaſſe ſervus ſine conſenſu ſui Domini, nec poteſt aliquid vovere in præjudicium Domini ſui. Tamen quælibet talis perſona aliquod membrum habet proprium, quod ſine aliorum cõſenſu poteſt vovere: ut mulier poteſt vovere quod non exiget à viro ſuo debitum. Si autem quælibet dictarum perſonarum vel ſimilium de conſenſu ſui ſuperioris aliquid voverit; ille ſuperior ratione inſpectâ illud votum poteſt revocare; ut ſi de conſenſu viri vovit aliquid mulier, vir poteſt ratione inſpectâ illud votum revocare, & illa tenetur obedire. Idem eſt in Monacho & Abbate ſuo, de aliis non ita conſtat.

VI. *De lavandis pedibus in cœna Domini.*

IN LIBERTATE QVOQVE MONASTERII EST LAVANDI PEDES LAICORVM, NISI IN COENA DOMINI NON COGVNTVR. Et infrà: conſuetudo Romanorum non eſt hæc lavatio pedum. S. Auguſtinus exponit cur alii hanc conſuetudinem non receperint, & alii abſtulerint. Sic verò in

Digitized by Google

» epiſtola cxix. cap. xviii. De lavandis verò pedibus, cùm Dominus hoc
» propter formam humilitatis, propter quam docendam venerat, commen-
» daverit, ſicut ipſe conſequenter expoſuit: quæſitum eſt, quonam tempo-
» re potiſſimum res tanta etiam facto doceretur, & illud tempus occurreret,
» quo ipſa commendatio religioſius inhæreret. Sed ne ad ipſum ſacramentum
» baptiſmi videretur pertinere, multi hoc in conſuetudinem recipere nolue-
» runt. Nonnulli etiam de conſuetudine auferre non dubitaverunt. Et in ex-
» poſitione in evangelium Joannis tractatu LVIII. Apud ſanctos ubicumque
» hæc conſuetudo non eſt, quod manu non faciunt, corde faciunt. Vetus au-
ctor libri ſacramentorum apud Ambroſium libro iii. cap. i. hunc lavandi
morem quamplurimùm laudat, & objicit Eccleſiæ Romanę, quod illam
» conſuetudinem non habeat. Non ignoramus, inquit, quòd Eccleſia Roma-
» na hanc conſuetudinem non habeat, cujus typum in omnibus ſequimur &
» formam. Hanc tamen conſuetudinem non habet, ut pedes lavet. Vide ergo
» ne fortè propter multitudinem declinavit. Et paulò pòſt. Ad hoc Eccleſia
» Romana quid reſpondet? Sed prompta eſt Eccleſiæ Romanæ reſponſio.
Nam quiſquis ſit iſte auctor, recenſeri debet inter ſimplices & ruſticiores
qui literæ nimis inhærent, de quibus ita loquitur Origenes in comment. in
Joannem t. 2. edit. Huet, p. 331. Adeo ut hanc ob cauſam Dominus quoque
» veniat ad lavandos ſervi credentis pedes. &c. Qui mos nunc non fit, niſi
» apud admodum ſimplices, ruſticioreſque. Et in homilia vi. in Iſaiam: nemo
» quibuſcunque venientibus aſſumens linteum, Diaconus, vel Presbyter
» ſive Epiſcopus lavat pedes. Poſtea tamen patres Concilii Toletani XVII.
exemplum Chriſti velut mandatum Evangelii præcipuum adeo obſervan-
» dum decernunt, ut ſi, inquiunt can. III. quiſquam ſacerdotum hoc no-
» ſtrum diſtulerit adimplere decretum, duorum menſium ſpacio ſeſe noverit
» à ſanctæ communionis perceptione fruſtratum. Et ſuprà in eodem canone:
» Denique coruſcante ſanctæ operationis exemplo, partim deſidiâ, partim
» conſuetudine, in quibuſdam Eccleſiis in cœna Domini ablutione pedes fra-
» trum à ſacerdotibus non lavantur. Nihil aliud obtendentes, niſi ſolam tra-
» ditionis conſuetudinem, cùm veritas objurgans dicat: Quare vos tranſ-
» gredimini mandatum Dei propter traditionem veſtram. V. Conventum
» Aquiſgranenſem can. XXIII.

VII. Monachi Eccleſiaſticis negotiis non ſe ingerant.

NEC LIBERTAS MONASTERII EST POENITENTIAM SECULARIBUS POENITENTIAM JUDICARE, QUIA PROPRIE CLERICORUM EST. Patres Concilii Calchedonenſis vetant monachos Eccleſiaſticis vel ſecularibus
» negotiis ſe ingerere, canon. IV. Monachos autem, qui ſunt in unaquaque
» regione & civitate, Epiſcopo ſubjectos eſſe, & quietem amplecti, & ſoli
» jejunio & orationi vacare, in quibus ordinati ſunt locis fortiter perſeveran-
» tes nec Eccleſiaſticis, nec ſecularibus negotiis ſe ingerere &c. Conc. Tar-
» racon. can. XI. Monachi à monaſterio foras egredientes, ne aliquod mi-
» niſterium Eccleſiaſticum præſumant agere, prohibemus, niſi fortè cum
» Abbatis imperio.

CAPUT

CAPUT VII.

De Ritu mulierum in Eccleſia vel miniſterio.

I. De miniſterio mulierum in Eccleſia

MULIERES NON VELENT ALTARE. &c. S. Epiphanius contra Collyridianos hæreſ. LXXIX. Si mulieribus præceptum eſſet ſacrificare Deo, aut regulare quicquam operari in Eccleſia, oportebat magis ipſam Mariam ſacrificium perficere in novo teſtamento, quæ digna facta eſt ſuſcipere in propriis viſceribus univerſorum Regem Deum, cœleſtem filium Dei: cujus uterus templum factum eſt ac domicilium ad Domini in carne diſpenſationem per Dei benignitatem, & admirandum myſterium præparatus eſt. At non complacuit: ſed neque baptiſma dare concreditum eſt. Alioqui potuiſſet Chriſtus ab ipſa baptizari potiuſquam à Joanne. Simili argumento uſus eſt vetus auctor conſtitutionum lib. III. cap. IV.

II. Quomodo Euchariſtia à fidelibus accipiebatur.

MULIERES POSSUNT SUB NIGRO VELAMINE SACRIFICIUM ACCIPERE. Ergo non eis licebat nuda manu Euchariſtiam accipere, nequidem ad pallam dominicam manum mittere. Conc. Antiſiodorenſe can. XXXVI. Non licet mulieri nuda manu euchariſtiam accipere. Et can. XXXVII. Non licet mulieri manum ſuam ad pallam dominicam mittere. Etiam antea Patres Concilii Laodiceni ſtatuerant can. XIX. ſolis licere ſacratis ad altare accedere, & communicare. Attamen plerisque in locis vulgò nuda manu euchariſtiam fuiſſe receptam probant teſtimonia Patrum quibus fideles ſæpius admonent, ut animadvertant dextram, quæ corpori Chriſti admovetur, conſecratam eſſe, ſicut & linguam & cor. Vide Clementem Alexandrinum lib. I. Stromatum. Tertullianum lib. de Idololatria cap. VII. S. Cyprianum in epiſt. LVI. ad Thibaritanos de exhortatione martyrii, & lib. de bono patientiæ. Fragmentū præclarum epiſtolæ V. Dionyſii Alexandrini ad Xiſtum Romanæ urbis Epiſcopum ſcriptæ, apud Euſebium lib. VII. Eccleſ. hiſt. cap. IX. S. Cyrillum Hieroſolymitanum in catech. S. Gregorium Nazianzenum in oratione XI. in laudem Gorgoniæ. S. Joannem Chryſoſtomum in homilia XXI. ad populum Antiochenum, & Ambroſium in oratione, quà Imperatorem Theodoſium objurgat, relata à Theodoreto lib. V. hiſt. Eccleſ. cap. XVII. Vide quoque ſuprà Notas ad caput III.

III. Varii ritus Græcorum & Romanorum de miniſterio Eccleſiæ.

MULIER POTEST OBLATIONES FACERE SECUNDUM GRÆCOS, NON SECUNDUM ROMANOS. Hoc non intelligendum eſt de oblationibus omnium fidelium, id eſt, eleemoſynis inter quas erant panes per euchariſtiam ſacrandi, ut animadvertit V. cl. N. Rigalt. in lib. S. Cypriani de opere & eleemoſynis: quod idem conſtat ex ep. S. Auguſt. CXXII. ſed ſicut declarat titulus de quodam miniſterio Eccleſiæ, ad quod Græci mulieres admittebant, & à quo tunc temporis Romani excludebant. Concil. Auraſican. can. XXVI. Diaconæ omnimodis non ordinandæ: ſi quæ jam ſunt, benedictioni, quæ populo impenditur, capita ſubmittant. Conc. Epaonenſe can. XXI. Viduarum conſecrationem, quas Diaconas vocitant, ab omni regione

X

Ambroſius etiam viduas corpus & ſanguinem Chriſti miniſtraſſe libr. de viduis. Simul qualis eſſe debeat quæ Chriſto miniſtrat, oſtenditur. Oportet eam primò carere variarum illecebris voluptatum, vitare internum corporis animique languorem, ut corpus & ſanguinem Chriſti miniſtret, &c. Dionyſius Alexandrinus in epiſtola ad Fabium apud Euſebium libr. VI. hiſt. cap. XLIV. ſcribit puero Euchariſtiam datam eſſe à ſacerdote, ut miniſtraret Serapioni. Sed quoniam, inquit, in mandatis dederam ut morituris, ſi peterent, & maximè ſi antea ſuppliciter poſtulaſſent, venia indulgeretur, quo bonæ ſpei pleni ex hac vita migrarent; exiguam Euchariſtiæ partem puero tradidit, jubens ut in aqua intinctam ſeni in os inſtillaret. Quæ omnia poſtea omnino interdixit Synodus Remenſis can. II. Pervenit ad notitiam noſtram, quod quidam Presbyteri intantùm parvipendant divina myſteria, ut laico vel fœminæ ſacrum corpus Domini tradant ad deferendum infirmis: & quibus prohibetur, ne ſacrarium ingrediantur, ne ad altare appropinquent, illis ſancta ſanctorum committantur. Quod quàm ſit horribile omnium religioſorum animadvertit prudentia. Igitur interdicit per omnia ſynodus, ne talis temeraria præſumptio ulterius fiat: ſed in omnimodis Presbyter per ſemetipſum infirmum communicet. Quod ſi aliter fecerit, gradus ſui periculo ſubjacebit.

XX. De benedictione cibi & potus.

Monachi et Clerici possunt benedicere cibum. Etiam virgines benedicebant teſte auctore libri de Virginitate, qui legitur inter opera S. Athanaſii. Quod ſi, inquit, affuerint tibi tres virgines, dicant benedictionem ſuper panem, unà tecum orent &c. Tu enim ſancta es Domino, & cibus tuus & potus tuus ſanctificatus eſt. Per preces enim & ſacratiora verba ſanctificatur. S. Joannes Chryſ. in homilia XXXII. in cap. Matth. XIX. oſtendit à nullo Chriſtiano eſcas ſumi debere, niſi benedictas & ſanctificatas oratione ac gratiarum actionibus. Si enim, ait, qui eſcas ſuas per orationem non offert Deo, coinquinatus eas manducat; ſecundùm quod de illis ait Apoſtolus: quoniam omnis creatura Dei bona, & nihil rejiciendum, quod cum gratiarum actione percipitur: ſanctificatur enim per verbum Dei & orationem. Dicens, ſanctificatur per verbum Dei & orationem, oſtendit quia maculata eſt, niſi per orationem fuerit omnis eſca mundata & ſanctificata. Ad benedicendum panem à Chriſtianis conſignari indicat incertus auctor commentarii in Evangelium Matthæi inter opera Joannis Chryſoſtomi homil. XVIII. Utputa ſignas panem tuum, quem manducas, ſicut ait Paulus: ſanctificatur enim per verbum Dei & orationem. Vide Gregorium Nazianzenum in oratione XIX. qui ibi refert panibus benedictis, atque cruce conſignatis ſuam matrem ægrotam aluiſſe, ſicque convaluiſſe ac vires collegiſſe.

Digitized by Google

CAPUT III.

De Ordinatione diverſorum.

SEPTEM DIES VELET CAPUT SVVM CVCVLLA SVA. Conventus Aquiſgranenſis cap. XXXV. ut Monachus profeſſione factâ tribus diebus cuculla coopertum habeat caput. I.

SECUNDUM BAPTISMA ET IUXTA IUDICIUM PATRUM, Nimirum propter pœnitentiam, quam ſæpiſſime patres vocant baptiſmum aſperiorem & laborioſiorem. S. Gregorius Nazianz. in oratione XXXIX. Quintum locum, lacrymarum baptiſmus tenet. Verùm aſperior & laborioſior; quo quidem ille tingitur, ut qui per ſingulas noctes lectum ſuum ac ſtratum lacrymis lavat, cui ipſæ quoque vitii cicatrices fœtent, qui lugens & contriſtatus ingreditur, qui Manaſſis reſipiſcentiam, ac Ninivitarum humilitatem cui miſericordia impertita eſt, imitatur, &c. Et Joannes Climacus hunc baptiſmum tanti facit, ut eum quidem videatur præferre baptiſmo aquæ. Poſt baptiſma, inquit in gradu VIII. Potentior baptiſmate, ſi ita fas loqui, fons eſt lacrymarum. Baptiſma quippe tantum præteritas peccatorum ſordes repurgat, luctus autem noxas poſt baptiſmum contractas diluit. Baptiſma quo infantes tincti ſumus, omnes poſteà inquinavimus; per fontem autem lacrymarum etiam baptiſmum ſuo nitori reſtituimus, quem ſi benigniſſimus Deus homini largitus non eſſet, rari admodum aut perpauci ſalutem conſequerentur. II. Virtus baptiſmi pœnitentiæ.

PRESBYTER POTEST ABBATISSAM CONSECRARE, Sed non inconſulto Epiſcopo præſcribunt patres Concilii Carthaginenſis III. c. XXXVI. Ut prebyter inconſulto Epiſcopo virgines non conſecret, chriſma verò nunquam conficiat. III.

SANCTÆMONIALES VERO BASILICAS SEMPER DEBENT CONSECRARE Continuis precum, & gratiarum actionum ſacrificiis. Unde ſæpius a patribus vocantur aræ Dei mundæ, & altaria. Tertull. libr. I. ad uxorem cap. VII. Aram enim Dei mundam proponi oportet; tota illa Eccleſiæ candida de ſanctitate conſcribitur ſacerdotium viduitatis, & cœlibatium. Concil. IV. Carthagin. c. CIII. vetus auctor conſtitutionum Apoſtolicarum libr. II. cap. XXVI. Habete etiam honorem virginibus, ut thuribulum, & thymiama repræſentantibus. v. libr. III. cap. VI. libr. IV. cap. II. IV.

GRÆCI SIMUL BENEDICUNT VIDUAM ET VIRGINEM. Vide Concil. IV. Carthag. c. XII. & XIII. aut potius ſtatuta Eccleſiæ antiqua c. XCIX. Sanctimonialis virgo cùm ad conſecrationem &c. Et can. C. viduæ vel ſanctimoniales quæ ad miniſterium &c. V.

ROMANI NON VELANT VIDUAM. Quod idem confirmant Patres Concil. Turonenſis can. XX. his verbis. Illud verò quod aliqui dicunt, Vidua quæ benedicta non fuit, quare non debet maritum accipere? cùm omnes ſciant quod nunquam in canonicis libris legitur benedictio vidua- VI.

Digitized by Google

„ lis : quia ſolum propoſitum illi ſufficere debet , ſicut in Epaonenſibus ca-
„ nonibus à Papa Avito, vel omnibus epiſcopis conſcriptum eſt : Viduarum
„ conſecrationem , quas Diaconas vocant, ab omni regione noſtra penitus
„ abrogamus &c. Et Conc. Triburienſ. c. XXII. Viduas autem velare Ponti-
„ ficum nullus attentet , prout conſtitutum eſt in decretis Papæ Gelaſii cap.
„ XIII. quod nec auctoritas divina , nec canonum forma præſtituit. v. in-
„ frà cap. VII.

VII. SECUNDUM GRÆCOS PRESBYTERO LICET Virginem ſacro velamine
conſecrare, reconciliare pœnitentem in publica Miſsa, facere oleum exor-
cizatum , denique facere abſente Epiſcopo quicquid præſens feciſſet. Qui
mos multum ſervabatur in Alexandria & per totam Ægyptum, ſicut plu-
res affirmant : Auctor commentarii in Epiſtolam Pauli ad Epheſios cap. III.
« apud Ambroſium. Denique apud Ægyptum preſbyteri conſignant , ſi
« præſens non ſit Epiſcopus. Auctor quæſtionum veteris & novi teſtamen-
« ti apud S. Auguſtinum. Nam in Alexandria, & per totam Ægyptum , ſi
„ deſit epiſcopus conſecrat preſbyter. Vide Hieronymum in epiſt. ad Eva-
grium , Rabanum in epiſt. ad Regimbaldum. Hujuſce rei ratio quam iidem
proponunt , ea eſt , quam paucis refert Hilarius Diaconus apud Ambro-
„ ſium in I. ep. ad Timotheum. Quia, inquit, Epiſcopi & Preſbyteri una
„ ordinatio eſt. Uterque enim ſacerdos eſt , ſed Epiſcopus primus eſt. V.
eumdem in quæſtionibus veteris & novi teſtamenti apud Aug. quæſt. CI.
Hieronymum in Epiſtola ad Oceanum , in epiſt. ad Evagrium , commen-
tar. in cap. I. epiſt. ad Titum, ubi loquitur ſicut Tertullianus de exhortatio-
ne caſtitatis cap. VII. S. Auguſtinum in epiſtola ad Hieronymum. Sed ne
omittam Græcos patres , conſule Joannem Chryſoſt. in cap. I. epiſt. Pauli
ad Philippenſes. Theodoretum in cap. III. epiſt. I. Pauli ad Timotheum,
& in cap. I. ep. ad Titum.

VIII. INFIRMIS CHRISMA SI NECESSE EST. Secundum Græcos , & Patres
„ Concilii Toletani can. XX. & Conc. Arauſicani can. I. Hæreticos in mortis
„ diſcrimine poſitos , ſi catholici eſſe deſiderant , ſi deſit Epiſcopus , à Preſ-
„ byteris cum chriſmate & benedictione conſignari placuit. Eadem reperies
in conc. Arelatenſi II. c. XXVI. conc. Epaonenſ. c. XVI.

IX. *Cur plura ad jus ſolius Epiſcopi pertineant.*

SECUNDUM ROMANOS AUTEM NON LICET , NISI EPISCOPO SOLI Sci-
licet virginem ſacro velamine conſecrare , reconciliare pœnitentem in pu-
blica Miſſa, facere oleum exorcizatum. Sic ſtatuunt Patres Concilii
Carthaginenſis II. can. III. qui refertur in integro codice canonum Eccle-
ſiæ Africanæ c. XXXVI. Gelaſius Papa in epiſt. ad Epiſcopos Lucaniæ cap.
VI. Patres Concilii Agathenſis can. XLIV. Patres Concilii Hiſpalenſis II.
« can. VII. his verbis, Nam quamvis cum Epiſcopis plurima illis myſte-
„ riorũ communis ſit diſpenſatio , quædam novellis & Eccleſiaſticis regulis ſi-
„ bi prohibita noverint. Sicut Preſbyterorum , & Diaconorum ac virgi-
„ num conſecratio ; ſicut conſtitutio altaris , benedictio , vel unctio : ſiqui-
„ dem nec licere eis Eccleſiam, vel altaria conſecrare , nec per impoſitionem
„ manus fidelibus baptizatis , vel converſis ex hæreſi Paracletum Spiritum

Digitized by Google

tradere, nec chriſma conficere, nec chriſmate baptizatorum frontem ſignare, ſed nec publicè quidem in Miſſa quemquam pœnitentium reconciliare, nec formatas cuilibet epiſtolas mittere. Iſta praxis Romanorum diverſa a Græcorum ritibus ſuas quoque habet rationes, quas Varias patres ita exponunt. Alii exiſtimant illud fieri, quia in Epiſcopo omnes ordines ſunt, & ne vulgaris & viliſſima res videretur ſi omnes eadem poſſent. Hilarius Diaconus in comment. in epiſt ad Epheſios cap. IV. Nam in Epiſcopo omnes ordines ſunt, quia primus ſacerdos eſt, hoc eſt, princeps eſt Sacerdotum, & Propheta, & Evangeliſta, & cetera adimplenda officia Eccleſiæ in miniſterio fidelium &c. Et infrà: ut creſceret plebs, & multiplicaretur, omnibus inter initia conceſſum eſt &c. At ubi autem omnia loca circumplexa eſt Eccleſia, conventicula conſtituta ſunt, & rectores, & cetera officia in Eccleſiis ſunt ordinata &c. Cœpit alio ordine, & providentia gubernari Eccleſiæ: quia ſi omnes eadem poſſent, irrationabile eſſet, & vulgaris res & viliſſima videretur. Hinc ergo eſt unde nunc neque &c. Alii hoc decretum eſſe dicunt, ut ſchiſmata tollerentur. S. Hieronymus in commentar. in epiſt. ad Titum cap. I. Idem eſt ergo Preſbyter, quod Epiſcopus: & antequam diaboli inſtinctu, ſtudia in religione fierent, & dicerent in populis: Ego ſum Pauli, Ego Apollo, Ego autem Cephæ, communi Preſbyterorum conſilio Eccleſiæ gubernabantur. Poſtquam verò unuſquiſque eos, quos baptizaverat, ſuos putabat eſſe, non Chriſti: in toto orbe decretum eſt, ut unus de preſbyteris electus ſuperponeretur: ad quem omnis Eccleſiæ cura pertineret, & ſchiſmatum ſemina tollerentur &c. hæc propterea, ut oſtenderemus apud veteres eoſdem fuiſſe preſbyteros quos & Epiſcopos: paulatim verò ut diſſenſionum plantaria evellerentur, ad unum omnem ſollicitudinem eſſe delatam. Denique propter Eccleſiæ honorem, quo ſalvo ſalva pax eſt, inquit Tertullianus libr. de baptiſmo cap. XVII. & quem S. Cyprianus ſæpius commendat in ſuis epiſtolis, conſtituerunt, illa omnia prædicta ad jus ſolius Epiſcopi pertinere, atque hæc omnia illicita eſſe preſbyteris, quia ut aiunt Patres Concilii Hiſpalenſis II. can. VII. Pontificatus apicem non habent, quem ſolis debere Epiſcopis auctoritate canonum præcipitur: ut per hoc & diſcretio graduum, & dignitatis faſtigium ſummi Pontificis demonſtretur.

Variæ rationes.

I.

II.

III.

CAPUT IV.

De Baptiſmatis Confirmatione.

IN BAPTISMATE DIMITTUNTUR NON CONIUNCTIONES. Quia, ut ſubjicit, baptiſma non bonum, ſed malum diluit. S. Gregorius Nazianzenus in oratione LXXX. Non enim, quemadmodum lavacrum hanc vim habet, ut peccata deleat, ita etiam rectè facta extinguit. I.

* HOC INNOCENTIUS PAPA. Hoc argumento Innocentius uſus eſt in II. Utrum

Digitized by Google

Digami, qui alteram poſt lavacrum priore mortua duxeriſt uxorem? & quomodo intelligendum: Unius uxoris vir?

ſuis epiſtolis, nimirum in epiſtola ad Victricium Epiſcopum Rotomagenſem cap. VI. ep. ad Epiſcopos Macedoniæ cap. II. ep. ad Synodum in Toletana civitate conſtitutam c. VI. ep. XXIII. ad Epiſcopos Synodi Toletanæ. Argumentum, quod Innocentius toties repetit, quo probet bigamos eſſe etiam eos, qui alteram poſt lavacrum priore mortuâ duxerunt uxorem, ita Hieronymo objectum eſt à viro eloquentiſſimo, ſicut ipſemet teſtatur in epiſt. ad Oceanum, ut inter alia dicat unius uxoris eſſe virum, qui ſingulas uno tempore habuerit uxores. Hoc quod dicit unius uxoris virum, poteſt & aliter diſſeri. Ex Judæis erat Apoſtolus, Prima Chriſti Eccleſia de Iſraël reliquiis congregabatur. Sciebat lege conceſſum, & exemplo Patriarcharum ac Moyſi familiari populo noverat in multis uxoribus liberos ſpargere: ipſis quoque ſacerdotibus hujus licentiæ patebat arbitrium. Præcepit ergo, ne eandem licentiam Eccleſiæ ſibi vendicent ſacerdotes: ne bina pariter & trina conjugia ſortiantur, ſed ut ſingulas uno tempore uxores habeant. Ab illa interpretatione proculdubio non abhorrebant Epiſcopi, quos aſperius vituperat Tertullianus libro de Monogamia cap. XII. his verbis: Proſpiciebat ſpiritus ſanctus dicturos quoſdam, Omnia licent Epiſcopis; ſicut ille veſter Uthinenſis nec ſcantiniam timuit. Quod enim & digami præſident apud vos, inſultantes utique Apoſtolo, certò non erubeſcentes, cùm hæc ſub illis leguntur. Nihilominus ſuprà dixerat libro I. ad uxorem cap. VII. Quantum obſtrepant ſanctitati nuptiæ ſecundæ, diſciplina Eccleſiæ & præſcriptio Apoſtoli declarat, cum digamos non ſinit præſidere & in libro de exhortatione caſtitatis, in quo dehortatur à ſecundis nuptiis, meminit quoſdam digamos à loco dejectos. Sed illud refert ut quid omnino inſolitum: Utque adeo, inquit cap. VII. quoſdam memini digamos loco dejectos. Et veriſimile eſt plures in Eccleſia præſediſſe; cum S. Hieronymus aſſeveret totum mundum plenum eſſe his ordinationibus, atque ut ait in ep. ad Oceanum, non dico de Presbyteris: non de inferiori gradu: ad Epiſcopos venio, quos ſi ſigillatim voluero nominare: tantus numerus congregabitur, ut Ariminenſis ſynodi multitudo ſuperetur. Sed indecens eſt, ſic unum tueri, ut plures accuſare videaris; & quem ratione non poſſis, ſocietate peccantium defendas. Quis credat Hieronymo, ſi legatur quod S. Epiphanius poſt Origenem dicit hæreſ. LIX. non ſuſcipere ſanctam Dei prædicationem poſt Chriſti adventum eos qui, mortua ipſorum uxore, ſecundis nuptiis conjuncti ſunt, propter excellentem ſacerdotii honorem ac dignitatem: niſi obſervet Hieronymi ſententiæ favere teſtimonia aliorum Patrum Græcorum, S. J. Chryſoſt. homil. X. in epiſt. Pauli ad Timoth. I. cap. III. & Theodoreti. Hic enim refert in cap. III. epiſt. I. ad Timotheum ſententiam eorum, qui ſentirent eum, qui cum unâ ſolâ uxore pudicè cohabitat, dignum eſſe, qui ordinetur Epiſcopus: nec ſecundas Apoſtolum rejeciſſe nuptias. Deinde eam auctoritate Divi Pauli confirmare contendit, ac denique illam ceteris anteponere ſe profitetur his verbis: ταῦτα καὶ τὰ τοιαῦτα σκοπούμενος,

ἀπο-

ἀποδέχεσθαι τῶν οὕτω γεγονότων τὴν ἱερωσύνην. Quod verò Patres Latinos, qui Hieronymum præceſſerunt, ipſi teſtantur multos hujuſmodi digamos fuiſſe ordinatos, quapropter Patribus Concilii Valentini placuit can. I. de eorum ſtatu, qui priùs ordinati fuerant nihil revolvi. Et Sanctus Ambroſius dicit libro I. officiorum cap. L. Pleriſque mirum videri, cur ante baptiſmum iterato conjugio, ad electionem muneris & ordinationis prærogativam impedimenta generentur, cùm etiam delicta obeſſe non ſoleant, ſi lavacri remiſſa fuerint Sacramento. Sed tamen contrariam amplectitur ſententiam: Intelligere, inquit, debemus, quia in baptiſmo culpa dimitti poteſt, lex aboleri non poteſt. In conjugio non culpa, ſed lex eſt; quod culpæ eſt igitur, in baptiſmate relaxatur: quod legis eſt, in conjugio non ſolvitur. Poſtea omnes ferè alii eodem modo locuti ſunt. Siricius Papa in epiſt. ad Himerium Terraconenſem. cap. IX. X. Innocentius I. in omnibus locis ſuprà citatis. Concilium Carthaginen. nomine IV. c. LXIX. S. Auguſtinus de bono conjugali cap. XVIII. cujus verba notanda ſunt. Propterea Sacramentum Nuptiarum temporis noſtri ſic ad unum maritum & unam uxorem redactum eſt, ut diſpenſatorem Eccleſiæ non liceat ordinare, niſi unius uxoris virum. Quod acutius intellexerunt, qui nec eum qui cathecumenus, vel paganus habuerit alteram, ordinandum eſſe cenſuerunt. De Sacramento enim agitur, non de peccato. Nam in baptiſmo peccata omnia dimittuntur. Vide Leonem Papam I. in ep. ad Anaſtaſium Epiſcopum Theſſalonicenſem cap. III. in ep. ad Epiſcopos Provinciæ Viennenſis cap. I. Conc. Arauſican. c. XXV. Concil. Andegavenſe can. xi. Concilium Romanum ſub Hilaro Papa can. II. Concilium Agathenſe can. I. & Concilium Arelatenſe iv. can. iii.

III. De baptiſmo quomodo intelligẽdum nullum perfectum in baptiſmo eſſe.

Nullum perfectum credimus in baptismo, Nempe qui non completur ceteris ſacramentis. Hîc præſertim cum patribus Latinis Theodorus loquitur. Tertullianus libro de baptiſmo cap. VI. non quòd in aquis ſpiritum ſanctum conſequamur, ſed in aqua mundati, ſub Angelo Spiritui ſancto præparamur. Cornelius in ep. ad Fabium de Novato apud Euſebium lib. VI. cap. LXIII. In ipſo in quo jacebat lectulo perfuſus, baptiſmum ſuſcepit; ſi tamen hujuſcemodi baptiſmum ſuſcepiſſe dicendus eſt. Sed neque poſtquam liberatus eſt morbo, reliqua percepit, quæ juxta Eccleſiaſticam regulam percipi debent: neque ab Epiſcopo conſignatus eſt. Hoc autem ſignaculo minimè percepto, quo tandem modo Spiritum ſanctum potuit accipere, S. Cyprianus in ep. LXXIV. ad Pompeium. Vetus auctor quem unà cum Cypriano edidit V. Cl. N. Rigaltius poſt epiſtolam citatam. Non negant tamen Cyprianus & Hieronymus cogente neceſſitate totum conferre divina compendia. Hoc dicit S. Cyprianus etiam de Clinicis in epiſt. ad Magnum de baptizandis Novatianis; & de iis qui in lecto gratiam conſequuntur. In ſacramentis, inquit, ſalutaribus neceſſitate cogente, & Deo indulgentiam ſuam largiente totum credentibus conferunt divina compendia. Quod Cyprianus dicit de Clinicis, id affirmat Hieronymus de iis qui ob remotiora loca à Preſbyteris vel Diaconis bapti-

Digitized by Google

zati mortui erant, priuſquam ab Epiſcopo confirmarentur. Sic egregiè S.
» Hieronymus adverſus Luciferianos. Quod ſi hoc loco quæris: quare in
» Eccleſia baptizatus, niſi per manus Epiſcopi, non accipiat Spiritum ſan-
» ctum, quem nos aſſerimus in vero baptiſmate tribui: diſce hanc obſer-
» vationem ex ea auctoritate deſcendere, quòd poſt aſcenſum Domini Spiri-
» tus ſanctus ad Apoſtolos deſcendit: & multis in locis idem factitatum re-
» perimus ad honorem potiùs ſacerdotii, quàm ad legis neceſſitatem. Alio-
» qui ſi ad Epiſcopi tantùm imprecationem Spiritus ſanctus defluit, lugen-
» di ſunt qui in viculis, aut in caſtellis, aut in remotioribus locis per preſby-
» teros & diaconos baptizati antè dormierunt, quàm ab Epiſcopis inviſeren-
» tur. Quare Theodorus dicit capitul. IV nullum perfectum credimus ſine
» confirmatione Epiſcopi: tamen non deſperamus.

IV. Quomodo baptiſmus vocatu perfectum?

Confirmationem Episcopi non disputamus. Nunc Theodorus natione Græcus videtur indicare patrum Græcorum ſententiam, qui dicunt baptiſmum tria ſignificare, tinctionem, hominem fide imbutum: merſionem, ablutum ſordibus, & maculis: emerſionem, reſurgentem; ac proinde ab illis vocari illuminationem, lavacrum, perfectum & perfectum cui nihil deeſt. Poſt S. Juſtinum in fine apologiæ II. in editis, ſed quæ prima eſt juxta Euſebium, S. Theophilum Antiochenum ad Autolicum lib. II. contra Chriſtianæ Religionis calumniatores. S. Irenæum libr. II. adverſus hæreſes cap. XIX. iſta manifeſtiſſimè declarat S. Clemens Alexandrinus libr. I. pœdag. cap. VI. his verbis: Hoc ipſum nobis quoque eve-
» nit, quorum exemplar fuit Dominus. Tincti illuminamur, illuminati in
» filios adoptamur: adoptati perficimur: perfecti, immortales reddimur.
» Multis autem modis vocatur hoc opus, gratia, illuminatio, perfectum,
» & lavacrum. Lavacrum quidem, per quod peccata abſtergimus: gratia
» autem, qua remittuntur pœnæ quæ peccatis debentur: Illuminatio autem,
» per quam ſanctam illam & ſalutarem lucem intuemur, hoc eſt, per quam id
» quod eſt divinum perſpicimus. Perfectum autem dicimus, cui nihil deeſt.
» Quibus plures alii patres Græci aſſentiuntur. Origenes commentar. in Joannem tom. 2. edit. Huet. pag. 124. S. Athanaſius in oratione contra Arianos in hæc verba *Deus eſt Verbum*. S. Baſilius in homilia de baptiſmate: & ſermone II. cap. I. S. Gregorius Nazianzenus in orat. in ſanctum baptiſma &c. fatendum tamen eſt patres Concilii Laodiceni videri aliter loqui can. XLVIII.

V. Locus difficilis.

Tamen in Nicoena synodo fuit chrisma constitutum. Iſtud non reperitur inter decreta Nicœnæ Synodi. Porro quædam ſunt quæ inter XX. canones non leguntur, ut decretum de feſto Paſchæ apud Euſebium, & Athanaſium &c. decretum de actis prioris Synodi in altera ſynodo examinandis: cujus meminit Julius Papa in epiſtola, quam S. Athanaſius retulit in apologia II. Hæc decreta quæ à patribus commendantur, qui ſynodo interfuerunt, aut qui ferè ejuſdem temporis, maximæ ſunt auctoritatis: minoris verò, aut propè nullius, quæ poſteriorum teſtimonio fulciuntur; qualia ſint decreta, quæ leguntur apud Gregorium Turonen-

Digitized by Google

ſem, & alia v. g. de notis litterarum formatarum à recentioribus relata. A quibus enim illa acceperint, valde incertum eſt. Sed ad cujuſnam generis decreta referendum ſit hoc conſtitutum, difficile eſt affirmare. Quomodo enim in Nicœna ſynodo chriſma conſtitutum, de quo locutus eſt Tertullianus antiquiſſimus in libro de Baptiſmo cap. VII. & aliis locis. Non video igitur quid hoc loco ſentiat Theodorus, niſi forſan intelligat id, quod à Silveſtro Papa circa tempora Nicœnæ ſynodi ſtatutum ſic dicitur in geſtis Pontificum: Hic & hoc conſtituit, ut baptizatum liniat presbyter Chriſmate levatum de aqua propter periculum mortis. Quare ille foret ſenſus: confirmationem Epiſcopi non diſputamus, tamen à Silveſtro Papa conſtitutum eſt, nec à Nicœna ſynodo reprobatum, ut Preſbyteri baptizatos linirent chriſmatis unctione, quam placuit patribus Concilii Arauſicani non repeti. Unde fortaſſe quidam & auctoritate S. Gregorii impulſi dixerunt in caſu neceſſitatis, & in quibuſdam locis Preſbyteris conceſſam fuiſſe confirmandi poteſtatem.

Selecta ex libro Ms. de Sacramentis Magiſtri Petri Cantoris Pariſienſis de Confirmatione cap. XXX.

POſt baptiſmum, qui porta eſt ſacramentorum, ſequitur confirmatio. De hac quæritur primò, cum ad diſcipulos & ſolos pertinuerit, & poſt ad eorum ſucceſſores ſpecialiter; unde & inter ſacramenta dignitatis numeratur; quomodò Gregorius * illud celebrare permiſit ſimplicibus ſacerdotibus propter neceſſitatem urgentem ex penuria Epiſcoporum. Neque enim in aliis ſacramentis audivimus aut credimus, quòd poteſtas ea celebrandi ſecundum ſtatum & conditionem perſonarum conferentium poſſit dilatari vel coërceri. Quomodò ergo in hoc ſacramento ſingulariter potuit extra prædictos limites poſitos fieri dilatatio, & poſteà in primum ſtatum revocatio? Rurſum hoc attendendum, quòd cùm una mutatio facta eſt, ex cauſa evidenti & certa facta eſt. Sed poſito quòd hodie Preſbyteri alicujus regionis vel provinciæ non habentes copiam Epiſcopi, tale quid exigant à ſummo Pontifice & obtineant: alii parem neceſſitatem, & paulò majorem allegent, & non obtineant. Quæro ergo an prævalere debeat vel attendi in hoc diſpenſantis auctoritas, an cauſa diſpenſationis, an illa duo pariter.

* Gregorius I. lib. III. epiſt. XXVI. ad Ianuarium Epiſcopum Caralitanum. Sed ſi omnino hac de re aliqui contriſtantur, ubi Epiſcopi deſunt, ut Presbyteri etiā in frontibus baptizatos chriſmate tangere debeant, concedimus.

Selecta ex pœnitentiali Ms. Magiſtri Roberti de Flamesbure lib. III. cap. I.

INſtituuntur autem miniſtri Eccleſiæ non à quolibet, ſed ab Epiſcopo ſuo, vel ſacerdote; ut ordo Pſalmiſtæ, ſive ille qui dicitur Corona apud nos, à Lombardis Clerico. Olim à ſimplici conferebatur ſacerdote, & adhuc hodie in Alemannia confertur. Confirmabant etiam olim ſimplices ſacerdotes.

Digitized by Google

VI. De ſponſoribus in baptiſmo.

Singuli ſuſcipiunt. Qui ſuſcipiunt in baptiſmo ſponſores vocat Tertullianus libr. de baptiſmo cap. xvii. Quid enim neceſſe eſt ſponſores etiam periculo ingeri? Qua auctoritate demonſtratur in baptiſmo ſponſores adhibere, hoc eſſe in Eccleſia antiquiſſimum. Quodnam verò ſponſorum ſit officium, docetur à patribus Concilii Calchutenſis can. ii. & Concilii Pariſienſis vi. can. vii. Qualiter autem hi qui de ſacro fonte alios ſuſcipiunt inſtruere debeant, beatus Auguſtinus in ſermone habito ad populum demonſtrat, dicens: Quicumque igitur viri, quæcumque mulieres de ſacro fonte filios ſpiritualiter ſuſceperunt, cognoſcant ſe pro eis fidejuſſores extitiſſe apud Deum. Et in eo neceſſe eſt, ut ſemper illis ſollicitudinem veræ charitatis impendant, admoneant, & caſtigent, atque corripiant; ut caſtitatem cuſtodiant, virginitatem uſque ad nuptias ſervent, & ceteris bonis operibus dediti ſint. In hoc quippe facto, de quo agitur, quantùm à Religione Chriſtiana diſceſſum ſit, ignorari fas non eſt.

CAPUT V.

De Miſſa Defunctorum.

I. Ritus Eccleſiæ Romanæ circa ſepulturam.

Secundum Romanam Eccleſiam. Ne ſim prolixior in recenſendis ritibus Eccleſiæ Romanæ circa ſepulturas, & Africanæ, quæ Eccleſiam Romanam in pleriſque ſecuta eſt; Vide Tertullianum in Apologet. cap. xi. libr. de idololatria c. xi. epiſtolam Cleri Romani ad Clerum Carthaginenſem de ſeceſſu S. Cypriani, quæ eſt inter ipſius epiſtolas ii. epiſtolam Cypriani xxxvii. edit Rigalt. actus paſſionis Cypriani, cujus Pontius meminit. S. Ambroſium in fine libr. de viduis, epiſtolam lxxxv. ad ſororem ſuam, & lib. de Thobia cap. i. S. Hieronymum in fine epitaphii Paulæ matris ad Euſtochium virginem, in fine epitaph. Fabiolæ ad Oceanum, & in fine vitæ Pauli Eremitæ. Concilium Valentinum c. iv. & Concilium Aurelianenſe II. c. vi.

II. De lib. Dionyſii Areopagit.

Licet Dionysius Areopagita dicat. Senſus verborum colligitur ex cap. vii. Eccleſ. Hierarchiæ. Quod licet Theodorus citet ſub nomine Dionyſii Areopagitæ, utrum ipſius eſſe cenſuerit, meritò quis dubitaret; quippe cùm iſtius auctoris opinioni præferat ſententiam S. Auguſtini. Quicquid ſit, hi libri ſtatim atque prodierunt, Catholicis à Severianis objecti ſunt, & à Catholicis ut toti antiquitati prorſus ignoti pariter ſunt rejecti: ſicut patet ex collatione Catholicorum cum Severianis habita Conſtantinopoli tempore Juſtiniani Imperatoris. Illa teſtimonia, inquiunt, quæ vos Dionyſii Areopagitæ dicitis, unde poteſtis oſtendere vera eſſe, ſicut ſuſpicamini: Si enim ejus erant, non potuiſſent latere beatum Cyrillum. Quid autem de beato Cyrillo dico? quando & beatus Athanaſius ſi pro certo ſciſſet ejus fuiſſe, ante omnia in Niceno Concilio de conſubſtantiali Trinitate eadem teſtimonia protuliſſet adverſus Arii di-

Digitized by Google

verſæ ſubſtantiæ blaſphemias. Si autem nullus ex antiquis recordatus eſt ea, unde nunc poteſtis oſtendere, quia illius ſint, neſcio. V. librum Joannis Launoii Doctoris Pariſienſis doctiſſimi de duobus Dionyſiis.

III. AVGVSTINVS TAMEN DICIT PRO OMNIBVS CHRISTIANIS Libro de cura pro mortuis gerenda cap. IV. Verum etſi aliqua neceſſitas vel humari corpora, vel in talibus locis humari nulla data facultate permittat, non ſunt prætermittendæ ſupplicationes pro ſpiritibus mortuorum: quas faciendas pro omnibus in Chriſtiana & Catholica ſocietate defunctis, etiam tacitis nominibus, quorumcumque ſub generali commemoratione ſuſcepit Eccleſia. Cujus rei ratio erui poteſt ex eo quòd alibi dicit S. Auguſtinus in libro de civitate Dei ad Marcellinum XXI. cap. XXVII. Quis, inquit, iſte ſit modus, & quæ ſint ipſa peccata, quæ ita impediunt perventionem ad regnum Dei, ut tamen ſanctorum amicorum meritis impetrent indulgentiam, difficillimum eſt invenire, periculoſiſſimum definire. Ego certe uſque ad hoc tempus cùm inde ſatagerem, ad eorum indaginem pervenire non potui.

IV. Qui communionem non accipiebat, erant in pœnitentia.

ET NON EST LICITVM MISSAS CELEBRARE PRESBYTERO, VEL DIACONO, CVI NON LICET, VEL QVI NON VVLT COMMVNIONEM ACCIPERE. Can. VIII. canonum ſub nomine Apoſtolorum. Si quis Epiſcopus, Preſbyter, vel Diaconus, vel ex ſacerdotali catalogo, facta oblatione non communicaverit, cauſam dicat &c. Tunc temporis non ſolùm Preſbytero non licebat Miſſas celebrare, ſed nec etiam ceteris fidelibus, adeſſe divinis myſteriis, niſi vellent communionem accipere. V. S. Cyprianum de oratione dominica; can. IX. canonum ſub nomine Apoſtolorum. Concil. Antiochenum can. II. Concil. Toletan. can. XIII. De his qui intrant in Eccleſiam & deprehenduntur nunquam communicare, admoneantur, ut ſi non communicant, ad pœnitentiam accedant; ſi communicant, non ſuperabſtineantur; ſi non fecerint, abſtineantur. Quidam hos canones interpretantur de iis qui certa de cauſa, nimirum ob aliquam ſuperſtitionem, aut pravam opinionem ſacramentorum communionem averſabantur. Sed omnis etquidem diſtinctionis umbra diſpellitur à Joanne Chryſoſtomo, qui ita loquitur in homilia III. epiſtolæ Pauli ad Epheſios cap. II. Non es dignus ſacrificio, neque participatione? Ergo nec prece. Audis præconem ſtantem & dicentem: Quicunque eſtis in pœnitentia, abite. Omnes qui non participant, ſunt in pœnitentia. Nam qui non participat, eſt in pœnitentia.

Digitized by Google

CAPUT VI.

De Abbatibus, Monachis, vel Monaſteriis.

I. De electione Abbatis.

CONGREGATIO DEBET SIBI ELIGERE ABBATEM. Gregorius I, » libr. iv. epiſt. xliii. Abbatem verò eidem monaſterio, non alium, » ſed quem dignum moribus atque actibus monaſticæ diſciplinæ communi » conſenſu Congregatio tota popoſcerit, te volumus ordinare. Et lib. vii, » epiſt. xviii. Defuncto verò Abbate cujuſcumque Congregationis non ex- » traneus, niſi de eadem converſatione, quem ſibi propriâ voluntate con- » cors fratrum ſocietas elegerit, & qui electus fuerit, ſine dolo vel vena- » litate aliqua ordinetur; quod ſi aptam inter ſe perſonam invenire nequi- » verint, ſolertet de aliis Monaſteriis ſibi ſimiliter eligant ordinandum. V. Convent. Aquiſgran. c. xxxii. Quod idem præcepiſſe Ludovicum Pium referunt Chartulæ Monaſterii Piſcarienſis, ſive Abbatiæ ſancti Cle- » mentis, quæ nunc ſervantur in Bibliotheca Regia. Imperator fecit præ- » ceptum ſuper Abbatis electione, ut non eligatur de extranea congrega- » tione: ſed quotieſcumque qui præeſt Abbas obierit, habeant fratres » licentiam ex ſua propria congregatione eligendi Abbatem. Quod qui » tranſgreſſus fuerit, ſciat ſe non paſtorem ſed lupum ponere, & in ex- » tremo judicio pœnam præparatam habere.

II. De commutatione bonorum Eccleſiæ.

NON LICET ABBATI NEQUE EPISCOPO TERRAM ECCLESIÆ CONVERTERE, Niſi cum conſilio fratrum, ut infrà addit. Quod idem de bonis Eccleſiæ præſcribitur in Concilio Carthaginenſi IV. aut potius ſtatutis Eccleſiæ antiquis. Hic enim eſt titulus quem præ ſe ferunt codices Gemblacenſis cœnobii, S. Bavonis in Gandavo, & plura manuſcripta optimæ » notæ. Sic autem habet can. XXXII. Irrita donatio Epiſcoporum, vel » venditio, vel commutatio rei Eccleſiaſticæ abſque conniventia & ſub- » ſcriptione Clericorum. v. Epiſtolam VIII. Hilari Papæ ad Epiſcopos diverſarum provinciarum Galliæ cap. v. Conc. Agathenſe can. XLV. & Concil. Herutfordienſe in quo præſidebat Theodorus can. III. apud Bedam lib. IV. cap. III. Quæ definiunt ſtatuta Eccleſiæ antiqua de bonis Eccleſiæ, eadem de ceteris. Nam ſicut clerus nihil quicquam debet agere ſine Epiſcopo, ita Epiſcopus nihil agebat ſine Clero, adeo ut irrita eſſet ſententia Epiſcopi, niſi Clericorum præſentia confirmaretur juxta eadem ſtatuta Eccleſiæ antiqua can. XIV.

III. Nulla familiaritas viris cum feminis Monachis.

NON LICET VIRIS FEMINAS HABERE MONACHAS; Quod frequentiſſimè prohibuerunt Patres ſive in ſuis ſcriptis, ſive in decretis Concil- » liorum. Quare dicunt Patres Concilii Hiſpalenſis II. can. XI. Abſit » ut Monachos, quod etiam dictu nefas eſt, Chriſti virginibus familiares » eſſe velimus: ſed juxta quòd juſſa regularum vel canonum admonent, » longe diſcretos atque ſejunctos, eorum tantùm eaſdem gubernaculis de- » putamus; conſtituentes, ut unus Monachorum probatiſſimus eligatur,

Digitized by Google

cujus curæ ſit &c. Et Egbertus Eboracenſis Archiepiſcopus. Hoc, inquit, ſancti Patres Auguſtinus, Hieronymus, Baſilius, Gregorius, & ceteri quàm multi edictis ſuis prohibuerunt.

TAMEN NON DESTRVAMVS ILLVD QVOD CONSVETVDO EST IN HAC TERRA. Quomodo ea tractanda ſunt quæ nec recipi poſſunt ob Eccleſiæ ſanctitatem; nec tamen uſurpatæ conſuetudinis causâ damnari, pluribus exemplis declarat Concilium Valentinum. Quocirca, ut aiunt Patres in epiſtola ſynodica ad univerſos Epiſcopos Galliarum, librato diu moderatoque conſilio, ea cautelæ ratio ſervata eſt, quæ & ſcandala ſubmoveret, & ſanctitatem Eccleſiæ cuſtodiret. IV.

MONACHO NON LICET VOTVM VOVERE SINE CONSENSV ABBATIS; SIN MINVS FRANGENDVM EST. S. Baſilius rationem profert in conſtitutionibus monaſticis cap. XXVII. his verbis: Poteſtatem verò ſuiipſius ne ad punctum quidem temporis habere Monachus debet, per quam in privatis ipſe negotiis ſuis verſetur. Quemadmodum enim abſente artifice inſtrumentum ſua ſponte ipſum non moveretur, neque membrum vel ad breviſſimum ab aliquo corpore ſeparari, moverive poſſet ſine ejus qui intus eſt opificis, ac totius corporis moderatoris voluntate: ſimiliter quoque neque religionis obſervanti aliquid agere, exequive ſine antiſtitis ſui ſententia licet. Nulla ſunt igitur iſta vota Monachi, quæ non ſunt ipſius juris, & ex poteſtate Abbatis pendent. Eodem modo judicabat Magiſter Robertus de Flameſbure in ſuo pœnitentiali. V. De voto Monachi ſine conſenſu Abbatis facto.

Selecta ex Pœnitentiali Ms. Magiſtri Roberti de Flamesbure libr. II. cap. IV.

VOvere poteſt quælibet perſona, quæ ſui juris eſt: & ſtatim, ut puto, quando doli capax eſt. Perſona quæ alii ſubjecta eſt, ſine ejus conſenſu non poteſt vovere, ut Monachus vovere non poteſt ſine conſenſu ſui Abbatis, nec mulier ſine conſenſu ſui viri, nec filia quamdiu eſt in poteſtate ſui patris ſine ejus conſenſu; & fortaſſe ſervus ſine conſenſu ſui Domini, nec poteſt aliquid vovere in præjudicium Domini ſui. Tamen quælibet talis perſona aliquod membrum habet proprium, quod ſine aliorum cõſenſu poteſt vovere: ut mulier poteſt vovere quod non exiget à viro ſuo debitum. Si autem quælibet dictarum perſonarum vel ſimilium de conſenſu ſui ſuperioris aliquid voverit; ille ſuperior ratione inſpectâ illud votum poteſt revocare; ut ſi de conſenſu viri vovit aliquid mulier, vir poteſt ratione inſpectâ illud votum revocare, & illa tenetur obedire. Idem eſt in Monacho & Abbate ſuo, de aliis non ita conſtat.

IN LIBERTATE QVOQVE MONASTERII EST LAVANDI PEDES LAICORVM, NISI IN COENA DOMINI NON COGVNTVR. Et infrà: conſuetudo Romanorum non eſt hæc lavatio pedum. S. Auguſtinus exponit cur alii hanc conſuetudinem non receperint, & alii abſtulerint. Sic verò in VI. De lavandis pedibus in cœna Domini.

Digitized by Google

CAPUT VII.

De Ritu mulierum in Eccleſia vel miniſterio.

MULIERES NON VELENT ALTARE. &c. S. Epiphanius contra Collyridianos hæreſ. LXXIX. Si mulieribus præceptum eſſet ſacrificare Deo, aut regulare quicquam operari in Eccleſia, oportebat magis ipſam Mariam ſacrificium perficere in novo teſtamento, quæ digna facta eſt ſuſcipere in propriis viſceribus univerſorum Regem Deum, cœleſtem filium Dei: cujus uterus templum factum eſt ac domicilium ad Domini in carne diſpenſationem per Dei benignitatem, & admirandum myſterium præparatus eſt. At non complacuit: ſed neque baptiſma dare concreditum eſt. Alioqui potuiſſet Chriſtus ab ipſa baptizari potiuſquam à Joanne. Simili argumento uſus eſt vetus auctor conſtitutionum lib. III. cap. IV.

I. De miniſterio mulierum in Eccleſia.

MULIERES POSSUNT SUB NIGRO VELAMINE SACRIFICIUM ACCIPERE. Ergo non eis licebat nuda manu Euchariſtiam accipere, nequidem ad pallam dominicam manum mittere. Conc. Antiſiodorenſe can. XXXVI. Non licet mulieri nuda manu euchariſtiam accipere. Et can. XXXVII. Non licet mulieri manum ſuam ad pallam dominicam mittere. Etiam antea Patres Concilii Laodiceni ſtatuerant can. XIX. ſolis licere ſacratis ad altare accedere, & communicare. Attamen pleriſque in locis vulgò nuda manu euchariſtiam fuiſſe receptam probant teſtimonia Patrum quibus fideles ſæpius admonent, ut animadvertant dextram, quæ corpori Chriſti admovetur, conſecratam eſſe, ſicut & linguam & cor. Vide Clementem Alexandrinum lib. I. Stromatum. Tertullianum lib. de Idololatria cap. vii. S. Cyprianum in epiſt. LVI. ad Thibaritanos de exhortatione martyrii, & lib. de bono patientiæ. Fragmentũ præclarum epiſtolæ v. Dionyſii Alexandrini ad Xiſtum Romanæ urbis Epiſcopum ſcriptæ, apud Euſebium lib. vii. Eccleſ. hiſt. cap. ix. S. Cyrillum Hieroſolymitanum in catech. S. Gregorium Nazianzenum in oratione xi. in laudem Gorgoniæ. S. Joannem Chryſoſtomum in homilia xxi. ad populum Antiochenum, & Ambroſium in oratione, quà Imperatorem Theodoſium objurgat, relata à Theodoreto lib. v. hiſt. Eccleſ. cap. xvii. Vide quoque ſuprà Notas ad caput iii.

II. Quomodo Euchariſtia à fidelibus accipiebatur.

MULIER POTEST OBLATIONES FACERE SECUNDUM GRÆCOS, NON SECUNDUM ROMANOS. Hoc non intelligendum eſt de oblationibus omnium fidelium, id eſt, eleemoſynis inter quas erant panes per euchariſtiam ſacrandi, ut animadvertit V. cl. N. Rigalt. in lib. S. Cypriani de opere & eleemoſynis: quod idem conſtat ex ep. S. Auguſt. cxxii. ſed ſicut declarat titulus de quodam miniſterio Eccleſiæ, ad quod Græci mulieres admittebant, & à quo tunc temporis Romani excludebant. Concil. Arauſican. can. XXVI. Diaconæ omnimodis non ordinandæ: ſi quæ jam ſunt, benedictioni, quæ populo impenditur, capita ſubmittant. Conc. Epaonenſe can. XXI. Viduarum conſecrationem, quas Diaconas vocitant, ab omni regione

III. Varii ritus Græcorum & Romanorum de miniſterio Eccleſiæ.

Digitized by Google

» noſtra penitus abrogamus. Quidam codices legunt: ab omni religione. Con-
» cil. Aurelianenſe II. can. XVIII. Placuit etiam, ut nulli poſtmodùm feminæ,
» Diaconalis benedictio pro conditionis hujus fragilitate credatur. Idem pro-
bat Conc. Turonenſe can. XX. auctoritate Patrum Epaonenſium jam relata.
Primis tamen ſeculis diſciplina totius Eccleſiæ in ordinem eas eligebat,
» teſte Tertulliano lib. I. ad uxorem cap. VII. Diſciplina Eccleſiæ & præſcri-
» ptio Apoſtoli declarat, cum digamos non ſinit præſidere, cum viduam
» adlegi in ordinem, niſi univiram, non concedit. V. quoque Conc. Carthag.
IV. can. XII. aut potius ſtatuta Eccleſiæ antiqua can. C. Porro quinam
eſſet ordo & honor eccleſiaſticus, ad quem mulieres eligerentur Patres ex-
ponunt. Clemens Alexandrinus lib. III. Stromatum, Origenes in Joannem
t. 2. p. 90. edit. Huët. Conc. Nicœnum can. XIX. ubi Gabriel Albaſpinæus
Illuſtriſſimus Epiſcopus Aurelianenſis probat contra Baronium ritè &
» ordine conſecratas fuiſſe. Nam cum, inquit, Synodus quaſdam, quæ mi-
» nus recte & extra ordinem inſtitutæ eſſent, inter laicas deputandas eſſe
» cenſet: ſubintelligendum profecto relinquit quaſdam fuiſſe, quæ ritè & or-
» dine conſecratæ eſſent. S. Baſilius in epiſtola canonica ad Amphilochium
can. XLIV. S. Gregorius Nyſſenus de vita S. Macrinæ. Quorum ſententiæ
non refragatur S. Epiphanius antea citatus, immo in eodem loco eam aper-
» tè aſſerit cum dicit: Et Diaconiſſarum ordo eſt in Eccleſia &c. Idem ſentit
vetus auctor Conſtitutionum Apoſtolicarum lib. VIII. cap. XIX. in quo de-
clarat impoſitione manuum Epiſcopi ordinari Preſbyteros, Diaconos &
Diaconiſſas. V. Concil. Calchedonenſe can. XV. δεξαμένη τὴν χειροθεσίαν. Con-
cilium Trullanum ſive Quiniſextum can. XL. & Sedulius in cap. XVI. ad Ro-
manos auctor circa nonum ſeculum qui teſtatur in Orientalibus locis tan-
tum Diaconiſſas miniſtraſſe. Ex quo dignoſcuntur varii ritus, quos rectè
ubique refert Theodorus.

CAPUT VIII.

De Moribus Græcorum & Romanorum.

1. Quiſnam laborare potuerit die Dominico.

ET LABORANT SIVE DOMINICO DIE. Die dominico laborabant, &
quidem moniales, teſte Hieronymo ad Euſtochium virginem de epita-
» phio Paulę matris. Die tantum Dominico ad Eccleſiam procedebant, ex
» cujus habitabant latere, & unumquodque agmen matrem propriam ſeque-
» batur: atque inde pariter revertentes, inſtabant operi diſtributo; & vel ſibi,
» vel ceteris indumenta faciebant. Labor, qui à precibus & à cultu Dei avo-
cabat, interdictus fuit à Conſtantino, qui primus præcepit feriari; ut re-
fert Euſebius lib. IV. de vita Conſtantini cap. XVIII. Quod poſtea pluribus
Synodorum decretis confirmatum fuit, ita tamen ut Chriſtiani non Judaï-
» zarent, ſicut admonent patres Concilii Aurelianenſis III. can. XXVIII. Quia
» perſuaſum eſt populis die Dominico agi cum caballis, aut bubus, & vehicu-
» lis itinera non debere, neque ullam rem ad victum præparare, vel ad nito-

Digitized by Google

item domus vel hominis pertinentem ullatenus exercere (quæ res ad judaïcam magis quàm ad Chriſtianã obſervantiam pertinere probatur) id ſtatuimus, ut die Dominico quod ante fieri licuit liceat &c. Eadem leguntur in Concilio Vernenſi can. xiv. Qui verò hanc obſervantiam Judaïcam tuebantur, adeò refelluntur à S. Gregorio M. ut eos quaſi Antichriſti prædicatores oppugnet lib. xi. ep. iii. Pervenit ad me, inquit, quoſdam perverſi ſpiritus homines, prava inter vos aliqua & ſanctæ fidei adverſa ſeminaſſe, ita ut die ſabbati aliquid operari prohiberent. Quos quid aliud, niſi Antichriſti prædicatores dixerim? qui veniens diem ſabbatum atque Dominicum ab omni faciet opere cuſtodiri. Vide lib. I. capitul. c. LXXI. & Reginonem lib. I. de Eccleſiaſticis diſciplinis cap. CCCLXXII. ex cap. Caroli. Tria carraria opera licet fieri dominica die, id eſt, hoſtilia carra, victualia, vel angaria, & ſi fortè neceſſe ſit, corpus cujuſlibet duci ad ſepulchrum. Unde liquet rectius legi, ſive Dominico die, quàm, excepto Dominico die. Vide ſuprà varias lectiones.

GRÆCORUM MONACHI SERVOS NON HABENT, MONACHI ROMANORUM HABENT. De mancipiis Romanorum Monachorum vide concil. Agathenſe C. LVI. conc. Epaonenſe can. viii. II.

MANDUCANT ROMANI: GRÆCI VERO DICTA VESPERE MISSA COENANT. De tali varia conſuetudine omnino inſignis eſt regula, quam S. Auguſtinus interrogatus exhibet in ep. cxviii. cap. v. hoc modo. Ad hæc itaque ita reſpondeo, ut quid horum ſit faciendum, ſi divinæ ſcripturæ præſcribit auctoritas, non ſit dubitandum quin ita facere debeamus ut legimus, ut jam non quomodo faciendum, ſed quomodo ſacramentum intelligendum ſit, diſputemus. Similiter etiam ſi quid horum tota per orbem frequentat Eccleſia. Nam hoc quin ita faciendum ſit, diſputare inſolentiſſimæ inſaniæ eſt. Sed neque hoc neque illud ineſt in eo, quod tu quæris. Reſtat igitur ut de illo tertio genere ſit, quod per loca regioneſque variatur. Faciat ergo quiſque quod in ea Eccleſia in quam venit, invenerit. Non enim quicquam eorum contra fidem ſit, aut contra mores hinc vel inde meliores. His enim cauſis, id eſt, aut propter fidem, aut propter mores vel emendari oportet quod perperam fiebat, vel inſtitui quod non fiebat. Ipſa quippe mutatio conſuetudinis, etiam quæ adjuvat utilitate, novitate perturbat. Quapropter quæ utilis non eſt, perturbatione infructuoſa conſequenter noxia eſt. III. Tria ſpectanda ſunt in diſciplina Eccleſiaſt.

CAPUT IX.

De Communicatione Scotorum, & Britonum, qui in paſcha & tonſura Catholici non ſunt.

QUI IN PASCHA VEL TONSURA CATHOLICÆ NON SUNT ADUNATI ECCLESIÆ. Beda hujus ſchiſmatis originem & cauſam latè deſcribit lib. iii. hiſt. cap. xxv. ex quibus multis hæc pauca: Finitoque conflictu, ac Quæſt. de paſchate & tonſura.

Digitized by Google

» ſoluta concione, Agilbertus domum rediit. Colmannus videns ſpretam
» ſuam doctrinam, ſectamque eſſe deſpectam, aſſumptis his qui ſe ſequi vo-
» luerunt, id eſt, qui paſcha catholicum & tonſuram coronæ (nam & de
» hoc quæſtio non minima erat) recipere nolebant, Scotiam regreſſus eſt,
» tractaturus cum ſuis quid de his facere deberet &c. Facta eſt autem hæc
» quæſtio anno Dominicæ Incarnationis ſexcenteſimo ſexageſimo quarto,
» qui fuit annus Oſuuini regis viceſimus ſecundus: Epiſcopatus autem Sco-
» torum, quem geſſerant in provincia Anglorum, annus triceſimus. Conſule
quoque capitula ſelecta ex antiqua collectione canonum Hibernenſium
edita à R. D. Luca Acherio in tomo ix. Spicilegii, in quibus iſta depromun-
» tur ex lib. i. cap. vi. De tonſura Britonum. Gildas ait: Britones toto mundo
» contrarii, moribus Romanis inimici, non ſolùm in Miſſâ, ſed etiam in
» tonſura cum Judæis umbræ futurorum ſervientes, potiuſquam veritati, ut
» Romani dicunt, quorum tonſura aure ad aurem tantùm contingebat, pro
» excellentia ipſa magorum tonſura, qua ſola frons anterior tegi ſolebat,
» priorum. Auctorem verò hujus tonſuræ in Hibernia Subulcum Regis Loi-
» gairi filii, illis exſtitiſſe Patricii ſermo teſtatur, ex quo Hibernenſes penè
» omnes hanc tonſuram ſumpſerunt. Sed Beda lib. v. cap. xxii. refert epiſto-
lam Ceolfridi Abbatis ad Naitanum, qui ſic judicat de quæſtione tonſuræ:
» Verum ſi profiteri nobis liberum eſt, quia tonſuræ diſcrimen non noceat,
» quibus pura in Deum fides & charitas in proximum ſincera eſt, maximè
» cùm nunquam patribus Catholicis ſicut de paſchæ vel fidei diverſitate con-
» flictus, ita etiam de tonſuræ differentia legatur aliqua fuiſſe controverſia.
Idem fuit olim de paſchatis quæſtione antiquorum multorum patrum judi-
cium, quod ſatis ſuperque declarant eorum literæ, ac præſertim Irenæi quæ
extant apud Euſebium lib. v. cap. xxiv. atque epiſtola Firmiliani ad S. Cy-
prianum inter epiſtolas S. Cypriani edita. Sed definita eſt illa quæſtio de-
creto Concilii Nicœni, quod deinceps omnes Catholici unanimi conſenſu
amplexi ſunt. V. Euſebium lib. iii. de vita Conſtantini cap. xix S. Athana-
ſium de Synodis, & ad African. S. Epiphan. hæreſ. lxx. S. J. Chryſoſtom.
orat. lii. tom. 5. Theodoret. lib. i. cap. viii.

CAPUT X.

De Vexatis à Diabolo.

I. De iis qui ſe occidunt.

» ET NON AVSI SVMVS ORARE PRO ILLO. Conc. Aurelianenſe ii. can.
» xv. oblationes defunctorum, qui in aliquo crimine fuerint interempti,
» recipi debere cenſemus, ſi tamen non ipſi ſibi mortem probentur propriis
manibus intuliſſe. Concil. Bracharenſe ii. can. xvi. Item placuit, ut his qui
» ſibiipſis aut per ferrum, aut per venenum, aut per præcipitium, aut ſuſ-
» pendium, vel quolibet modo violentam inferunt mortem, nulla pro illis in
» oblatione commemoratio fiat, neque cum pſalmis ad ſepulturam eorum ca-
» davera deducantur. Multi enim ſibi hoc per ignorantiam uſurpaverunt,

Digitized by Google

Concil. Antiſiodorenſe can. xvii. Quicumque ſe propria voluntate in aquam jactaverit, aut collum ligaverit, aut de arbore præcipitaverit, aut ferro percuſſerit, aut qualibet occaſione voluntariæ ſe morti tradiderit, iſtorum oblatio non recipiatur. Eadem ſententia legitur in judiciis Gregorii III. c. xxxii. in capitular. lib. vii. c. cccxxxiv. Vide Halitgar. lib. iv. c. vi. Regin. lib. ii. de Eccleſiaſticis diſciplinis c. xcii. paulò poſt addit Theodorus: Qui ſe occiderit propria voluntate, Miſſas pro eo facere non licet, ſed tantum orare & eleemoſynas largiri. Quam ſententiam ſequitur Magiſter Robertus de Flamesbure in ſuo Pœnitentiali.

Selecta ex Pœnitentiali Ms. Magiſtri Roberti de Flamesbure lib. IV.

DE eo qui ſemetipſum occidit, aut laqueo ſe ſuſpendit; conſiderandum eſt, ut ſi quis parens velit eleemoſynam dare, tribuat: & orationes in pſalmodiis faciat: oblationibus tamen & Miſſis careat. Quicunque ſe propria voluntate aut in aqua jactaverit, aut collum ligaverit, aut de arbore præcipitaverit, aut furioſe percuſſerit, aut qualibet occaſione ſponte ſua ſe morti tradiderit, iſtorum oblata non recipiantur. Tu dixiſti, laqueo traditor periit, laqueum talibus dereliquit, hoc ad nos omnino non pertinet: Non enim veneramur nomine Martyrum eos qui ſibi collum ligaverint. Placuit ut iis &c. Ex canone xvi. Concilii Bracharenſis II.

III. De furioſo qui ſe occidit aut alios.

SI QVIS SVBITA TENTATIONE MENTE SVA EXCIDERIT, VEL PER INSANIAM SEIPSVM OCCIDERIT, QVIDAM PRO EO MISSAS FACIVNT. Theophilus Alexandrinus in ſuis reſponſionibus canonicis ad interrogationem xiv. Si quis, cùm ſui compos non eſſet, ſibi manum attulerit, vel etiam ſe præcipitaverit, ſitne oblatio, annon? Reſponſio. Hoc debet Clericus diſcernere, an revera hoc fecerit, cùm eſſet emotæ mentis. Sæpe enim ii qui ad eum, cui hoc accidit, attinent, volentes conſequi oblationem & orationem pro ipſo, mentiuntur, & dicunt eum non fuiſſe apud ſe: nonnunquam autem propter inſultationem hominum, vel aliquo alio modo per negligentiam hoc feciſſe. Tunc autem non eſt ſuper eum facienda oblatio, eſt enim ſui homicida. Oportet ergo Clericum accuratè ſciſcitari, ne in judicium incidat. Concil. Arauſicanum can. XIII. Amentibus quæcumque pietatis ſunt conferenda. V. Cl. J. Sirmondus animadvertit oblationem pro eo qui ſibi per amentiam mortem conſciverit, fieri poſſe, & confirmat Reſponſione Timothei Alexandrini can. XIII. cùm hoc in loco quæſtio ſit de peccato furioſi, non erit alienum proponere ſententiam Magiſtri præpoſitivi viri ſuo tempore inter ſcholaſticos ſummi, qui in ſua Summa omnem ſolvit difficultatem auctoritate Gregorii I.

Selecta ex Summa Ms. Præpoſitivi de peccato furioſi.

Sicut quæritur de delictis: ita de his quæ fiunt mente alienata, vel per nocturnum ſomnium, utrum ſint imputanda. Et videtur quod non, quia Auguſtinus dicit: Aliquos ſcimus ſubito dementes factos ferro, fuſte, & lapidibus multos obruiſſe, quoſdam occidiſſe: captos verò & judici oblatos minimè reos factos, quia non voluntate, ſed neſcio quâ vi impellente hoc fecerunt. Item Auguſtinus: Quis peccat in eo quod cavere non poteſt? quaſi dicat, nullus. Item, Si concupiſcentia quæ ad hoc in membris moribundis habitat, abſque culpa eſt in mente ſive in corpore dormientis: quantò magis abſque culpa eſt in corpore non conſentientis. Ergo ſive fuerit mente alienatâ, ſive per ſomnium, non imputatur. Sed ad hoc reſpondetur, & dicitur, quod hæc intelligenda ſunt, cùm quis culpâ ſuâ in hanc neceſſitatem non venit. *Et infrà*: Communis ſententia magiſtrorum eſt, quòd illa imputantur, in quibus quis venit culpâ ſuâ, & hoc probatur auctoritate B. Gregorii qui illuſionem nocturnam diſtinguit, quòd ſi ex naturæ ſuperfluitate vel infirmitate tibi venerit, timenda non eſt: ſi ex culpa, à conſecratione ſacramenti arcetur ſacerdos, etſi non à perceptione, niſi ubi neceſſitas exegerit, ut divina celebrentur ab eo.

CAPUT XI.

De quæſtionibus Conjugiorum.

1. Quibus diebus abſtinendum eſt ab amplexibus.

QUI IN MATRIMONIO SUNT, TRES NOCTES ABSTINEANT. S. Auguſtinus libr. II. contra Julianum Pelagianum ex libro de Philoſophia S. Ambroſii. Mater autem vitiorum omnium incontinentia, quæ etiam licita vertat in vitium. Ideoque Apoſtolus non ſolùm à fornicatione nos retrahit; verum in ipſis conjugiis modum quemdam docet, & tempora præſcribit orandi. Intemperans enim in conjugio, quid aliud, niſi quidam adulter uxoris eſt. Excerptiones Egberti Eboracenſis Archiepiſcopi c x. canon ſanctorum. Qui in matrimonio ſunt, abſtineant ſe tres noctes antequam communicent, & unam poſtquam communicaverint. Inde ait Apoſtolus: nolite fraudare invicem, niſi ex conſenſu, ut vacetis orationi ad tempus. Beda de remediis peccatorum cap. x. Qui in matrimonio ſunt abſtineant ſe tres quadrageſimas, & in Dominica nocte, & in Sabbato, & feria quarta, & tertia qui legitimè ſunt, & tres noctes abſtineant ſe antequam communicent. V. Reginonem lib. I. de Eccleſiaſticis diſciplinis cap. CCCXXI. ex pœnitentiali. Vide quoque antiquos pœnitentiales libros, ac præcipuè Andegavenſem II. & III. in appendice lib. de pœnitentia viri Doctiſſimi J. Morini. Quibus adjungam quæ ſelegi ex veteri codice Ms. Viri Clariſſimi Vvionis Domini Herouvallii, de pœnis pro peccatis injungendis, & ex pœnitentiali Ms. Magiſtri Roberti de Flameſbure.

Selecta ex veteri codice Ms. Viri Clariſſimi Vvionis Domini Herouvallii, de pœnis pro peccatis injungendis.

"QUi uxores habent, contineant ſe ab eis XL. dies ante Paſcha, & natale Domini, & omni Dominicâ, & tertiâ & ſextâ feriâ. Qui Dominica non ſe continet, ſeptem dies pœniteat."

Selecta ex Pœnitentiali Ms. Magiſtri Roberti de Flamesbure Lib IV. Cap. VI.

"SI causâ creandorum filiorum ducitur uxor, non multùm temporis videtur conceſſum ad ipſum uſum: quia dies feſti & dies proceſſionis & ipſa ratio partus & conceptus juxta legem ceſſare temporibus iis debere demonſtrant. *Et infrà*: Maritus ne vim faciat uxori, putans omni tempore conjugii voluntatem licere. Quicumque uxori debitum reddit, vacare non poteſt orationi, nec de carnibus agni comedere. Item ſi panes propoſitionis ab his qui uxores ſuas tetigerant, comedi non poterant, quantò magis panis ille qui de cœlo deſcendit, non poteſt ab his qui conjugalibus paulò antè hæſere amplexibus, violari atque contingi. Non quòd nuptias condemnemus, ſed quòd eo tempore, quo carnes agni manducaturi ſumus, vacare à carnibus debeamus."

QUADRAGINTA DIES ANTE PASCHA] Joannes Jejunator Conſtantinopolitanus Epiſcopus, in libello pœnitentiali apud Græcos celeberrimo, quem J. Morinus vir doctiſſimus edidit in appendice lib. de pœnitentia. II.
"Cum verò, inquit, nonnulli ſunt, qui præ habitudinis violentia ſeipſos à peccatis ne in ipſa quidem magna quadrageſimâ continere poſſunt, cujuſmodi ſunt ſæpe, etiam ii qui uxores habent, oportet & ipſos pœnitentiis completis, ſi tranſeant anni multi, nec habeant qua ratione communicent, eo quòd ſemper in peccata incidant, continere ſe à peccato ſaltem totam ſanctam quadrageſimam, & cum timore & tremore tribus paſchatis diebus communicare. Hoc autem hæſitanter dicimus, eo quòd à ſpurcitiis carnalibus abſtinere non poſſunt, non quod hoc fiat ſecundùm aliam communionis differentiam. Si verò in magna quadrageſima qui tales ſunt in mollitiem inciderint, neque ſic communicent. Si enim à S. Patribus decretum ſit, eos qui in miſerandum illum animi morbum & perturbationem omnibus dominantem, quam omnino derelinquere difficillimum, quadraginta tantum diebus à communione arcendos eſſe, num multò magis erit in quadrageſima obſervandum, cùm id de ceteris & communibus anni diebus definierint? Beda de remediis peccatorum cap. II. Uxoratus contineat ſe quadraginta dies anni ante Paſcha & natale Domini, & omni die dominico &c. & cap. X. Qui in quadrageſima ante Paſcha cognoſcit uxorem ſuam & noluit abſtinere, unum annū pœniteat, vel ſuum pretium reddat ad Eccleſiam, vel pauperibus dividat, vel viginti ſex ſolidos

» reddat. Theodulfi Aurelianenſis capitulare CXLIII. Abſtinendum eſt » enim in his ſacratiſſimis diebus à conjugibus, & caſtè & piè vivendum, ut » ſanctificato corde & corpore iſti ſancti dies tranſigantur, & ſic perveniatur ad diem ſanctum Paſchæ: quia penè nihil valet jejunium, quod conju» gali opere polluitur, & quod orationes, vigiliæ, & eleemoſynæ non com» mendant. Unde Magiſter Robertus de Flameſbure dicit in ſuo Pœnitentiali, non licere in adventu & in quadrageſima matrimonium contrahere.

Selecta ex Pœnitentiali Ms. Magiſtri Roberti de Flameſbure Lib. II. Cap. IV. & XIII.

TEmpus feriarum, & interdictum Eccleſiæ impediunt matrimonium; quia in adventu, in quadrageſima, & interdicto Eccleſiæ non contrahunt, id eſt, non debent contrahi. Quæcunque tamen contracta fuerint, ſtabunt. *Et cap.* XIII. Qui in quadrageſima cognoverit uxorem ſuam, & noluerit abſtinere ab ea, unum annum pœniteat, aut pretium videlicet vigintiquinque ſolidorum ad Eccleſiam tribuat, aut pauperibus diſtribuat. Si per ebrietatem & ſine conſuetudine acciderit, quadraginta dies pœniteat.

III. Sententia patrum de eadem quæſtione.

INDE AIT APOSTOLVS, VT VACETIS ORATIONI. Hoc Pauli teſtimonio multi Patres probarunt, conjugatos per quoddam tempus abſtinere debere à conjunctione, antequam communicent orationibus Eccleſiæ, & Euchariſtiæ, aut aliis Sacramentis. Tertullianus lib de Oratione cap. XIV. Origenes in Matthæum tractatu VI. Petrus Alexandrinus in epiſtola canonica. Gregorius Nyſſenus in oratione I. de oratione Dominicâ. Hilarius Diaconus in commentario epiſt. I. ad Corinth. cap. VII. inter opera D. Ambroſii. D. Joannes Chryſoſtomus in cap. Matthæi VI. homil. XIX. & in cap. XV. homil. XLII. & LVIII. Theophilus Ale» xandrinus in reſponſionibus canonicis interrogat. V. *Si* uxor cum ſuo » marito noctu cohabitarit, vel maritus cum uxore, ſimulque coierint: » debentne communicare, an non? Reſp. non debent, cùm clamet Apo» ſtolus: nolite fraudare invicem, niſi fortè ex conſenſu ad tempus, ut » vacetis orationi. Quare paulò pòſt ſic reſpondet interrogationi XIII. quæ » ita proponitur. *Interrog. xiij.* iis qui matrimonii ſocietate junguntur, » in quibuſnā ſeptimanæ diebus proponere oporteat à mutuo congreſſu ab» ſtineant? Et quibuſnam poteſtatem habeant? *Reſponſ.* Quod ante dixi, » nunc quoque dico. Dicit Apoſtolus: nolite fraudare, niſi fortè ex con» ſenſu ad tempus, ut vacetis orationi, & iterum revertimini in idipſum, ne » vos tentet ſatanas propter incontinentiam veſtram. Neceſſariò autem, » ſabbato & die dominico abſtinere oportet, quod ſpiritale ſacrificium in eis » Domino offeratur. Eadem reperies apud S. Ambroſium in Apologia David cap. XI. Siricium pp. in epiſt. ad fratres & Coepiſcopos per Africam. S. Hieronymum in epiſt. ad Pammachium de Apologia pro libris adverſus

Digitized by Google

ſus Jovinianum, & S. Auguſtinum lib. de fide & operibus cap. VI. Eadem eſt ſententia Verani Epiſcopi Cabelliæ in quadam ſynodo circa ann. CLXXXIII. Tamen Gregorius Magnus exiſtimat ei licere ſacramenta accipere, qui in igne potius neſcit ardere. Oportet, inquit in reſponſione ad interrogationem X. Auguſtini, legitima carnis copula ut cauſa prolis ſit, non voluptatis; & carnis commixtio, creandorum liberorum ſit gratia, non ſatisfactio vitiorum. Si quis ergo ſua conjuge non cupidine voluptatis captus, ſed ſolummodò liberorum creandorum gratiâ utitur, iſte profectò ſive de ingreſſu Eccleſiæ, ſeu de ſumendo corporis Dominici ſanguiniſque myſterio, ſuo eſt relinquendus judicio; quia à nobis prohiberi non debet, qui in igne poſitus neſcit ardere. Et inter Græcos Patres S. Clemens Alexandrinus lib. VII. Stromatum διὸ καὶ ἐσθίων, καὶ πίνων, καὶ γαμῶν, ἐὰν ὁ λόγος αἱρῇ, ἀλλὰ καὶ ὀνείρους βλέπων, τὰ ἅγια ποιεῖ, καὶ νοεῖ. Θεάτῃ, κατημερὶς εἰς ἐνοχὴν παίνοντι. Non aliter ſentit Magiſter Robertus de Flameſbure in ſuo Pœnitentiali propter auctoritatem S. Gregorii.

Selecta ex Pœnitentiali Ms. Magiſtri Roberti de Flamesbure lib. IV. cap. VI.

OPortet legitimam carnis copulam, ut cauſa prolis ſit &c. Ut ſuprà. Et paulò poſt. Item tunc ubi qui poſt commixtionem conjugis lotus aquâ fuerit, etiam ſacræ communionis myſterium valet accipere, cùm ei juxta præfinitam ſententiam etiam Eccleſiam licuerit intrare.

IV. Abſtinendum ab amplexibus ante partum & poſt tempus purgationis.

ANTE PARTUM ET POST TEMPUS PURGATIONIS. S. Clemens Alexandrinus lib. II. Stromatum. Frumenti & hordei, ut arbitror, ſeminibus, quæ convenientibus dejiciuntur temporibus, præſtantior eſt, ac pretioſior homo, qui ſeminatur, cui omnia à natura producuntur. Atque illa quidem ſemina agricolæ ſobrii dejiciunt. Si quod fit ergo ſordidum & ſpurcum ſtudium, id eſt, à matrimonio expurgandum; ne nobis probro dari poſſit, quod brutorum animantium congreſſus, magis naturæ conveniat, quàm humana conjunctio in ipſo colore veneris. Et lib. III. Stromatum. Unde nullum ex veteribus ex ſcriptura oſtenderis, qui cum prægnante rem habuerit. Sed poſtquam geſtavit uterum, & poſtquam editum fœtum à lacte depulit, rurſus à viris cognitas fuiſſe uxores. Jam hunc ſcopum & inſtitutum invenies ſervantem Moſis patrem, cùm triennium poſt Aaronem editum intermiſiſſet, genuiſſe Moyſem, & & rurſus Levitica tribus ſervans hanc naturæ legem à Deo traditam, aliis numero minor ingreſſa eſt in terram promiſſionis. S. Ambroſius lib. I. comm. in Luc. cap. I. Et quid mirum de hominibus, ſi pecudes quoque muto quodam opere loquuntur generandi ſibi ſtudium, non deſiderium eſſe coeundi? ſiquidem ubi ſemel gravem alvum ſibi ſenſerint, & genitali alvo ſemen receptum, jam nec concubitu indulgent, nec laſciviam amantis, ſed curam parentis aſſumunt. At vero homines nec con-

» ceptis, nec Deo parcunt, illos contaminant, hunc exaſperant. Priuſ-
» quam te, inquit, formarem in utero, novi te: & in vulva matris ſancti-
» ficavi te. Ad cohibendam petulantiam tuam, manus quaſdam tui aucto-
» ris in utero hominem formantis adverte. Ille operator, & tu ſacri uteri
» ſecretum inceſtas libidine. Vel pecudes imitare, vel Deum verere. Et
» quid de pecudibus loquar? Terra ipſa à generandi opere ſæpe requieſcit:
» & ſi impatienti hominum ſtudio jactis frequenter ſeminibus occupatur,
» impudentiam multat agricolæ, & fœcunditatem ſterilitate commutat.
» Ita quidem in ipſis elementis ac pecudibus ab uſu non ceſſare generan-
» di, naturæ pudor eſt. S. Gregorius magnus libr. XII. epiſtolâ XXX. in
» Reſp. ad X. interrogationem Auguſtini. Ad ejus verò concubitum vir ejus
» accedere non debet, quouſque qui gignitur ablactetur. Prava autem con-
» ſuetudo in conjugatorum moribus ſurrexit, ut mulieres filios quos gignunt,
» nutrire contemnant, eoſque aliis mulieribus ad nutriendum tradant.
» Quod videlicet ex ſola cauſa incontinentiæ videtur inventum; quia dum
» ſe continere volunt, deſpiciunt lactare quos gignunt. Hæ itaque, quæ
» filios ſuos ex prava conſuetudine aliis ad nutriendum tradunt, niſi purga-
» tionis tempus tranſierit, viris ſuis non debent admiſceri. Ergo juxta tra-
ditionem Patrum Theodorus cenſuit abſtinendum eſſe ab amplexibus antè
partum & poſt tempus purgationis. Unde poſtea Gregorius III. defi-
» niit in ſuis judiciis c. XXV. Quod ſi quis fecerit, quadraginta dies pœni-
» tere. Vide libros pœnitentiales antiquos in appendice libr. pœnitentiæ
V. Doctiſſimi J. Morini, ac præcipuè librum pœnitentialem Joannis Jeju-
natoris Epiſcopi Conſtantinopolitani, & alterum Egberti Eboracenſis
Archiepiſcopi. Quibus addam, quæ ſelegi ex veteri codice de pœnis
pro peccatis injungendis, & ex pœnitentiali Magiſtri Roberti de Fla-
meſbure.

Selecta ex veteri codice Ms. viri clariſſimi V. Vionis Domini Herouvalli, de pœnis pro peccatis injungendis.

A Conceptione manifeſtata, uſque poſt natam ſobolem, vir contineat ſe ab uxore, id eſt, tres menſes. Uxor poſt natam ſobolem abſtineat ſe ab Eccleſia, ſi filius eſt, dies XXX. ſi filia, XL. Nam in tempore menſtrui ſanguinis, qui tunc nupſerit, XXX. dies pœniteat.

Selecta ex Pœnitentiali Ms. Magiſtri Roberti de Flamesbure lib. IV. cap. VI. & XIV.

PEr ſingulos menſes gravia atque torpentia mulierum corpora immundi ſanguinis effuſione relevantur. Quo tempore ſi vir coierit cum muliere, dicuntur corrupti ſecum trahere vitium ſeminis, ita ut leproſi

& elephantici ex hac conceptione naſcantur; & fœda in utroque corpore pravitate vel enormitate membrorum ſanitas corrupta degeneret. Præcipitur ergo, ut non ſolum in alienis mulieribus, ſed in ſuis quoque, quibus videntur conjungi, certa concubitus norint tempora, quando coeundum ſit, quando ab uxoribus ſit abſtinendum. *Et cap.* XIV. Si quis coïerit cum muliere in puerperio, decem dies pœniteat in pane & aqua.

SI CUJUS UXOR FORNICATA FUERIT, LICET DIMITTERE EAM, ET ALIAM ACCIPERE. Omnino ſtandum eſt diſciplinæ à patribus Concilii Tridentini præſcriptæ, quam optimè expoſitam eſſe ab Eminentiſſimo Cardinali Pallavicino oſtendit vir Clariſſimus Joannes Launoiùs in egregio libro de Regia in matrimonium poteſtate. Quam porro diſciplinam patres antiquiſſimi, ii præſertim, qui ne nubere quidem poſt mortem permittebant, proculdubiò poſt divortium ſtrictè obſervandam cenſuerunt: ut in iiſdem locis apertè declarant. Athenagoras in legatione pro Chriſtianis: Quare vel ut natus eſt, unuſquiſque noſtrûm maneat: vel nuptiis copuletur unicis. Secundæ enim, decorum quoddam adulterium ſunt. Qui enim uxorem dimiſerit, & alteram duxerit, adulteratur, inquit Dominus noſter: neque illam dimittere concedens, cujus delibata eſt pudicitia, neque alteram ducere. Nam qui primâ uxore licet defunctâ ſeipſum privat, adulter eſt, quamquam diſſimulanter, & manum Dei tranſgreditur: quoniam à principio Deus virum unum & mulierem unam creavit, & carnem à carne, & unionem miſcendi utriuſque ſexus ſeparat. Clemens Alexandrinus lib. III. Stromatum. Qui poteſt capere, capiat. Neſciunt quid poſtquam de divortio eſſet locutus, cum quidam rogaſſent, ſi ſic ſit cauſa uxoris, non expedit homini uxorem ducere: tunc dixit dominus, Non omnes capiunt verbum hoc, ſed quibus datum eſt. Hoc autem qui rogabant, volebant ſcire an uxore damnata, & ejecta propter fornicationem, concedat aliam ducere. S. Clementi Alexandrino adjungam B. Hermam, cujùs liber Paſtoris ab ipſo tantopere laudatus eſt, ut quodammodò ſuum feciſſe meritò dici poſſit. Sic verò huic quæſtioni: Quid ergo, ſi permanſerit in vitio ſuo mulier? Angelum reſpondentem exhibet libro II. mand. IV. Et dixit: dimittat illam vir, & vir per ſe maneat. Quod ſi dimiſerit mulierem ſuam, & aliam duxerit, & ipſe mœchatur. Tertullianus lib. de Monogamia cap. IX. Nobis etſi repudiemus, ne nubere quidem licebit. Video jam hinc ad Apoſtolum nos provocari, ad cujus ſenſum facilius perſpiciendum, tantò inſtantius præculcandum eſt mulierem magis defuncto marito teneri, quominus alium virum admittat. Unde N. Rigaltius V. Cl. in hunc locum iſta animadvertit: Nobis, inquit, paracleticis. Nam apud Pſychicos alias nuptias poſt divortium fuiſſe permiſſas innuit principio libri II. ad uxorem, his ſcilicet verbis: Nunc ad ſecunda conſilia convertemur, reſpectu humanæ infirmitatis, quarumdam exemplis admonentibus, quæ divortio, vel mariti exceſſu, oblata continentiæ occaſione, non modo abjecerunt opportunitatem tanti boni, ſed ne in nubendo quidem diſ-

Standam diſcipinæ à patribus Concilii Tridentini præſcriptæ, ne quis nubat poſt divortiũ.

Digitized by Google

» ciplinæ meminiſſe voluerunt, ut in Domino potiſſimum nuberent. At
quoſdam rectores Eccleſiæ contra legem ſcripturæ, illud permiſiſſe
aſſerit Origenes in comment Matth. p. 363. edit Huet. Jam verò,
» inquit, ſcripturæ legem mulieri vivente viro nubere quidam Eccleſiæ
» rectores permiſerunt, agentes contra id quod ſcriptum eſt, in quo ſic ha-
» betur: Mulier alligata eſt quanto tempore vir ejus vivit: & contra illud;
» Igitur vivente viro mulier vocabitur adultera, ſi fuerit cum alio viro,
» non omnino tamen ſine ratione: hæc enim contra legem initio latam &
» ſcriptam, ad vitanda pejora alieno arbitrio morem gerentes, eos permi-
» ſiſſe veriſimile eſt. Sic olim quidam Epiſcopi, permiſerunt ob pejora
vitanda poſt divortium nubere. Vide Concil. Eliberitanum can. 9. Concilium Arelatenſe I. can. x. prout legitur in collectione antiquiſſima codicis Herovalliani. Concil. Laodic. c. 1. Lactantium lib. vi. de vero cultu cap. xxiii. S. Hilarium Epiſcopum Pictavienſem comment. Matth. can. iv. S. Baſilium in epiſt. canonica ad Amphilochium can. ix. S. Epipha-
» nium hæreſ. lix. Sed ſuffert propter debilitatem. οὐδὲ ἀπὸ τῆς ἐκκλησίας καὶ τῆς ζωῆς ἀποκηρύττει, ἀλλὰ διαβαστάζει διὰ τὸ ἀσθενές. Innocentium I. in epiſt. ix. ad Probum. Synodum S. Patricii can. xxvi. Concilium Veneticum can. ii. Quare eodem modo intelligi debent cetera quæ ſequuntur apud Theodorum de quæſtionibus conjugiorum, cùm paulò pòſt dicat,
» Melius eſt ſic facere quàm fornicari.

Quantum quidam rectores Eccleſiæ indulſerunt infirmitati.

VI. Utrum fornicatio late ſumi poſſit pro criminibus graviſſimis, & utrum liceat propter hæc uxorem dimittere?

Si vir dimiserit uxorem suam propter fornicationem. Et
» infrà: *Maritus ſi ipſe ſeipſum in furto, aut fornicatione ſervum facit, vel*
» *quocumque peccato, mulier ſi prius non habuit conjugium, habet poteſta-*
» *tem poſt annum alterum accipere virum.* Quidam Patres latè vocabulum fornicationis acceperunt, ita ut exiſtimarent graviſſima crimina eſſe cauſam divortii legitimam. Quapropter B. Hermas in libro paſtoris ii. man-
» dato iv. judicat propter idololatriam uxorem eſſe dimittendam. Non ſo-
» lùm, inquit, mœchatio eſt illis qui carnem ſuam coïnquinant, ſed & is
» qui ſimulachrum facit, mœchatur. Quod ſi in his factis perſeverat, &
» pœnitentiam non agit, recede ab illa, & noli convivere cum illa, alioquin,
» & tu particeps eris peccati ejus. In eodem ſenſu S. Clemens Alexandrinus videtur dixiſſe libro iii. Stromatum, fornicationem tribus modis ſumi apud Apoſtolum. De eadem quæſtione tanquam de maxima difficultate fuſius diſputat Origenes in comment. Matth. t. 1. p. 365. editionis Huet. Sanctus tamen Epiphanius nihil de hac dubitat hæreſ. lix. Aut propter aliam, inquit, cauſam. Sed S. Auguſtinus omnibus utrobique conſide-
» ratis fatetur l. 1. retractationum cap. xix. hanc quæſtionem eſſe latebroſiſ-
» ſimam. Sed, quam velit, inquit, Dominus intelligi fornicationem pro-
» pter quam liceat dimittere uxorem, utrum eam quæ damnatur in ſtupris,
» an illam de qua dicitur: Perdidiſti omnem qui fornicatur abs te. Et paulò
» pòſt. Sed quatenus intelligenda atque eliminanda ſit hæc fornicatio,
» & utrum etiam propter hanc liceat dimittere uxorem, latebroſiſſima
» quæſtio eſt. Tamen patres Concilii Vermerienſis c. v. dant viro licen-

Digitized by Google

tiam penitus dimittendi uxorem propter conſilium homicidii, quod dedit. Si qua mulier mortem viri ſui cum aliis hominibus conſiliavit, & ipſe vir ipſius hominem ſe defendendo occiderit, & hoc probare poteſt, ille vir poteſt ipſam uxorem dimittere; & ſi voluerit, aliam accipiat.

Illa vero, si voluerit poenitere, alium accipiat virum. Concilium Triburienſe can. xli. Si quis legitimam duxerit uxorem, & impediente quacumque domeſtica infirmitate, uxorium opus non valens implere cum illa: frater verò ejus, ſuadente diabolo, adamatus ab ipſa, clanculum eam humiliaverit, & violatam reddiderit: omnimodo ſeparentur, & à neutro ulterius eadem mulier contingatur. Igitur conjugium, quod erat legitimum, fraternâ commaculatione eſt pollutum: & quod erat licitum, illicitum eſt factum: & ut Hieronymus ait: Mulier duorum fratrum non aſcendat torum: ſi autem aſcendit, adulterium perpetrabit. Quia verò humana fragilitas proclivis eſt ad labendum, aliquo modo muniatur ad ſtandum. Idcirco Epiſcopus conſideratâ mentis eorum imbecillitate, poſt pœnitentiam ſua inſtitutione peractam, ſi ſe continere non poſſint, legitimo conſolentur matrimonio: ne, dum ſperantur ad alta ſublevari, corruant in cœnum. Sic verò Burchardus ex Concilio Triburienſi libro ix. can. xliii. Vir ſi duxerit uxorem concumbere cum ea non valens, & frater ejus clanculò eam vitiaverit, & gravidam reddiderit, ſeparentur. Conſiderata autem imbecillitate, miſericordia eis impartiatur ad conjugium tantum in Domino. Et ex pœnitentiali Romano Burchardus lib. xix. cap. iv. Si autem uxor tua hoc probare poterit, quod tua culpa, & tuo juſſu ſe renuente & reluctante adulterata ſit; ſi ſe continere non poteſt, nubat cui voluerit, tantum in Domino. Quod omnes ferè alii negant, & quidem Patres Concilii Compendienſis can. viii. Si quis homo habet mulierem legitimam, & frater ejus adulteravit cum ea, ille frater, vel illa femina, qui adulterium perpetraverunt, interim quo vivunt nunquam habeant conjugium. Ille cujus uxor fuit, ſi vult, poteſtatem habet accipere aliam.

Quantum patres indulſerũt imbecillitati.

Mulieri non licet virum dimittere, licet sit fornicator Basilius hoc iudicavit. In epiſtola ad Amphilochium can. ix. Sin autem quòd ipſe vivat in fornicatione, non habemus hanc conſuetudinem in Eccleſiaſtica conſtitutione, ſed etiam infidelis viri juſſa eſt mulier non ſeparari, ſed remanere propter incertitudinem eventus. Quid enim ſcis mulier, an virum non ſis ſervatura? Quare quæ relinquit eſt adultera, ſi ad alium virum acceſſerit. Qui autem relinquitur, eſt dignus venia, & quæ ei cohabitat, non ideo condemnatur. Idem cenſet auctor apud Ambroſium commentarii in epiſt ad Corinth. cap. vii. Quam inæqualitatem damnarunt alii Patres, ut Gregorius Nazianzenus in orat. xxxi. Quid cauſæ fuit, cur mulierem coërceret, marito autem indulgeret, eumque liberum relinqueret &c. Hanc legem haudquaquam probo, hanc conſuetudinem minimè laudo: viri erant qui hanc legem ſanxerunt. Unde S. Epiphanius nullam admittit diſcrepantiam in hæreſi lix. [illegible]

VII. Utrum quod liceat viris de divortio non liceat feminis: & quod non liceat feminis, liceat viris.

γυναικὶ, ἢ γυνὴ δευτέρῳ ἀνδρί. ἐπ᾽ ἀπάντων ὁ θεῖος λόγος. S. Hieronymus in epitaphio Fabiolæ. Quicquid viris jubetur, hoc cõſequenter redundat in feminas, Neque enim adultera uxor dimittenda eſt, & vir mœchus tenendus &c, Aliæ ſunt leges Cæſarum, aliæ Chriſti; aliud Papinianus, aliud Paulus noſter præcipit. Apud illos viris impudicitiæ frena laxantur &c. Apud nos, quod non licet feminis, æque non licet viris: & eadem ſervitus pari conditione cenſetur. Et S. Auguſtinus poſtquam hanc quæſtionem latè fuſèque tractavit, ſic concludit in libro II. de adulterinis conjugiis cap. XX. Hæc autem me de utroque ſexu memineris dicere, ſed maximè propter viros: qui propterea ſe feminis ſuperiores eſſe arbitrantur, ne pudicitia pares eſſe dignentur: in qua etiam præire debuerunt, ut eos illæ tanquam ſua capita ſequerentur.

VIII: Utrum legitimum conjugium ſeparari poſſit religionis cauſa, altera parte diſſidente.

LEGITIMUM CONJUGIUM NON LICET SEPARARE SINE CONSENSU AMBORUM. S. Baſilius libro regularum fuſius diſput. aliter reſpondet interrogationi XII. quæ ſic proponitur: Quomodo recipi debeant, qui matrimonio juncti ſunt? *Reſponſio*: Atque ii etiam, qui matrimonio conjuncti, ad hujuſmodi vitæ genus accedunt percontandi ſunt, num conſentiente altera parte hoc faciant, ex præcepto Apoſtoli. Vir enim, inquit ille, ſui corporis poteſtatem non habet. Etſi hoc ita ab ipſis fieri compertum ſit; tum multis adhibitis teſtibus admitti debet, qui accedit. Siquidem nihil eſt, quod Dei juſſis potius haberi debeat. Si verò diſſidens altera pars, & aſſiduè uſque ex adverſo cum altera contendat, quòd videlicet minus ſollicita ſit, quomodò placeat Deo; hìc ea convenit meminiſſe, quæ dicta ſunt ab Apoſtolo: In pace autem vocavit nos Deus. Et ſic parendum præcepto Domini qui dixit: Si quis venit ad me, & non odit patrem ſuum, & matrem, & uxorem, & filios & fratres &c. non poteſt eſſe meus diſcipulus. Neque enim eſt, quod haberi antiquius debeat, quàm ut Dei juſſis pareatur. Sed diſſentiunt alii patres, & cum eis Theodorus ſentit legitimum conjugium ſeparari non poſſe ſine conſenſu amborum. S. Auguſtinus in epiſt. XLVI. Vovenda talia non ſunt à conjugatis, niſi ex conſenſu & voluntate communi. Etſi præproperę factum fuerit, magis eſt corrigenda temeritas, quàm perſolvenda promiſſio. Neque enim Deus exigit, ſi quis ex alieno aliquid voverit, ſed potius uſurpare vetat alienum. S. Gregorius Magnus lib. IX. ep. XXXIX. Si enim dicunt Religionis cauſa conjugia debere diſſolvi: ſciendum eſt, quia etſi lex humana hoc conceſſit, lex divina tamen prohibuit. V. Egbertum Eboracenſem in excerpt. c. CXIX. Concilium Vermerienſ. can. IV. Concil. Compendienſe can. III. Mulier ſi ſine commeatu viri ſui velum in caput miſerit, ſi viro placuerit, recipiat eam iterum ad conjugium. Quæ conveniunt cum eo quod Theodorus dicit cap. XVIII. Vota quæ maritus facit Deo ſine conſenſu uxoris, ſtulta eſſe & importabilia, quæ frangenda ſunt.

IX. POTEST TAMEN ALTER ALTERI LICENTIAM DARE ACCEDERE AD SERVITUTEM DEI IN MONASTERIO ET SIBI NUBERE. Vide varias le-

Digitized by Google

ctiones, in quibus hic locus refertur citatus & expoſitus ab Egberto & Reginone. Subjungit Theodorus, & tamen non eſt canonicum. Quod tamen non longo poſt tempore comprobavit Concilium Compendienſe can. XIII. Si quis vir mulierem ſuam dimiſerit, & dederit commeatum pro Religionis cauſa intra monaſterium deſervire, aut foras monaſterium dederit licentiam velare, ſicut diximus, propter Deum, vir illius accipiat mulierem legitimam: ſimiliter & mulier faciat: Georgius conſenſit.

X. DIACONI AVTEM RELICTÆ NON LICET. Concil. Toletanum I. can. XVIII. Si qua vidua Epiſcopi, ſive Preſbyteri, aut Diaconi maritum acceperit, nullus clericus, nulla Religioſa cum ea convivium ſumat, nunquam communicet, morienti tantum ei ſacramentum ſubveniat. Concil. Aurelianenſe I. can. XIII. Si ſe cuicumque mulier duplici conjugio preſbyteri vel diaconi relicta conjunxerit, aut caſtigati ſeparentur, aut certè, ſi in criminum intentione perſtiterint, pari excommunicatione plectantur. Concil. Epaonenſe can. XXXII. Relicta preſbyteri, ſive diaconi, ſi cuicumque renupſerit, eatenus ab Eccleſia depellatur, donec à conjunctione illicita ſeparetur: marito quoque ejus ſimili uſque ad correctionem ſeveritatem plectendo. Idem habet Concilium Antiſiodorenſe can. XXII. Concil. Matiſconenſe II. can. XIV.

XI. Quantum patres indulſerunt infirmitati aliorum.

SED ILLE INFIRMATVS, SEV ILLA INFIRMATA. Si conſenſu amborum ſeparentur, qui non poteſt ſe continere, quid ei agendum? Sic reſpondet Gregorius II. epiſt. XIII. ad Bonifacium Epiſcopum can. II. Nam quod propoſuiſti, quod ſi mulier infirmitate correpta non valuerit debitum viro reddere, quid ejus faciat conjugalis? bonum eſſet ſi ſic permaneret, ut abſtinentiæ vacaret. Sed quia hoc magnorum eſt, ille qui ſe non poterit continere, nubat magis: non tamen omnem ſubſidii opem ſubtrahat ab illa, quam infirmitas præpedit, & non deteſtabilis culpa excludit. Egbertus Eboracenſis in Reſponſione ad interrogationem XIII. Nemo contra Evangelium, nemo contra Apoſtolum ſine vindicta facit: idcirco conſenſum minime præbemus adulteris. Onera tamen quæ ſine periculo portari non poſſunt, nemini imponimus: ea verò quæ Dei ſunt mandata confidenter indicimus. Quem autem infirmitas implendi præpedit, uno profectò multum reſervamus judicio Dei. Igitur ne fortè videamur ſilentio fovere adulteros, aut diabolus qui decipit adulteros de adulteris exultet, ultoribus audi: *Quod Deus conjunxit, homo non ſeparet*, & Item: *Qui poteſt capere, capiat*. Sæpe namque temporum permutatione, neceſſitas legem frangit. Quid enim fecit David, quando eſuriit? Et tamen ſine peccato eſt. Ergo in ambiguis non eſt ferenda ſententia, ſed conſilia neceſſe eſt periclitari pro ſalute aliorum; hac conditione interpoſitâ, ut ei qui ſe continentiæ devovit, nullomodo concedatur ſecundas inire nuptias vivente priore. Concil. Compendienſe can. XVI. Si vir leproſus mulierem habeat ſanam, ſi vult ei donare commeatum ut accipiat virum, ipſa femina, ſi vult, accipiat: ſimiliter & vir. Sed

Et quando?

Digitized by Google

cum Auguſtino pluribus in locis, & maximè lib. de bono conjugali
cap. xv. & lib. II. de adulterinis conjugiis cap. XI. Patres Concilii
» Aurelianenſis II. minimè indulgent. Sic enim can. XI. Contracta matri-
» monia accedente infirmitate nulla voluntatis contrarietate ſolvantur.
» Quod ſi qui ex conjugibus fecerint, noverint ſe communione pri-
» vandos.

XII. De Matrimonio poſt votum.

MULIER QUÆ VOVIT POST MORTEM VIRI, ITERUMQUE NUPTA. S.
Baſilius teſtatur in epiſtola ad Amphilochium can. XVIII. Patres erga lapſas
virgines, quæ vitam in honeſtate Domino profeſſæ erant, clementer ſe
» geſſiſſe. De lapſis, inquit, Virginibus, quæ vitam in honeſtate Domi-
» no profeſſæ ſunt, ſua pacta conventa infirmarunt, Patres quidem clemen-
» ter, & leniter in eorum qui labuntur infirmitatem, ſe gerentes, eſſe ad-
» mittendas cenſuerunt poſt annum, ad ſimilitudinem digamorum decer-
» nentes. Inter illos patres, de quibus S. Baſilius loquitur, annumeran-
» dus eſt S. Cyprianus qui ita in epiſtola LXII. ad Pomponium. Quod ſi ex
» fide ſe Chriſto dicaverunt? Pudicè & caſtè ſine ulla fabula perſeverent,
» ita fortes & ſtabiles præmium virginitatis expectent. Si autem perſeve-
» rare nolunt, vel non poſſunt; melius eſt ut nubant, quàm in ignem de-
» lictis ſuis cadant. Sed in hunc numerum recenſeri præcipuè debent Pa-
tres Concilii Ancyrani, ad quorum verba S. Baſilius videtur ſpectaſſe.
» Sic verò can. XIX. Quicumque virginitatem profitentes, profeſſionem
» ſuam irritam reddunt, ii bigamorum definitionem impleant. At S. Ba-
ſilius dicit, cùm numerus Virginum Deo dicatarum augeretur, & vo-
tum jam ſolemne eſſet & publicum, hanc priorem diſciplinam eſſe immu-
» tandam. Quamobrem aliud ſe primum ſtatuiſſe ita declarat can. XVIII.

Quando diſciplina de hac re cœpit immutari & cur.

» Mihi, inquit, videtur, quòd quoniam Dei gratia procedens Eccleſia fit
» fortior, & ordo Virginum augetur, eſt adhibendus animus rei quæ per in-
» telligentiam cernitur, & ſententiæ Scripturæ, quæ poteſt ex conſequen-
» tia inveniri. &c. Virgo adulteræ judicio ſubjicitur, ſi eum, qui cum
» aliena muliere cohabitat, adulterum nominamus, eum non prius ad
» communionem admittentes, quàm à peccato ceſſaverit: ita videlicet &
» in eo qui virginem habet, afficiemur. Et jam ſanxerat can. VI. hujuſ-
modi conjunctiones eſſe fornicationes quæ, ut ait, pro matrimonio re-
putari non poſſunt, atque eas omnino eſſe divellendas. Cui ſententiæ
ſuffragantur Patres Concilii Valentini I. can. II. ſtatuta Eccleſiæ antiqua
» can. CIII. Nam ſi adulteræ conjuges reatu ſunt viris ſuis obnoxiæ: quan-
» tò magis viduæ, quæ Religioſitatem mutaverunt, crimine adulterii no-
» tabuntur, ſi devotionem, quam Deo ſpontè non coactè obtulerunt, li-
» bidinoſa corruperint voluptate, atque ad ſecundas nuptias tranſitum fe-
» cerint. Concilium Toletanum I. can. XIX. Siricius in epiſtola ad Hime-
rium Terraconenſem, can. VI. S. Joannes Chryſoſtomus in lib. I. ad
» Theodorum lapſum quum dicit: Sed tibi jam non eſt integrum jura con-
» nubii ſervare, cœleſti enim ſponſo ſemel junctum, illum relinquere, &
» uxoris laqueis implicari, adulterii crimen incurrere eſt: quamvis millies
hoc

hoc ipſum nuptias vocet, ego tamen & adulterio illud tantò pejus affi- «
mo, quantò major, ac melior mortalibus Deus. Innocentius I. in epi- «
ſtola ad Victricium Epiſcopum Rothomagenſem cap. XII. vocat quidem adulteras eas quæ à ſacerdote fuerant velatæ. Sed cap. XIII. ſtatuit tantùm, ut quæ in propoſito virginali ſemper manere promiſerunt, & quæ necdum ſacro velamine tectæ ſunt, ſi nupſerint, pœnitentiam aliquanto tempore debeant peragere. Idem ſtatuunt antiqui canones Romanorum quos V. cl. J. Sirmondus ſubjecit epiſtolis Innocentii I. V. can. I. & II. Sed hanc quæſtionem mirificè tractat S. Auguſtinus lib de bono viduitatis, cui videtur non ſatis acutè ac diligenter conſiderare quid dicant, qui hoc objicerent argumentum: Si viro ſuo vivo, quæ alteri nubit, adul- «
tera eſt, ſicut ipſe Dominus in evangelio definivit: vivo ergo Chriſto, «
cui mors ultrà non dominatur, quæ conjugium ejus elegerat, ſi homini «
nubit, adultera eſt. Qui hoc dicunt, inquit S. Auguſtin. acutè quidem «
moventur, ſed parum attendunt hanc argumentationem, quanta rerum «
ſequatur abſurditas. Cum enim laudabiliter etiam vivente viro ex ejus «
conſenſu continentiam femina Chriſto voveat, jam ſecundum iſtorum «
rationem nulla hoc facere debet, ne ipſum Chriſtum, quod ſentire nefas «
eſt, adulterum faciat, cui vivente viro nubit &c. Vide poſt S. Auguſti- «
num S. Leonem in reſponſionibus ad inquiſitionem Ruſtici Narbonenſis XV. Concilium Arauſicanum I. can. XXIV. XXVIII. Synodum S. Patricii can. XVII. Concilium Calchedonenſe can. XVI. Concilium Arelatenſe II. can. LII. Concilium Andegavenſe can. V. Concilium Turonicum I. can. VI. exc. VII. Concilii Arelatenſis IV. apud Ivonem libro III. & Grat. XXVII. q. I. Symmachum Papam in epiſtola VII. ad Cæſarium Epiſcopum Arelatenſem can. IV. & V. Concilium Pariſienſe III. can. V. Concilium Turonenſe II. can. XV. & can. XX. ubi plures canones ſuprà citati referuntur.

ERGO VNAM LICENTIAM DEDIT THEODORVS. Sic Theodorus ſeipſum citat cap. XII. Theodorus dicit: Nos verò per miſericordiam &c. « XIII.
Et in concilio Herutfordienſi apud Bedam lib. hiſt. IV. cap. III. & apud «
Burchardum lib. XVII. c. XXXIX.

IPSE EPISCOPVS HABET POTESTATEM MVTARE. Maximè ſi votum eſt aut ineptum, aut noxium. S. Baſilius de votis ineptis in ep. ad Amphilochium can. XXVIII. Illud quidem mihi viſum eſt ridiculum, vovere ali- «
quem à carnibus ſuillis abſtinere. Quamobrem dignare eos docere, ut «
ab ineptis votis & promiſſis abſtineant, uſum quidem eſſe indifferentem «
permitte. Nulla enim Dei creatura eſt rejicienda, quæ cum gratiarum «
actione accipitur. Quare votum eſt ridiculum, abſtinentia non eſt ne- «
ceſſaria. Sic S. Baſilius hortatur Amphilochium Epiſcopum ut mutet «
& ſolvat vota iſta inepta & ridicula. De votis verò noxiis ita S. Ambroſius lib. I. officiorum cap. L. Eſt etiam contra officium nonnunquam ſolvere «
promiſſum, ſacramentum cuſtodire ut Herodes. V. ſuprà. «

XIV. De votis ineptis & noxiis.

ERGO CVIVS VXOR INFIDELIS ET GENTILIS ET NON POTEST

XV. Quando

Z

Digitized by Google

An licet fideli infidelem dimittere uxorem?

CONVERTI, DEMUTETUR. S. Ambroſius lib. VIII. in Luc. cap. XVI.
» Ceteris, inquit, ego dico, non Dominus; ſi quis frater infidelem habet
» uxorem &c. itaque ubi eſt impar conjugium, lex Dei non eſt. Et addi-
» dit: Quod ſi infidelis diſcedit, diſcedat &c. S. Auguſtinus lib. I. de adul-
» terinis conjugiis cap. XIII. Quia enim conjunx fidelis relinquere con-
» jugem licite potuit infidelem: ideo fieri hoc non Dominus, ſed Apoſto-
» lus prohibet. Quod enim Dominus prohibet, fieri omnino non licet. &c.
» Tibi autem videtur, infideles quoque dimitti à fidelibus non licere, quia
» hoc vetat Apoſtolus: cum ego dicam licere, quia hoc non vetat Do-
» minus: non tamen expedire, quia hoc ut non fiat, monet Apoſtolus:
» qui reddit etiam rationem cur fieri non expediat, quamvis liceat. Auctor
» commentar. ep. I. ad Cor. cap. VII. apud Ambroſium. Propoſitum re-
» ligionis cuſtodit præcipiendo ne Chriſtiani relinquant conjugia: ſed ſi in-
» fidelis odio Dei diſcedit, fidelis non erit reus diſſoluti matrimonii. &c.
» Non enim ratum eſt matrimonium, quod ſine Dei devotione eſt, ac
» per hoc non eſt peccatum ei qui dimittitur propter Deum, ſi alii ſe jun-
» xerit. Contumelia enim creatoris ſolvit jus matrimonii circa eum qui relin-
» quitur, ne accuſetur alii copulatus.

XVI. SI MULIER DISCESSERIT A VIRO SUO DESPICIENS EUM, ET NOLENS REVERTERE &C. ALIAM ACCIPERE LICEAT UXOREM. Quod idem habent Excerptiones Egberti Eborac. Archiepiſcop. c. CXXII. Concilium
» Vernienſe can. XI. Si quis neceſſitate inevitabili cogente in alium Duca-
» tum ſeu provinciam fugerit, aut ſeniorem ſuum, cui fidem mentiri non po-
» terat, ſecutus fuerit, & uxor ejus, cum valet & poteſt amore parentum
» aut rerum ſuarum, eum ſequi noluerit, ipſa omni tempore, quamdiu
» vir ejus, quem ſecuta non fuit, vivit, ſemper innupta permaneat. Nam
» ille vir ejus qui neceſſitate cogente in alium locum fugit, ſi ſe abſtinere
» non poteſt, aliam uxorem cum pœnitentia poteſt accipere. Ratio quam
» affert Egbertus Eboracenſis can. ſupracitato, illa eſt: Cum conſenſu Epiſ-
» copi, inquit, ipſe aliam accipiat uxorem, ſi continens eſſe non poterit,
» & pœniteat tres annos, vel etiam quamdiu vixerit, quia juxta ſenten-
» tiam Domini mœchus comprobatur.

Quantum Patres indulſerint infirmitati humanæ.

XVII. SI IN CAPTIVITATE PER VIM DUCTA REDIMI NON POTEST, POST ANNUM ALTERAM ACCIPERE. Quod confirmant excerptiones Egberti Eboracenſis can. CXXII. Sed ab hoc diſſentiunt plures patres, S. Baſilius in epiſt. canonica ad Amphilochium c. XXXI. Theophilus Alexandr. in reſponſion. ad interrogat XV. S. Auguſtin. libr. II. de adulterinis conjugiis. Concilium Aurelianenſe II. can. XI.

XVIII. » POSTERIOREM DIMITTAT. Innocentius I. in epiſt. ad Probum: Cum
» enim, inquit, in captivitate prædicta Urſa mulier teneretur, aliud con-
» jugium cum reſtituta Fortunius memoratus iniſſe cognoſcitur. Sed favore
» Domini, reverſa Urſa nos adiit, & nullo diffitente, uxorem ſe memo-
» rati eſſe perdocuit. Qua de re, domine fili, merito illuſtris, ſtatuimus
» fide Catholica ſuffragante, illud eſſe conjugium, quod primitus erat gratia

Digitized by Google

divina fundatum: conventumque ſecundæ mulieris, priore ſuperſtite, nec « divortio ejecta, nullo pacto poſſe eſſe legitimum. Cui Reſponſioni favet « Leo I. in epiſt. ad Nicetam Epiſcopum Aquileienſem cap. I. II. III. « & IV. «

XIX. Quinſ gradus propinquitatis ſolvant matrimoniũ.

In tertia propinquitate carnis. Hunc locum Rabanus in epiſtola ad Humbertum Epiſcopum præclarè exponit his verbis. Similiter & in Theodori Archiepiſcopi geſtis Anglorum capitulis, quæ de neceſſariis conſcripſit rebus, invenimus quod in tertia propinquitate carnis ſecundum Græcos liceat nubere, in quinta ſecundum Romanos. Qui tamen conjugia in tertia propinquitate facta non ſolverent, ſi antea ab inſcientibus comparata fuiſſent, æqualiterquer conjungeretur vir in matrimonio, his qui ſibi conſangninei ſunt, & uxoris ſuæ conſanguineis poſt mortem uxoris, &c. Igitur quia à mea parvitate voluiſti, quid ſentirem de hac re, tibi reſcribi, propter fragilitatem præſentis temporis reor hoc quod Theodorus Epiſcopus inter Gregorium, & Iſidorum medius incedens in ſuis capitulis deffinivit magis ſequendum, ut quinta generatione jam licitum connubium fiat: quia non lex divina huic contradicit, nec etiam ſanctorum patrum dicta hoc prohibent. Si autem & in quinta ab inſciis fuerit copula peracta, melius mihi videtur, ut cum pœnitentiæ humiliatione, ſi ſe uxoratus continere non vult, Deo ſatisfaciat. « V. Reginonem lib. II. de Eccleſiaſticis diſciplinis cap. cc. Sed præſertim conſule Hugonem de S. Victore in lib. II. Sacramentorum XI. parte: ubi eandem quæſtionem probat plurimis Patrum, Pontificum Romanorum, & aliorum teſtimoniis, quibus addi poteſt, quod docet in ſuo Pœnitentiali Magiſter Robertus de Flameſbure.

Excerpta ex Pœnitentiali Magiſtri Roberti de Flamosbure Lib. II.

Cognatio impedit, & dirimit matrimonium, non in linea aſcendente vel deſcendente, quæ eadem eſt in infinitum, quia ſi hodie viveret Adam, cum nulla poſſet contrahere. In linea verò tranſverſa, etiam in ſeptimo gradu dirimitur matrimonium. Diſpenſari tamen poteſt; ſed à ſolo Papa: & tantum ultra tertium gradum, quia in lege inhibetur contractus in primo, ſecundo, & tertio gradu. Papa autem contra legem & Evangelium, ut ſuperiùs dictum eſt, diſpenſare non poteſt.

XX.

Lavet se antequam intret in Ecclesiam. Gregorius I. in reſponſione X. ad interrogationem Auguſtini: Vir autem cum propria conjuge dormiens, niſi lotus aquâ intrare Eccleſiam non debet, ſed neque « lotus intrare ſtatim debet &c. Et paulò pòſt declarat Romanorum eſſe « uſum ab antiquioribus acceptum. Romanorum tamen ſemper ab antiquioribus uſus fuit, poſt admixtionem propriæ conjugis, & lavacri purificationem quærere, & ab ingreſſu Eccleſiæ paululùm reverenter abſtinere: nec hæc dicentes deputamus culpam eſſe conjugium: Sed quia ipſa «

Digitized by Google

» licita commixtio conjugum ſine voluptate carnis fieri non poteſt, à ſa-
» cri loci ingreſſu abſtinendum eſt, quia voluptas ipſa eſſe ſine culpa nul-
» latenus poteſt.

XXI. ET POSTEA DIXERIT MULIER DE VIRO SUO NON POSSE. V. Concilium Vermerienſe can. XVII. Concilium Compendienſe can. XVII. Epi-
» ſtolam Rhabani ad Heribaldum c. XXIX. Quod autem interrogaſti de
» his qui matrimonio juncti ſunt, & coïre non poſſunt, an ille aliam vel
» illa alium ducere poſſit. Quibus ſcriptum eſt: Vir & mulier ſi ſe conjun-
» xerint, & poſtea dixerit mulier de viro, quòd non poſſit coire cum eo, ſi
» poteſt probare per juſtum judicium quòd verum ſit, accipiat alium. V. Re-
» ginon. lib. II. de Eccleſiaſticis diſciplinis cap. CCXII. lib. VI. capitular. c. LV.

XXII. De puellis deſponſatis. PUELLAM DESPONSATAM NON LICET PARENTIBUS DARE ALII VI-
» RO. Concil. Eliberitanum c. LIV. Si qui parentes fidem fregerint ſpon-
» ſaliorum, triennii tempore abſtineantur. Si tamen iidem ſponſus vel ſpon-
» ſa in gravi crimine fuerint deprehenſi, excuſati erunt parentes: ſi in eiſ-
» dem fuerit vitium, & polluerint ſe, ſuperior ſententia ſervetur. Siricius
» Papa hujuſce rei iſtam rationem profert in ep. ad Himerium Tarraco-
» nenſem can. IV. De conjugali autem violatione requiſiſti, ſi deſponſa-
» tam alii puellam alter in matrimonium poſſit accipere. Hoc ne fiat om-
» nibus modis inhibemus: quia illa benedictio, quam nupturæ ſacerdos
» imponit, apud fideles cujuſdam ſacrilegii inſtar eſt, ſi ulla tranſgreſſio-
» ne violetur.

XXIII. ILLA AUTEM SI NON VULT HABITARE CUM EO VIRO, CUI EST DESPONSATA, REDDATUR EI PECUNIA QUAM DEDIT, ET TERTIA PARS ADDATUR. Tamen S. Gregorius M. docet lib. VI. ep. XX.
» deſponſatam in monaſterio converſam nullo damno mulctandam. Quia,
» inquit, decreta legalia deſponſatam, ſi converti voluerit, nullo omnino
» cenſuerunt damno mulctari in codice de Epiſcopis & Clericis lege XXXVI.
» Quod noſtræ manſuetudinis religioni contrarium eſſe viſum eſt.

XXIV. Varia Eccleſiæ diſciplina de ætate, requiſita ad profeſſioné in monaſterio celebrádam. PUER USQUE AD QUINDECIM ANNOS SIT &c. TUNC SEIPSUM POTEST MONACHUM FACERE: PUELLA VERO SEXDECIM, VEL SEPTEMDECIM. S. Baſilius in epiſt. ad Amphilochium can. XVIII:
» Profeſſiones autem ab eo tempore judicamus, quo ætas rationis com-
» plementum habuerit. Non enim pueriles voces omnino in his eſſe ra-
» tas exiſtimare oportet: Sed eam quæ ſuprà ſexdecim vel ſeptemde-
» cim annos nata fuerit, rationiſque compos, & diu examinata, proba-
» taque perſeveraverit, & ut admittatur precibus contendit, tum opor-
» tet in ſacrarum virginum catalogum referri, ejuſque confeſſionem
» comprobare, & illius infirmationem inexorabiliter punire. Multas
» enim parentes & fratres offerunt, & quidam eorum qui eas cognatio-
» ne attingunt, ante ætatem non ex ſeipſis ad cœlibatum incitatas, ſed
» aliquid, quod ad victum ſuum pertinet, procurantes, quas non faci-
» lè admittere oportet, donec apertè propriam ſuam ſententiam perſcru-
» tati fuerimus. Qui canon citatur à concilio Quiniſexto can. XL. S.

Digitized by Google

Ambroſius lib. III. de Virginibus: Aiunt etiam plerique maturioris ætatis Virgines eſſe velandas. Neque ego abnuo, ſacerdotalis eſſe cautionis debere, ut non temerè puella veletur. Spectet planè, ſpectet ætatem ſacerdos, ſed fidei vel pudoris: Spectet & maturitatem verecundiæ: examinet gravitatis caniciem, morum ſenectam, pudicitiæ annos, animos caſtitatis. Tamen deinde ſi matris tuta cuſtodia, comitum ſobria ſedulitas; ſi hæc præſto ſunt, non deeſt virgini longæva canicies. Si hæc deſunt, differatur puella potius moribus quàm annis. Non ergo ætas rejicitur florentior, ſed animus examinatur. Concilium Cæſar-Auguſtanum c. VIII. Item lectum eſt, non velandas eſſe Virgines, quæ ſe Deo voverint, niſi quadraginta annorum probata ætate, quam ſacerdos comprobaverit: ab univerſis Epiſcopis dictum eſt, placet. Concilium III. Carthaginenſe can. III. Item placuit, ut antè vigintiquinque annos nec Diaconi ordinentur, nec Virgines conſecrentur. Concil. Milevitanum II. c. XXVI. Item placuit, ut quicumque Epiſcoporum, neceſſitate periclitantis pudicitiæ virginalis (cum vel petitor potens, vel raptor aliquis formidatur, vel ſi etiam aliquo mortis ſcrupulo periculoſo compuncta fuerit, ne non velata moriatur, aut exigentibus parentibus, aut his, ad quorum curam pertinet) velaverit virginem, ſeu velavit intra vigintiquinque annos ætatis, non ei obſit Concilium, quod de iſto annorum numero conſtitutum eſt. Qui canon refertur in integro codice Eccleſiæ Africanæ can. CXXVI. Concilium Agathenſe can. XIX. Sanctimoniales, quamlibet vita earum & mores probati ſint, ante annum ætatis ſuæ quadrageſimum non velentur. S. Gregorius in lib. III. ep. XI. Nullam igitur fraternitas tua, niſi ſexagenariam virginem, cujus ætas hoc atque mores exegerint, velari permittat. Ex quibus omnibus manifeſtè colligi poteſt, de hujuſmodi rebus pro variis circumſtantiis religioſè eſſe judicandum; at maximè cavendum ne infantulæ ætatis puellulæ velentur, antequam illæ eligere ſciant, quid velint; ut præcipiunt Caroli Magni Eccleſiaſtica capitula cap. XIV. & Ludovici pii Imperatoris Capitulare I. cap. XXVI. Ubi quidam canones ſuprà citati referuntur.

LXXV. Utrum pater poſſit in matrimonium dare filiam cōtra ejus voluntatem.

POST AUTEM HANC ÆTATEM PATRI NON LICET FILIAM SUAM CONTRA EIUS VOLUNTATEM IN MATRIMONIUM DARE. Ergo ante hanc ætatem licebat. Quam diſciplinam videtur indicare Theodoretus, qui ſic exponit illa verba epiſtolæ I. ad Corinth. Si quis autem turpem ſe videri exiſtimat ſuper Virgine ſua, quòd ſit ſuperadulta, & ita oportet fieri, quod vult faciat: non peccat, ſi nubat. Qui verò, inquit, cœlibatum dedecori ducit, & ea de cauſa vult filiam marito jungere, faciat quod videtur. Sed aliter exponunt alii. Hilarius Diaconus in epiſtolam ad Corinth. I. cap. VII. Si ergo aliqua in deſiderio nuptiarum eſt, jam matura ad uſum, melius eſſe ut ſecundum conceſſam legem publicè nubat, quàm occultè turpiter agat iſtud, & erubeſcatur illa &c. Et paulò poſt: Hoc dicit, ut qui virginem habet cui animus ad nuptias non

„ eſt, ſervet illam: nec illi ingerat fomitem nuptiarum, quam videt nuben-
„ di voluntatem non habere. Beneficia enim ſi præſtanda ſunt, quanto ma-
„ gis minimè auferenda. S. Hieronymus in eadem verba: hoc loco non
„ parentes dicit virginum filiarum: neque enim poteſtatis illorum poteſt
„ eſſe propoſitum alienæ continentiæ: ſed unumquemque habere propriæ
„ carnis arbitrium, eam incorruptam ſervare &c. Ille Firmus ſtatuit, cujus
„ puellæ conſenſus, patris firmaverit voluntatem. Synodus S. Patricii
„ can. XXVII. Quod vult pater, faciat virgo, quia caput mulieris vir.
„ Sed requirenda eſt à patre voluntas virginis, dum Deus reliquit hominem
„ in manu conſilii ſui.

CAPUT XII.

De Servis & Ancillis.

De matrimonio ſervorum.

„ SI NON POTEST REDIMI QUÆ IN SERVITIO EST, LIBERO LI-
„ CET INGENUAM CONJUNGERE. Concil. Vermerienſe can. VI. Si
„ quis ingenuus homo ancillam uxorem acceperit pro ingenua, ſi ipſa fe-
„ mina poſteà fuerit inſervita, ſi redimi non poteſt, ſi ita voluerit, li-
„ ceat ei aliam accipere. Similiter & mulier ingenua ſi ſervum accipiat
„ pro ingenuo, & poſtea pro qualicumque cauſà inſervitus fuerit; niſi
„ pro inopia fame cogente ſe vendiderit, & ipſa hoc conſenſerit, & de
„ pretio viri ſui à fame liberata fuerit; ſi voluerit poteſt eum dimittere, &
„ ſi ſe continere non poteſt, alium ducere. Similiter & de muliere, ſi ſe
„ vendiderit, & vir ejus ita conſenſerit, taliter poteſt ſtare, ſi ſe ſeparave-
„ rint. Pœnitentia tamen amborum neceſſaria eſt. Nam qui de pretio
„ paris ſui de tali neceſſitate liberatus fuerit, in tali conjugio debet perma-
„ nere, & non ſeparari. Concil. Compendienſe can. V. Si francus homo
„ accepit mulierem, & ſperat quòd ingenua ſit, & poſtea invenit quòd non
„ eſt ingenua, dimittat eam ſi vult, & accipiat aliam.

Quantum patres indulſerint infirmitati humanæ.

LIBER EST EX EA GENERATUS. Etenim juxta Juſtin. inſtit. lib. I.
„ titul. IV. Sufficit liberam fuiſſe matrem, eo tempore quo naſcitur: licet
„ ancilla conceperit. Leges, quantùm fieri poteſt, juri naturali favent, quia
„ ut dicitur titulo II. Jure naturali omnes homines ab initio liberi naſce-
„ bantur. & titul. III. ita definitur ſervitus, Eſt conſtitutio Juris gentium,
„ qua quis domino contra naturam ſubjicitur. Unde contrarium non rectè
„ legitur in cap. XXXIV. quod ſic à R. D. Luca Acherio editum eſt: qui ge-
„ neratus eſt, ſervus.

CAPUT XIII.

De Diverſis Quæſtionibus.

I. De jejuniis.

JEJUNIA LEGITIMA &C. ANTE NATALE DOMINI. Vide Egberti
Eboracenſis Archiepiſcopi dialogum, qui in reſponſione ad interroga-

Digitized by Google

tionem XVI. teſtatur a temporibus Vitaliani Papæ & Theodori inoleviſſe « in Eccleſia Anglorum hanc conſuetudinem. Nam hæc, inquit, Deo gra- « tias, à temporibus Vitaliani Papæ & Theodori Dorobernenſis Archie- « piſcopi inolevit in Eccleſia Anglorum conſuetudo, & quaſi legitima te- « nebatur, ut non ſolum Clerici in monaſteriis, ſed etiam laici cum conju- « gibus & familiis ſuis ad confeſſores ſuos pervenirent, & ſe fletibus, & « carnalis concupiſcentiæ conſortio his duodecim diebus cum eleemoſy- « narum largitione mundarent; quatenus puriores dominicæ communionis « perceptionem in natale Domini perciperent; præter hæc namque conſti- « tuta jejunia, quarta & ſexta feria propter paſſionem Chriſti, & Sabba- « to, propter quòd ipſo die jacuit in ſepulcro plerique jejunaverunt. «

Servo Dei nullatenus licet pugnare, multorum licet sit consilio servorum Dei. Rectius ſanè quàm quod habet capit. XLII. à R. D. Luca Acherio ſic editum. Clericis nullatenus pugnare « licet, niſi in multitudine, aut conſilio ſervorum Dei. Quæ lectio omnino pugnat canonibus Conciliorum tam quæ præcedunt, quàm quæ ſubſequuntur. Concil. Calchedonenſe c. VII. Eos qui in Clero ſemel ordinati « ſunt, & itidem monachos, ſtatuimus nec ad militarem expeditionem, « nec ad ſecularem dignitatem poſſe venire. Qui autem hoc audent, & « non pœnitentia ducti ad id revertantur, quod propter Deum priùs ele- « gerant, anathematizari Concil. Andegavenſe can. VII. Clerici quo- « que, qui relicto clero ſe ad ſecularem militiam, & ad laïcos contule- « rint, non injuſtè ab Eccleſia, quam reliquerunt, amoventur. Concil. « Toletanum IV. c. IV. Clerici in quacumque ſeditione arma volentes « ſumpſerint, vel ſumpſerunt, reperti, amiſſo ordinis ſui gradu in mona- « ſterium pœnitentiæ contradantur. Concil. Germanicum I. c. II. Servis « Dei per omnia armaturam portare, vel pugnare, aut in exercitum & in « hoſtem pergere omninò prohibuimus. Synodus Metenſis can. XVI. Ut « arma Clerici non portent. Caroli Magni capitula Eccleſiaſtica cap. IV. « ſecunda vice propter ampliorem obſervantiam Apoſtolica auctoritate, & « multorum Epiſcoporum admonitione inſtructi, ſanctorumque canonum « regulis edocti, conſultu videlicet omnium nobilium noſtrorum, noſmetip- « ſos corrigentes, poſteriſque noſtris exemplum dantes, volumus ut nul- « lus ſacerdos in hoſtem pergat &c. Et paulò poſt: Hi vero nec arma fe- « rant, nec ad pugnam pergant, nec effuſores ſanguinum, vel agitatores « fiant: ſed tantùm ſanctorum pignora & ſacra miniſteria ferant, & ora- « tionibus pro viribus inſiſtant: ut populus qui pugnare debet, auxiliante « Domino, victor exiſtat, & non ſit ſacerdos ſicut & populus. Si Carolus Magnus dicat ſe canonum regulis edoctum ſeipſum corrigere, quod juſſiſſet contra ipſos, ut ſacerdotes pugnarent. Quomodò Theodorus canonum regulis addictiſſimus potuiſſet ſtatuere licere Clericis pugnare cum conſilio multorum ſervorum Dei. Denique ex capitulis Heraldi Turonenſis manifeſtum eſt, ita deponi, ut nec laicam communionem habeant. cap. I. Ut presbyteri & Diaconi, ſi in bella cum armis proceſſerint, ita depo- « nantur, ut nec laicam communionem habeant. Ergo legi debet ſicut ha- «

II. Clericis nullatenus licet pugnare.

bent duo codices pœnitentialis Theodori. Servo Dei nullatenus licet pugnare, multorum licet ſit conſilio ſervorum Dei.

III. De conſecratione infantium.

INFANTEM PRO INFANTE POTEST DARI AD MONASTERIUM DEO. Infantes perpetuæ virginitati dicare hoc ſatis eſſe antiquum in Eccleſia declarat exemplum, quod Sulpitius ſeverus refert in hiſtoria S. Martini, cap. xx. Quæ res, inquit, apud Arborium intantùm valuit, ut ſtatim puellam Deo voverit, & perpetuæ virginitati dicarit &c. S. Auguſtinus lib. de quantitate animæ cap. xxxvi. Jam verò etiam puerorum infantium conſecrationes quantum proſint, obſcuriſſima quæſtio eſt, nonnihil tamen prodeſſe credendum eſt. Inveniet hoc ratio, cùm quæri oportuerit: quanquam & alia multa jam diu quærenda tibi potius, quàm cognoſcenda protulerim. Quod fiet utiliſſime, ſi duce pietate requirantur. Poſt S. Baſilium Theodorus judicabat hujuſmodi conſecrationes facilè ſolvi. Sic enim cap. cxx. Baſilius judicavit pueris licentiam nubere ante ſexdecim annos, ſi abſtinere non potuerint, quamvis monachis fuiſſent. V. quoque quod retulimus ſuprà.

IV. Utrum non liceat de mortuo judicare.

DE MORTUO AUTEM DEI SOLIUS EST NOTITIA. Anaſtaſius II. in epiſt. 1. ad Anaſtaſium Auguſtum cap. 11. Itaque monente nos beatiſſimo Paulo Apoſtolo, ne quod ſit in hoc offendiculum in Eccleſia, dum, quod facere non poſſumus, de his qui jam tranſierunt, judicare conemur, obſervandum eſſe tranquillitas tua cognoſcat. Ait enim de his qui de rebus ad Deum ſolum pertinentibus judicare præſumunt: Nemo enim noſtrum ſibi vivit, & nemo ſibi moritur &c. Alia Patrum teſtimonia de hac re legere eſt in conſtituto Vigilii Papæ de tribus capitulis. Sed de eadem quæſtione plurimùm à patribus ſynodi Conſtantinopolitanæ II. diſcuſſâ Vide epiſtolam Imperatoris Juſtiniani ad Synodum II. Conſtantinopolitanam. Cyrilli epiſt. ad S. Proclum. Procli epiſt. ad Joannem Antiochenum. Collationem VIII. Concilii Conſtantinopolitani II. Pelagii II. epiſtolam ad Eliam Aquileienſem, & alios Iſtriæ Epiſcopos. Et Juſtiniani Imperatoris edictum adverſus tria capitula.

CAPUT XIV.

De Reconciliatione.

ROMANI RECONCILIANT HOMINEM INTRA ABSIDEM. Concilium Carthag. III. can. XXXII. Cujuſcunque autem pœnitentis publicum & vulgatiſſimum crimen eſt, quod univerſa Eccleſia noverit, ante abſidem manus ei imponatur. Cùm Theodorus dicat intra abſidem, neceſſe eſt abſidem non ſolùm interpretari de ſede & throno Epiſcopi, ſed potiùs de ſpatio illo, quod propinquum eſt aræ majori, & cancellis ſeparatum eſt à reliqua Eccleſia: ſicut eruditè animadvertit Stephanus Baluzius in ſuis notis ad Reginonem, & probat teſtimonio Anaſtaſii in vita Leonis III. Sed hæc atque alia in noſtra diſſertatione de Pœnitentia fuſe expoſita ſunt.

FINIS.

Digitized by Google

Digitized by Google

Digitized by Google

Digitized by Google

Digitized by Google